160
E
34.
BIB.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
160
E
34

106
C
6

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SEBALDI RAVII

EXERCITATIONES PHILOLOGICAE

AD

CAR. FRANC. HUBIGANTII

PROLEGOMENA

IN SCRIPTURAM SACRAM.

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD SAM. ET JOH. LUCHTMANS
CIƆIƆCCLXXXV

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO

S. D.

SEBALDUS RAVIUS.

Quod minime cogitaveram fore, ut hae diſſertationes quas ante annos circiter viginti exercitii Academici cauſa compoſueram, tat ti fierent a quibusdam viris eruditis, ut dignae judicarentur, quae denuo eſſent in lucem edendae, et neceſſitas mihi imponeretur eas data opera recognoſcendi, id evenit. Recudi curaverat earum aliquas, uti primum a me vulgatae erant, Clariſſimus Jo. Oelrichs, Theologus Bremenſis in Collectione Opuſculorum Hiſtorico-Philologico-Theologicorum, *tom. III. Nec diu poſt Viri humaniſſimi Varrentrapp et Wenner, Bibliopolae Francofurtenſes, auctore Illuſtri Michaëlis, me rogarunt, ut has diſſertationes a me recognitas ſibi concederem una cum Prolegomenis et Notis criticis Hubigantii denuo in publicum emittendas. Quale conſilium licet ideo probarem, quia prior editio mihi diſplicebat, et haud pauca habebam his diſſertationibus addenda et in iis emendanda, tamen ob eam cauſam irritum factum eſt, quia illi Francofurti, ego vero, ob commoditatem correctionis, hic loci eas inprimi optarem. Sed cum paulo poſt mihi operam ſuam offerrent duo negotiatores librarii Lugdunenſes ſpectatiſſimi Samuel et Johannes Luchtmanſti, eam lubens accepi, ea conditione, ut hic typis deſcriberentur. Verum inveni typothetam artis ſuae parum peritum, qui numeros paginarum et chartarum plagulas hic illic turbavit, et in univerſum mihi plus negotii faceſſivit, quam erat neceſſe, eaque re effecit, ut opus tardius procederet, et vel ſic tamen multi errores typographici paſſim in textum irreperent. Quare coactus fui eas in typographum Lugdunenſe transmittere, ut rectius curarentur. Attamen cum hac ratione abſens eſſem a prelo, ſubinde etiam per ferias me alio conferrem, atque per alia negotia ſaepius impedirer quo minus promte curarem ea quae deſiderabantur, haec editio, neſcio quo fato, in hoc usque tempus protracta eſt.*

Quid in ea praeſtiterim, paucis accipe. Supplevi multa quae in editione prima praeteriveram, quo pertinent, quae leguntur a pag. 61. usque ad 66. et a pag. 90—107. Porro Exercitationis quintae partem priorem, ob vicinitatem argumenti, ad Exercitationem quartam remiſi. Deinde huic Exercitationi quintae ea adjunxi quae habentur a pag. 174—186 Denique totam Exercitationem ſextam tanquam novam, nec antea editam ceteris addidi. Ad haec multa correxi, transfixi, emendavi; nec tamen omnia. In refutandis autem Hubigantii aſſertionibus, id quantum fieri potuit, operam dedi, ut verba ejus, literis curſivis expreſſa, ſine ulla mutatione proponerem, iisque obſervationes et argumenta mea ſubjicerem. Qua occaſione, dum brevis eſſe volui, factus ſum ſaepe obſcurior.

Animus mihi erat, etiam de regulis criticis agere, quas Hubigantius cap. IV. Prolegomenorum propoſuit. Sed conſilium abjeci, cum quia me taedium cepit ejus operae quam refutandis Hubigantii παρερμηνείαις inſumſi, atque adeo a me impetrare non potui, ut bonas horas meas in his regulis confutandis conſumerem, tum quia ex his quae a me dicta ſunt, facile poſſunt refelli. Sunt enim hae regulae proprie non niſi conſectaria quae Hubigantius ex obſervatis jam a me refutatis elicuit; et eo fine conceptae, ut pravis interpretamentis ejus praeſidium praeſtent. Quod ſi tamen ſint, qui eas tanti eſſe judicent, ut ex profeſſo examinentur, potero eis morem gerere, ſi ceteras diſſertationes meas in unum volumen collegero, et tanquam partem alteram edidero.

Quod reliquum eſt, non dubito fore nonnullos, qui me, ſaltem hic illic, nimis ex veteri formula philoſophatum eſſe judicent; ſed hi abundantur ſuo ſenſu. Satis mihi erit, ſi argumentis et obſervationibus meis id conſecutus fuero, ut hoc tempore, quo omnes docti juxta et indocti ad emendandum ſacrum codicem convolant, nonnulli cautius mercari diſcant, et in Hubigantio exemplum ſumant. Ita vale.

Dabam Trajecti ad Rhenum d. 11. *Martii* CIↃIↃCCLXXXV.

EXER-

EXERCITATIO PRIMA

AD

CAR. FR. HUBIGANTII PROLEGOMENA IN SCRIPTURAM SACRAM.

Eſt medicorum genus quod ex ſanandis aegris plus laudis et gloriae ſibi quaerit, quam par eſt: quod atrocitatem morbi ſupra modum auget et amplificat, contra vero aliorum operam, ante ſe, tanquam male collocatam multis verbis minuit ac deſpicit, ut hoc tanto majore beneficio ſe affectos ſentiant qui morbo decubuerunt. Horum Menecratum ad exemplum Hubigantius conceptis verbis pronuntiat, editionem ſacri codicis graviſſimo morbo turbatam, naturae ſuae ab iis qui ei medelam facere adgreſſi ſunt, necdum reſtitutam eſſe: nihil penſi habens, ut in progreſſu docebimus, medicinam ſe adferre ipſo malo deteriorem.

Sed audiamus eum: *Tanta incuria editum eſt*, inquit, *ſacrum Hebraicum volumen, quanta haud ſcio, an ullus Codex qui fuit Typographiae luce cohoneſtatus.*

Gravis querela, ſacrum codicem tot editionibus iteratum, omnique ſtudio recognitum, non niſi maculatiſſimum nunc haberi. Sed dabit hujus asſerti rationes: *Hebraica Biblia*, ſic infit, *quicunque hactenus ediderunt, illorum alii editionem ſuam tum fore accuratam confidebant, ſi typographica menda, quaecunque in prioribus editionibus deprehendisſent, evitasſent; alii autem, quibus id ipſum non ſatis eſſe videbatur, Codices adibant, quos haberent, Manuſcriptos, neque dubitabant, quin ea demum accuratiſſima editio eſſet futura, quam ſuis codicibus ſimillimam exhiberent. Verum neque hi, neque illi, pervenerunt, edendo ſacro volumine, quo voluerunt; nam neque viam ipſam tenuerunt. Nimirum utrique partem neceſſariam omiſerunt laboris ejus, quem ſuſceperant; alii quidem unam, alii alteram. Unam illi, qui typographica menda cum corrigerent, caetera quae non emendabant cum Hebraicis codicibus quam conſentirent, non inquirebant; alteram alii, qui editionem ſuam ad codicum ſimilitudinem cum dirigerent, codices ipſi, quam emendate ſcripti eſſent, animadvertere ſaepe ſuperſedebant, neque, illis legendis, Artis Criticae ullam*

curam adhibebant. *Ergo* (ſic infert) *tanta incuria editum eſt ſacrum Hebraicum volumen, quanta haud ſcio an ullus Codex qui fuerit Typographiae luce cohoneſtatus* (*a*).

Mirum argumentandi modum, ubi plus eſt in concluſione, quam erat in praemiſſis! Ego certe, his talibus de cauſis, ſententiam tam duram et immitem de eorum virorum promiscue omnium opera, qui Hebraeum codicem typis deſcribi curarunt, non ferrem. Quid ſi enim animadverterint, editiones priores, ad fidem codicum adornatas, a lectione eorum codicum quos ipſi habebant, non recedere, praeterquam in rebus levioris momenti, eamque lectionem ſenſum ſat commodum fundere? quid ſi hanc ipſam lectionem non ſine gravi cauſa rejiciendam putarint? quae culpa, quod vitium? niſi quod nonnulli eorum perpaucos, nec omnes, vel optimae notae codices inter ſe contulerint, quos potuiſſent; et contra de Maſoretharum opera, ſacro codici praeſtita, vel uſu Maſorae praeclarius ſenſerint, quam quidem debebant. Nemini vero in mentem venerit, quod mox inde Hubigantius ſubſumit, Judaeos tam negligentes ſacri iſtius depoſiti cuſtodes fuiſſe, aut deſcriptores ejus adeo ineptos, rerumque et verborum quae deſcriberent, ignaros, ut, qualem ſine miraculo ab hominibus expectare poſſis, in codice publice privatimque ab omnibus trito deſcribendo operam praeſtare non potuerint: multo minus vero cogitaverint, quod paulo inferius ſtatuitur, tantam Maſoretharum apud Judaeos ubicunque locorum auctoritatem fuiſſe, ut, veteribus bonae notae codicibus e manibus excuſſis, aſſumerent novos, ad ingenium et lubitum Maſoretharum conformatos. Quis Grammaticum vituperavit unquam, quin laudet potius, qui prout legunt codices quos ipſe habet, ita auctorem in publicum emittit, indicatis, nec diſſimulatis fontibus e quibus ſapit; judicium vero de lectione proba, an improbanda relinquit lectori? Quale inſtitutum mihi tam culpa vacat, ut auctor ſim omnibus, qui in paranda nova Bibliorum editione, vel vetere emendanda operam ſuam collocare volunt, hanc ipſam ut viam teneant (*b*).

Inſtat Hubigantius, *quam emendate ſcripti eſſent hi codices, quos habebant, animadvertere ſuperſedebant, neque illis legendis artis criticae ullam curam adhibebant.* Non intercedo, ſi lubet: ſi nonnullos adſpiciat, qui in hoc ſtadio decurrerunt. Sed illud contendo, hoc adeo neglectum non eſſe ab omni-

(*a*) Vide *Prolegomena* auctoris noſtri Pariſiis edita 1753 in forma quarta pag. 1 et 2. et quae cum ipſis Bibliis Hebraicis ſub indicio ejusdem anni ibidem in folio prodierunt, p. 1. editionem autem Francofurti ad Moenum cum notis Criticis recuſam 1777. pag. 1. Harum editionum primam, compendii cauſa, in progreſſu lit. A. denotabimus, ſecundam lit. B. tertiam lit. C.

(*b*) Reprehendit Hubigantius quod ipſe atque Kennicottus fecerunt, quando contextum Hebraicum talem ediderunt, qualem eum exhibet editio Athiana Everh. van der Hooght, tanquam ceteris emendatior, omiſſis tamen punctis, et ſolis correctis mendis typographicis.

Digitized by Google

omnibus, ut etiam praecipuam laudem apud rerum peritos ea te confecuti ſint duumviri Jablonſkius & Michaëlis aliique (*c*), qui vel codices recenſuerunt, vel lectionem ex iis hauſtam ad examen vocarunt. Eſto etiam factum nondum eſſe, ſaltem non ſatis curate, et complura adhuc reſtare emendanda: quaeritur de principio, unde intelligerent, quam emendate ſcripti eſſent hi codices? anne, quod vult, ex Samaritico Pentateucho, aut verſione? an ex verſione Graeca aut Vulgata authentica? an, ubi codicum abeſt auctoritas, ex ingenio, vel quam vocat, arte critica? vel ad regulas illas *inveſtigandorum et corrigendorum mendorum*, quas infra nobis commendat? quae tamen ita comparatae ſunt, ut poſſis, ſi velis, ex Scriptura naſum cereum facere, et in verbis ſacrorum ſcriptorum invenire quodcunque velis.

Addit deinde: (*d*) *Extitere tamen interea quidam eruditi viri, qui ſacri codicis eas quae circumferebantur editiones cum parum laudabant, tum etiam interdum aperte reprehendebant:* atque ut doceat *horum virorum doctorum judicium quam conſiderate eſſet factum*, ſibi demonſtrandum ſumit. I. *Hodiernis in codicibus nihil fuiſſe cur iis editores magnopere confiderent.* II. *Bibliorum Hebraicorum editiones quam ſint mendoſae.* III. *Editionis bonae parandae adjumenta unde ſint conquirenda.* IV. *Ea adjumenta quo modo utenda eſſe judicaverit.* V. *Hebraicum contextum qua forma edere, qualemque ei verſionem comitem addere viſum fuerit;* hisque argumentis totidem capita deſtinavit, e quibus praecipua ordine perluſtrabimus.

(*c*) Hos recenſuit Tychſenius in *Tentamine de variis codicum Hebraicorum generibus*, pag. 226. 227. De Opitio tamen quem V. C. huc etiam retulit, quaeritur, num unicum tantum codicem habuerit A. 1455. ſcriptum et cum libris impreſſis apprime convenientem, an vero plures? Prius cum Critico noſtro adfirmavit B. Kennicottus, nos vero negavimus, vid. infra pag. 195. Non immerito autem, ſed ſuo jure quodam his auctoribus accenſetur J. G. Nisſelius, de cujus Bibliorum editione conferri merentur quae obſervarunt viri clariſſimi J. D. Michaëlis *Orient. Bibl.* part. X. num. 173. et W. F. Hufnagel in *Repertorio fur Bibliſche und morgenlaendiſche litteratur*. part. II. num. 8.

(*d*) *Prolegom.* A. 3. 4. B. 2. C. 2.

Digitized by Google

AD CAPITIS PRIMI QUOD INSCRIBITUR

Utrum hodierni Hebraici codices tales ſint, quibus unis confidere poſſint editores,

ARTICULUM PRIMUM

Hodiernorum Hebraicorum codicum qualis ſit antiquitas, & qualis ex antiquitate auctoritas.

Ut demonſtret Hubigantius hodiernis in codicibus nihil fuiſſe, cur iis editores magnopere, ut fecerunt, confiderent, obſervat in anteceſſum: *Hac noſtra aetate Hebraicum codicem ſupereſſe vix ullum ſexcentis annis vetuſtiorem; pauciſſimos nunc extare codices annorum ſexcentorum; fere non minus paucos annorum quingentorum;* (*e*) *pleroſque annorum eſſe trecentorum, aut, ut plus, quadringentorum. Denique originem vetuſtiorem ſi qui codices prae ſe ferant, notationem temporis in iis factam fuiſſe mendacem ac fictitiam,* —— *Ex tali autem actate Hebraeis codicibus accedere auctoritatis tam parum quam codici annorum totidem, qui ſit exemplar Graecae ejus membranae, quam Graecus auctor exararit annos ante hanc aetatem noſtram bis milleſimos* —— *Aeſtimandam enim auctoritatem eſſe non tam ex iis annis qui ab quopiam codice nato et ſcripto ad noſtram aetatem interceſſerunt, quam ex iis qui codicem inter natum ſcriptumque et auctoris autographum interfuerunt* (*f*).

Quicquid ſit de noſtrorum codicum aetate, quam alii viri eruditiſſimi et harum rerum periti judices ad ſeculum uſque nonum et octavum referunt (*g*), et de qua judicium interponere Hubigantius nec poterat, nec debebat; quia pauciſſimos evolvit, contulit, aut inſpexit; pauci etiam fama ipſi innotuerunt; ne idem in eum dici poſſit quod infra (*h*) in caſu ſimili, de Buxtorfio pronuntiat, *id quidem non modo ineruditum, ſed ineptum ac paene puerile eſſe*: concedo illam eo-

(*e*) In eandem fere ſententiam diſputat Morinus *Exerc. Bibl.* lib. 1. pag. 7. 8. R. Simonis autem codices manuſcriptos 900. *annis vetuſtiores* vix reperiri aſſerit, *Hiſt. Crit. V. T.* pag. 120.

(*f*) *Prolegom.* A. 6. 7. B. 3. 4. C. 2. 3.

(*g*) Le Long, Montfaucon, Blanchini, Kennicott aliique. Kennicotto omnium codicum quos hodie habemus, aetates ita optime conſtitui videntur, ſi dicamus eos eſſe vel 800. vel 900. vel 300. vel 400 annorum, nempe ut ſint exarati A. C. 850. 950 aut intra annum 1350. 1450. vid *The ſtate of the printed. Hebr. text.* Diſſ. 1. pag. 306. 307. Quod ad poſtremum temporis intervallum adtinet, id, meo judicio, paulo laxius conſtitui poterat; cum plurimi codices hodie extent, qui ſeculo XIII. ſunt ſcripti, ut patet ex catalogo quem exhibuit Wolfius *Bibl. Hebr.* vol. II. et IV. interque eos fuerint plerique quos mihi contigit videre.

(*h*) *Prolegom.* A. 17. B. 9. C. 7.

eorum aetatem, ſi ad autographum vel ad ipſos auctores referatur, valde exiguam eſſe. Sed nego, ex vero adfirmari poſſe, codicibus hiſce ex ejusmodi aetate *tam parum auctoritatis accedere quam codici Graeco ejusdem aetatis, qui ſit exemplar Graecae ejus membranae quam Graecus auctor exararit annos ante hanc aetatem noſtram* bis millenos. Quid ſi enim ex certiſſimis indiciis conſtet, codicem illum Graecum autographo quam ſimillimum, aut ex apographo ejus vetuſtiſſimo & accuratiſſime deſcripto expreſſum: (*h*) ceteros vero codices qui eum aetate antevertunt, non pari cura, ſed negligentius exaratos eſſe; valebitne tum regula? anne ceteros, quia aetate priores fuere, huic antepones? Obiter moneo, me non poſſe non mirari Hubigantium tam ſubito oblitum eſſe regulae, quam ante dederat, de codicum examine inſtituendo.

Cum multa vero ſunt quae noſtros codices Hebraicos ab illo ſimili diſcriminant, non ſane meditatiſſime excogitato, tum maxime illud, quod a quo tempore canon veteris teſtamenti obſignatus fuit, hi libri paulatim publice in ſynagogis lecti ſint, atque adeo uſu publico & privato triti: quod ſane factum non eſſe conſtat circa Sophoclem, Euripidem, Herodotum aliosque ſcriptores, qui noſtram aetatem nunc bis mille annos antevertunt. Deinde fuit illud in legis apicibus conſervandis, quoad ejus abſque miraculo fieri potuit, Judaeorum ab antiquiſſima memoria ſtudium & ſcrupuloſa induſtria, ut huic negotio peculiare quoddam genus hominum deputarent, quos maxime ab opera, quam deſcribendis ſacris codicibus navabant, סופרים ſive *ſcribas* adpellabant, quorum ars in hunc usque diem non adeo deſiit, quin magno in honore ſit Judaeis. Certumque eſt in ſingulis provinciis per quas Judaei diſperſi ſunt, Palaeſtina, Babylonia, Aegypto & Hiſpania aliisque, apographa extitiſſe fama vetuſtatis & accurationis prae ceteris incluta, ad quorum fidem & amuſſim cetera vel deſcriberentur, vel emendarentur. (*i*) Ne nunc di-

(*h*) Ut hanc differentiam aliquo exemplo illuſtrem, quod Hubigantio poſſit domeſticum eſſe, juvat huc referre codicem Graecum, quo uſus quondam eſt Jo. Curterius in adornanda Procopii in Jeſaiam editione, & qui habebatur Pariſiis in Collegio P. P. Jeſuitarum Ludovici Magni, atque olim poſſeſſus fuit ab Renato Marchalo. Continentur hoc codice Prophetae cum lectionibus veterum interpretum ad marginem. Jeſaiae & Ezechieli praefixae ſunt inſcriptiones vel notae, quarum utramque exhibet Jo. Curterius ad calcem praefationis illi Commentario praemiſſae, indeque excerpſit B. de Montfaucon *Palaeogr. Graec.* pag. 40. 51. nec non pag 226. 227. Ex nota quae praemiſſa eſt Jeſaiae, apparet codicem Marchalianum ex alio quodam codice vetuſtiſſimo Abbatis Apollinarii, coenobiarchae, deſcriptum fuiſſe, qui omni ſtudio & induſtria cum aliis & quidem accuratiſſime deſcriptis atque correctis collatus erat. Ex altera quae Ezechieli praefixa eſt, patet autographum, ex quo deſcriptus erat codex Apollinarii, fuiſſe juſſu ipſius Origenis exaratum, quin imo, manu ejus emendatum & ſcholiis illuſtratum: apographum vero ejus, quod poſſidebat Apollinarius, ſcholia habuiſſe ab Euſebio adjecta, a Pamphilo autem & Euſebio correctum fuiſſe; atque ex hoc apographo deſcriptum eſſe codicem Marchalianum. Jam tu mihi hunc codicem, vel ſi mavis hos Jeſaiae & Ezechielis libros, cum iſtis ceteris confer, qui quidem aetate priores, nec tamen ex ejusmodi apographis deſcripti ſunt, & arbitrare, num auctoritatem eorum quoque metiri velis *ex iis annis qui codices inter natos ſcriptosque, atque inter auctoris autographum interceſſerunt!*

(*i*) Catalogum talium exemplarium dederunt Hotting. *Theſ. Phil.* lib. I. c. 2. ſect. IV. & Wolf. *Bibl. Hebr.* part. II. ſect. II.

Digitized by Google

dicam Judaeos maluiſſe extrema omnia pati, quam ut vel verbulum, ipſis conſciis in ſacro volumine mutaretur, aut loco ſuo moveretur, endum ut liber aliquis per vim iis eriperetur. (*k*) Unde etiam, licet ob multas res alias a Chriſto reprehenſi ſint, neglecti tamen aut corrupti hujus codicis arguuntur nunquam.

Itaque vel tempus indicet Hubigantius oportet, quo Judaei hunc erga ſacrum codicem animum ſuum mutaverint, quem antea tam ſolicite cuſtodiebant, vel quo ipſi ab aliis miſere circumventi & codices eorum depravati, librique veteres ipſis e manibus erepti fuerint, novis ſubſtitutis; aut ſane mecum profiteri debebit, MSS. Hebraica ab iis accepta, quae aliquam vetuſtatem & meliorem notam prae ſe ferunt, cum qualicumque alio apographo vetuſti auctoris, *quod ſit ejusdem aetatis*, contendi non debere. Sed videbimus infra quomodo hanc Saguntum defendat Noſter; atque ipſis rerum argumentis demonſtrabimus, noſtrorum codicum lectionem tam depravatam tamque male a deſcriptoribus habitam non eſſe, quam ſibi perſuaſit.

Nunc diſpiciendum erit unde probet Hubigantius, codices Hebraicos, quos habemus, tam muſteos, tamque novos eſſe: *Quod ſi qui dubitant*, ita pergit (*l*) *hodiernos Hebr. codices tam novos eſſe, quam mox diximus, dubitationem omnem id tollere debet, quod codicem Hebraicum nullum nunc ſuperſtitem habemus qui non punctis vocalibus inventis & uſurpatis poſterior eſſe deprehendatur. Quod quidem ex eo probatur quod nullus hodiernus eſt codex, in quo non multae literae* אהוי *deſiderentur; quae literae in codicibus deſcribendis non prius omitti coeptae ſunt, quam puncta vocalia uſurparentur. Nam eas literas Judaei tum primum neglexerunt, cum ſuis eas punctis ſuppleverunt. Neque alia cauſa eſt, cur Hebr. codicum tot verba quae plene olim ſcripta erant, nunc reperiantur ſcripta eſſe deficienter.* Addit deinde: *Et certe Hieronymus, quoties in ſuis Commentariis docet quibus literis verba quaedam Hebraica conſtarent, toties ea verba profert ſuis omnibus* אהוי *literis inſtructa*, plene *ſcripta exhibens ea verba quae nunc ſcripta ſunt* deficienter. *Quippe eam labem non alii homines quam Judaei ipſi Maſorethae invexerunt, ut multa vocabula ſuis* אהוי *literis nudarent, & ſuis quaſi membris decurtarent; quod eos poſt confectum Talmud, hoc eſt, non ante ſeculum nonum, feciſſe, invictis rationibus probat Morinus, neque non id factum corruptelam jure adpellabat.* (*) Cum dictio plena, *inquit*, deficienter ſcripta eſt, revera eſt textus corruptela.

Miraberis, Erudite lector, cur ad novitatem noſtrorum codicum demonſtrandam, in re tam perſpicua, tam futili & obſoleto argumenti genere utatur Criticus noſter; ni conſtet, eum, ad promovendam auctoritatem codicis Samaritani, Maſclefium, *Grammaticae a punctis liberae* auctorem, *tanquam ultimum & ceterorum optimum Grammaticorum, ſibi ducem elegiſſe*, (*m*) De

(*k*) Conf. Joſeph. *Contr. Apion.* lib. 1. n. 1, & Philo apud Euſeb. *Praparat. Evang.* lib. VII. n. 5.

(*l*) *Prolegom.* A. 8. B. 4. 5. C. 3.

(*) *Exercit. Bibl.* lib. II. pag. 611. col. 2.

(*m*) Vid. *Praefat. in Pſalmos.* Grammatica haec primum prodiit Paris. 1716.

De hujus autem hominis conatibus, qui ut piſtorum praecipuus, ita poſtremus eſt philoſophorum, ſi otium ferat, alibi ſumus dicturi. Nunc illud monere adtinet quod ſit inſtar omnium, praecipuam ejus libelli dotem eſſe hanc, ut legere doceat, ſubſtitutis in locum vocalium literis אהויחע, nec non vocalibus auxiliaribus, quas vocabula technica quibus ceterae Hebraeorum literae denominantur, ab initio habent adjunctas. Itaque neceſſum erat, ut lectio, ad hanc tam barbaram, tamque inficetam, & a natura linguarum orientalium alienam Grammaticam inſtituenda haud parum claudicaret, atque in diſcrimen amittendi veri ac genuini ſenſus induceretur, niſi Judaei mutilati hac parte ſacri codicis accuſarentur.

De *ſcriptionibus* autem *plenis* & *deficientibus*, plerisque, id generatim obſervo, fortunas Graeciae in iis poſitas non eſſe. (*n*) Sic Gen. I. 21. ſcriptum in nonnullis exemplaribus habetur התנינם, ſed quae adjecta eſt vox הגדלים legi jubet התנים. Sic verſu 18. וכבשה, legendum eſſe וכבשה ipſa res & ratio & continuata orationis ſententia ſuadent; praecedit enim ומלאו את הארץ, & ſic de aliis. Quod ſi etiam nonnulla reſtent loca quae legentibus negotium faceſſant, ea ſpes eſt collatione codicum facile reſtituenda eſſe. Preſſius dico, cum eaedem voces, apud eosdem auctores, modo plene, modo deficienter ſcribantur, alterutrum eſſe verum oportere, ut vel ipſi auctores hanc diverſitatem induxerint, vel Judaei codicum deſcriptores. Si ab ipſis auctoribus haec diverſitas profecta eſt, apparet liquido, nec vicem vocalium has literas olim expleviſſe, nec abſolute neceſſarias viſas, ſed contra ex arbitrio & lubitu cujusque ſcribentis eſſe derivandas. Sin Judaei Maſorethae, vel codicum deſcriptores hoc facinus perpetrarunt, ut voces quasdam Hebraicis ſuis literis אהוי nudarent, locum facturi novis vocalibus, in furto hoc perpetrando prorſus infeliciter verſati ſunt, cum non in omnibus, & ſimilibus quidem, ſcripturae locis id fecerint, ſed in quibusdam tantum; imo etiam loca ea ſolicite notaverint in quibus vocabula leguntur vel plene ſcripta, vel defective. (*o*)

Porro, ſi hae literae tum *omitti coeptae ſunt*, *cum puncta vocalia uſurparentur*, quod factum eſſe contendit ſeculo poſt C. N. ſexto; mireris jure tuo, Lector, qui fiat, ut hi ipſi codices qui vocabulis deficienter ſcriptis tantopere nunc ſcatent, ut vult Hubigantius, & in quibus ſunt antiquiſſimi eorum quos

(*n*) Ita me docuit uſus. Quare mirum ſaepe mihi accidit qui a ſe impetrare potuerit Cl. Kennicottus, ut has ſcriptiones omnes tam operoſe conquireret & notaret, nec potius βαρύτερα quaedam, & praecipuas differentias punctorum vocalium obſervaret; quo facto majorem gratiam iniviſſet apud multos, potuiſſetque Grammaticos noſtros, qui in excuſandis quibusdam horum punctorum anomaliis nunc deſudant, magna cura liberaſſe. Sic nihil opus erat, ut in binis locis a me allatis, tot codices laudaret, qui legunt התניניִם & כבשוה, niſi forte hoc eo conſilio fecerit, ut doceret has lectiones non reperiri in ſolo codice Samaritano.

(*o*) Confer ſis Maſoram ad Gen. I. 12, voce ותוצא & 26. voce הרמש.

quos nunc habemus, ſine punctis fuerint exarati, & ſi quae adſunt puncta, ea ſaepe diutiſſime poſt a recentiore manu ſint adjecta? (*p*)

Occurrunt hae defectivae ſcriptiones ſaepiſſime in codice Bibliothecae publicae Daventrienſis, quem nunc prae manibus habeo. Illum non infimae notae eſſe, apparet ex eo quod praeter characteres vetuſtatis ab aliis agnitos, ſingulis verſibus adjectam habeat paraphraſin Chaldaicam. Ex hujus vero cum ipſo textu collatione deprehendi, voces in noſtris editionibus paſſim defective ſcriptas, ideo ſcribi plene, quia ſic ſcriptae vel expreſſae erant ab Chaldaeo interprete: ita tamen, ut iis locis, in quibus vav conſonum eſſe debebat, id minime fieret. Sic Gen. XLVII. 21. in Hebr. textu legebatur עַד קָצֵהוּ; in paraphraſi Chaldaica vero, unde vulgaris lectio quae in libris impreſſis habetur, forſitan eſt deſumta, וְעַד סוֹפֵיהּ.

Sed non fuiſſe eum finem aut uſum Maſorae apud Judaeos, quem voluit Noſter, ut codices ſuos ad ejus praeſcriptum vel deſcriberent, vel corrigerent, ut voces ſuis literis אהוי privarent, patet ex iis ipſis codicibus quibus Maſora eſt adjecta. Sic in vetuſtiſſimo codice Caſſellano Gen. II. 19. ubi vocabulum לראות, quam maxime plene ſcriptum eſt, in Maſora ad marginem poſita notatur, illud in hoc & aliis duobus locis ſcribi deficienter. Contra ad Gen. VIII. 19. ubi defective ſcribitur רמש pro רומש, obſervatur id vocabulum ſcribi plene.

Idem circa literas extraordinarias ſaepe obſervatur. Sic memini me in codice Graſiano, quem poſſidebat Ampliſſimus Trip, Conſul Amſtelodamenſis, ex cujus bibliotheca in Meermannianam tranſivit, tomo II. qui ſcriptus erat A.C. 1290. ad Job. XXXVIII. 15. notatum legere ד׳ אותיות תלוית *quatuor literas eſſe ſuſpenſas*; etiamſi nec in eo verſu, neque in verſu 13. ejusdem capitis, aut Pſal. LXXX. 14. ſuſpenſa eſſet literra ע. Similiter tom. I. non ſuſpendebatur litera tertia Judic. XVIII. 30. uti quidem in noſtris impreſſis ſolet; Sic quoque Levit. I. 1. א non erat litera minuſcula, & tamen talem eam eſſe ad marginem notabatur. (*q*) Id quod certiſſimo indicio eſt, has literas extraordinarias in nonnullis tantum codicibus repertas a privatis hominibus adſcriptas

(*p*) De Codicibus Erfurtenſibus hoc teſtatur J. H. Michaëlis praef. Diſſ. pag. 8. Conſentiunt Jablonski de pleriſque MSS. antiquis a ſe viſis *Praef. ad Bibl. Hebr.* §. 36. & Schiede in *Comment. de codice Bibl. MS. Hebr. Caſſellano.* § 9. Cl. J. D. Michaëlis aliique magno numero. Novi quidem Cl. Tychſen in *Repertorio* ſuperius memorato Part. II. num. 6 aliam hujus diverſitatis cauſam adferre, quae ſita ſit in diverſitate atramenti quo idem librarius textum & puncta notasque marginales ſcripſerit. Sed dubito num haec ratio diverſitatis ſcripturae ita in pleriſque antiquis exemplaribus obtineat, ut haec obſervatio multorum oculatorum hominum ex ea poſſit convelli; imprimis quia compertum eſt puncta literis ſaepe contraria eſſe, cujus rei exempla dederunt Cl. Michaëlis & Schiede in deſcriptione codicis Caſſellani, aliique.

(*q*) Quamquam certum eſt, quo antiquiores ſunt codices, eo pauciores in iis inveniri literas extra ordinem ſcriptas, majuſculas, minuſculas & ſuſpenſas, nolim tamen ex iis praeſentibus vel abſentibus antiquitatem codicum definire cum Kennicotto; quia experientia quosdam viros eruditos docuit, eas nec in iis quos ſequior aetas tulit, omnibus abeſſe, neque in antiquis ſemper deſiderantur.

Digitized by Google

tas olim fuiſſe, nec quidquam myſterii in ſe continere; (*r*) Maſorethas autem his obſervationibus ſolam ſuorum vel quorundam veterum codicum lectionem nobis exhibere voluiſſe: tantum abeſt, ut omnes alios ad hanc amuſſim correctos voluerint.

Dicet quidem: deprehenduntur tamen hinc inde in codicibus Hebraicis exempla correctionum in textu ad amuſſim Maſorae factarum, ſpeciatim in literis אהוי. Neque ipſe diffiteor, me ejus rei exempla reperiſſe in iis codicibus quibus hactenus uſus ſui, ubi v. c. notatum ad marginem erat Vau, eo loco ubi רבבת ſcriptum erat pro רבבות: & rurſus Jod, ubi רגלך pro רגליך. Sed apparuit mihi quam clariſſime, has correctiones, nonnunquam textui intruſas, a recentiori & indocta quidem manu profectas fuiſſe, non ſane primo poſt ipſam ſcriptionem ſeculo, priſcamque lectionem tantum non ſemper in oculos incurrere, perlucere & diſtingui facile poſſe; minime vero ab his derivandas eſſe, qui Maſoram margini, vel fronti aut calci paginae adjecerant. Id quod tam certus ſum inſpicientibus & alios codices ſic appariturum eſſe atque inventum iri, ut diſſimulari niſi per fraudem, non poſſit. Quis vero ſanus & mentis compos factum unius alteriusque hominis univerſae ſocietati adſcribat & Judaeorum in ſublatis literis אהוי perfidiam accuſet, eo quod privati homines, codicum poſſeſſores nonnulli, auſi ſunt ſuos codices alicubi corrigere, & quidem vel ad fidem Maſorae ſcriptae ad marginem, vel editionum impreſſarum; ita tamen ut lacinia panno adſuta facile appareat? Quod quidem cacoëthes Judaeos videtur occupaſſe, tum maxime cum poſt adinventam artem typographicam Hebraei codices typis deſcriberentur; ſaltem, non ante ſeculum xiv. (*s*)

Sed ut ad literas אהוי revertar: certum eſt harum longe plures reperiri in libris MSS. quam in impreſſis. Quod ſi jam illam Hubigantii hypotheſin ſequare, quam ſe Morino debere ait, labem hanc poſt confectum Talmud, aut ſi mavis cum ipſo, non ante ſec. IX. codicibus illatam fuiſſe; quantam antiquitatem lucrabuntur illi codices qui vocibus plene ſcriptis nunc paſſim abundant! Aſt nemo, opinor, ita rationes ſubducet, qui norit Judaeorum tam veterum quam citeriorum conſtantem hunc morem eſſe, ut codices ſuos abſque punctis exarent, & literis אהוי utantur perquam frequenter, non ſolum ubi propria ſua cogitata in chartam conjiciunt, ſed etiam cum verba e ſacro contextu allegant. Itaque ſi quid fraudis vel negligentiae hoc in caſu ab Judaeis proficiſci potuit, exiſtimo eos rectius multiplicatarum in ſacro codice literarum אהוי reos poſtulari, quam ſuppreſſarum aut abolitarum. (*t*) At-

(*r*) Unde etiam Judaei in eo declarando nunc paſſim inter ſe conveniunt ut horologia, & Maimonides in *Hilchot Sepher thora* Cap. VII §. 8. 9. diverſam harum literarum ſcriptionem non obſtare docet quo minus codices MSS legitimi ſint & recti.

(*s*) Vide, quod ad hoc poſtremum adtinet, quae diſputat Doctiſſimus Kennicott Diſſ. I. part. II. pag. 275. 290.

(*t*) Et ſane Jablonskius in praefatione Bibliis Hebraicis praemiſſa, licet haud paucas ejusmodi literas a Judaeis in MSS. conſoſſas eſſe contendat, tamen fatetur non fere pauciora millia eorum ab iisdem addita eſſe.

Digitized by Google

Atque eandem inolitam Judaeorum conſuetudinem in ſuis commentariis ſequi cenſendus eſt *Hieronymus*, ſi tamen *verba plene ſcripta exhibet*, *quae nunc ſunt ſcripta deficienter*. Praeceptore enim utebatur Judaeo homine, multaque memoriter citabat. Scire autem aveo, unde conſtet Hubigantio, quod de Hieronymo affirmat? Hieronymus cum verba Hebraica ad partes vocat, ea exprimit literis Graecis aut Latinis, atque hoc poſtremo in caſu paſſim miris modis variat, nec ſibi ſimilis eſt, vel ſemper rationem & formam vocum grammaticam ſequitur. Aſt, inquiet, Hieronymus nonnunquam ipſas vocum Hebraicarum literas nominetenus percenſet. Fateor hoc ita fieri. Sed vel ſic tamen nego Hieronymum defectivas ſcriptiones his literis explevisse, aut ex iis cum ratione intelligi poſſe, ubinam plene ſcripta ea vocabula legerit, quae in noſtris codicibus ſcripta ſunt defective. Primo enim ea ipſa vocabula ei paſſim ſine animadverſione praetereuntur, unde in *Quaeſt. Hebr.* ad Gen. XL. 10. quod in noſtris editionibus ſcribitur שריגם ab ipſo effertur *Sarigim*. Et in epiſtola ad Damaſum, diſputans de vocabulo חמשים, Exod. XIII. 18. quod legendum ſit *amuſim*, obſervat, quod *idem ſermo & eiſdem literis ſcriptus*, *diverſas apud Judaeos voces & intelligentias habeat*. Atque ut hoc perſpicuum faciat, exempli cauſa ponit: *Paſtores & amatores* eiſdem literis ſcribi, *Res*, *Ain*, *Jod*, *Mem*, ſed *paſtores roim*, *amatores* legi *reim*. *Unde evenit*, ſic pergit, *ut ubi Jeruſalem in prophetis*, *cum amatoribus ſuis fornicationis ſcelere arguitur*, *ibi in noſtris codicibus*, *pro amatoribus*, *paſtorum nomen ſit immutatum*. Sic in *Quaeſt.* ad Gen. XXVI. 82. docet vocabulum שערים & *hordeum* ſignificare & *aeſtimationem*; illo in caſu *ſorim* legi, in hoc vero *ſarim*. Anne haec ſcribere potuiſſe Hieronymum exiſtimas, ſi tamen in codicibus, qui ejus tempore exſtabant, haec vocabula lecta fuiſſent plene ſcripta? Deinde, in epiſtola ad Evagrium, agens de Melchiſedeco: *Nec refert*, inquit, *utrum Salem nominetur*, *cum vocalibus in medio literis perraro utantur Hebraei*, *& pro voluntate regionum*, *eadem verba diverſis ſonis atque accentibus pronunLientur*. (*v*) Quae quidem poſtrema Hieronymi obſervatio, etſi prorſus ἀπροσδιόνυσος ſit, & puerilis, aeque ac antecedens, confirmat tamen & probat quam clariſſime, quod initio inſinuavi, videlicet animadverſionem aut reſtitutionem vocum olim plene ſcriptarum ab ipſo fruſtra expectari.

Illud monere intereſt, loco haud inopportuno, auctorem noſtrum, cum Judaeos accuſat, quod multa vocabula ſuis אהוי literis nudaverint & ſuis quaſi membris decurtaverint, parum conſulere auctoritati hodierni codicis Samaritani. In eo enim has literas paſſim multiplicatas videas, praeter neceſſitatem non ſolum, ſed & praeter rationem grammaticam, ſolam nempe propter καλλιγραφίαν, ut quaevis linea alicubi cum Vau incipiat; quam ineptam elegantiam & curioſitatem aliquoties obſervare me memini in codice Samaritico Academiae Lugduno Batavae. De

(*v*) Plura id genus exempla vide apud Clericum *Quaeſt. Hieronym.* IV, & Dupuy in Diſſ. *Sur les voyelles de la langue Hebraique*, quae reperitur in *Memoires de l'Acad. des inſcriptions & belles lettres* tom. XXXVI, atque in compendium miſſa eſt in *Repertorio* ſuperius memorato part. II. num. XI.

Digitized by Google

De ipſis vero literis hiſce, ne plura addam, ſufficiat obſervaſſe coronidis loco, eas nec numero totidem eſſe, quot Hubigantius voluit, nec pro matribus lectionis apud Hebraeos potuiſſe uſurpari. Ratio eſt, quod lectio Hebraeorum, ut ceterorum orientalium, etiam vocalibus brevibus conſtare debet, ad differentiam in formis vocum exprimendam: ad quem finem conſequendum hae literae nec poterant adhiberi, nec ſufficiebant.

Excuſabis moram, Lector, quam in diſſipandis ſcriptionibus defectivis traximus. Reſutandum fuit quod Noſter a praeceptore ſuo Morino acceperat: qui, ut ne tantillum de auctoritate codicis Samaritani delibaretur, hoc modo tuendas arbitratus eſt creberrime inibi obvias literas אהוי, ubi quam minime ſunt neceſſariae.

Ridiculum eſt, nec ſeriam refutationem meretur quod ſub finem adſperſit tanquam ex Morino hauſtum, *Talmud non ante ſec.* IX. *confectum eſſe.* Ne enim nunc dicam, in opere Talmudico, quemadmodum in plerisque aliis libris Judaeorum, diſtinguendam eſſe materiam & formam, neque adeo dici poſſe, Talmud non ante ſeculum IX. confectum eſſe, ſi vel maxime non ante illam aetatem, hac forma quam habet, prodiiſſet: ipſe quoque Morinus de Talmude, vel potius Gemara Babylonica loquens, quam aetate ſua, vel potius compilatione infra Hieroſolymitanam ſubſiſtere norunt omnes, diſertis verbis profitetur & argumentis probare ſatagit, eam *paucis annis ante annum Chriſti ſeptingenteſimum abſolutam eſſe. Exerc. Bibl.* lib. II. *Exerc.* II. cap. III.

AD ARTICULUM II.

Hodierni Hebraici codices quam ſint ſibi inter ſe ac veteribus conſimiles.

Jam, ut palam faciat, ex ſola Hebr. codicum collatione nil erui poſſe pro vera & genuina lectione ſtabilienda, in anteceſſum obſervat contra Buxtorfium filium, codices noſtros, etſi inter ſe multis modis conveniant, tamen haud raro etiam diſcrepare, ſive *puncta vocalia* ſpectes, ſive *literas* אהוי, ſive *ceteras Hebraicorum vocabulorum literas.* Idque probat per partes, etſi non usque quaque feliciter. (*x*) Sed nec ejusmodi conſenſionem codicum ſta-

(*x*) Huc referam quod monet in notis: *Hebraicos codices non potuiſſe non ſape diſſimili modo punctari, cum aliis aliisque ſonis eadem vocabula, alus in regionibus efferrentur.* Quod ſane ejusmodi eſt, & tam alieno exemplo vocis *Miledi* (in *Miledi* commutandae, *ſi quis notare in deſcribendo volet, quomodo ab Anglis pronuncietur*) ibidem illuſtratur, ut hieme Britannica ſit frigidius. Ni forte mirari velis novum auctoris ἐπιχείρημα & acumen, quo immanem diſcrepantiam excuſare ſatagit, quae non poteſt non in oculos incurrere, cum lectio Maſileſi (auctoris Grammaticae a punctis liberae) cum lectione quam fundunt puncta vocalia contenditur.

Digitized by Google

ſtatuerat Buxtorfius, qua punctum puncto & conſona conſonae reſponderet, (vid. *Anticrit.* part. 1. c. 9. pag 161.) quin optet ibidem, *ut diſcrepantiae codicum MSS. ab aliquo Chriſtianorum colligerentur & publicarentur*; (y) Nec ſcio nunc quempiam eſſe, cui quidem MSS. Hebraica unquam ſunt viſa & examinata qui non agnoſcat in iis animadverti concordem aliquam diverſitatem, non ſolum in punctis vocalibus, vel apicibus literarum, ſed etiam in totis vocabulis, imo ſententiis. Mihi ſane in iis codicibus quos hactenus contrectavi, id adeo perſpicuum fuit & exemplis haud paucis comprobatum, ut minime dubitem, ex eorum quae nunc ſuperſunt collatione, ſi rite & accurate inſtituatur, ut ſpes eſt fore, emendari locos longe plurimos poſſe & rectiſſime definiri. Neque etiam negari poteſt, quod & ipſe Hubigantius fatetur in progreſſu, Judaeos hoc ſtudium notandarum variarum lectionum haud perſunctorie occupatos tenuiſſe.

Deinde propius accedit ad propoſitum, demonſtraturus, ſi fors tulerit, codices noſtros inter ſe quidem ſic ſatis convenire, ſed tamen in iis locis in quibus apprime conſpirant, paſſim multis modis diſcrepare ab eorum codicum lectione qui olim extiterunt, h. e. ad quos Hieronymus, Symmachus, Aquila & Theodotio, nec non LXX. interpretes verſiones ſuas adornarunt: ut qui alias ſaepe quam nos, conſonas legant, neque inter ſe invicem conveniant, indeque magnum praejudicium contra auctoritatem noſtrorum codicum ſubnaſci. *Quod ſi in ſuperiora Judaeis ſupra dictis tempora inquirimus* ſic ſcribit (z) *reperimus quantam temporum, tantam ejusmodi varietatum factam fuiſſe acceſſionem. Quippe Hieronymus alias ſaepe quam nos conſonas legebat: etiam alias, teſte Hieronymo & teſtibus Origenis Hexaplis, nunc Aquila, nunc Symmachus, nunc Theodotio, quam ipſe Hieronymus. Septuaginta vero interpretes mirum quam ſaepe alias, quam illi mox nominati. Qua ex diſcordia recentiorum codicum id efficitur, ut ſut levis ſit auctoritatis concordia recentiorum*

Ratiocinium Hubigantii, quantum aſſequor, huc redit: Si codices Hebraici eo temporis intervallo quo hi interpretes vixerunt, adeo diſcreparunt, labente aevo adhuc magis debent diſcrepaſſe. Si labente aevo magis diſcreparunt, oportet ut ea varietas & diſcrepantia actu ipſo noſtris in codicibus nunc obſervetur. Sed non obſervatur: nam codices noſtri paſſim inter ſe conveniunt, differunt vero a veteribus. Ergo haec codicum noſtrorum convenientia & conſpiratio ſat levis eſt momenti.

Lubet obſervare, antequam ad hujus argumenti confutationem progrediar, agi de eo, num veterum codicum lectio quae cum ratione ex verſionibus colligitur, ſit praeferenda lectioni codicum noſtrorum, atque an lectio aliqua ſit levis auctoritatis, quia noſtri codices circa eam conſpirant, diſcrepant autem veteres. Haec vero quaeſtio, ſi ſapimus, non ex ſola differentia & antiqui-

(y) Conf. tract. *de Punctor. Antiquit.* part. 1. n. 6. & quae contra Capellum, hanc ſententiam Buxtorfio obtrudentem in *Epiſt. Apolog. ad J. Vſſerium* pag. 10. diſputavit Bootius in ſua ad eundem Vſſerium epiſtola.

(z) A. 14. B. 7. 8. C. 6.

quitate codicum definienda erat, ſed ex ipſius lectionis natura & praeſtantia, de qua conſtare debet ex rite inſtituto ejus examine; atque adeo, ut concordia codicum recentiorum ſit levis momenti, lectionem horum codicum abſurdam & illa pejorem eſſe debere, non ſufficere quod diſcrepent veteres, ut voluit Noſter.

Nunc quod ad ipſum argumentum attinet, quod ipſi Achilleum eſſe videtur: principio non procedit aut cohaeret quod dicitur, codices unde laudatae verſiones concinnatae ſunt, inter ſe olim variarunt, ergo ceteri quos ſequior aetas tulit, multo magis debent variaſſe; obſtat enim quod ſecutorum temporum deſcriptores, & meliores codices habuiſſe poterant, & errores veterum correxiſſe. Quaeritur etiam num haec veterum a noſtris codicibus variatio fuerit codicum optimorum, & an univerſalis? Id quod ſecus eſſe vel hinc manifeſtum eſt, quod ipſo Capello profitente *Critic.* pag. 314. noſtram lectionem confirment paraphraſes Onkeloſi & Jonathanis Uzielidis: (*a*) neque ab ea admodum recedat verſio Aquilae: ex cujus cum verſione Symmachi & Theodotionis collatione id liquide colligitur, eas in lectione noſtrorum codicum tuenda velut in uno aliquo tertio convenire; niſi quod in Theodotione aliquanto minor fuerit peritia Hebraiſmi, & hinc paulo major quam par erat τ̃ ὲ imitatio.

Deinde agnoſco quidem variationem in verſionibus ſupra memoratis ſive inter ſe ſpectentur, ſive in relatione ad contextum quem nunc habemus, Hebraicum. Sed codices qui ea aetate extitere qua confectae ſunt, aut inter ſe aut a noſtris tantopere diſcrepaſſe, ut auctor voluit, nondum perſuadeor. Poſſunt enim illius diverſitatis & multae & graves allegari cauſae: quo pertinet, quod Graeci interpretes quos LXX vocamus, codice uſi videantur charactere rudiore, qualis ad Phoenicium proxime accedebat, exarato, ſaltem non ſatis curate deſcripto, nec emendato, addo etiam, nec ſignis vocalium inſtructo: quod ſono verborum & ſimilitudine literarum ſaepe numero decepti ſint: quod in gratiam contribulium ſaepe paraphraſtas agant, non interpretes: denique quod verſio illa multis modis corrupta & interpolata ad noſtras manus devenerit; (*b*) & vera lectio ejus in innumeris locis nobis adhuc ſit incognita & iniquitate temporum inviſa. Contra Hieronymus τ̃ ὲ vitia ſectetur & notiones vocum ab Judaeis, & quis neget ab Arabibus acceptas, paſſim verſionibus ſuis adſpergat, non fauſta ſemper Minerva, nec Hebraicae linguae periſſimus fuerit: rurſus Aquila nimis literam premat, eoque nomine differat a verſionibus antea laudatis.

Vel

(*a*) Novi quidem Cl. Kennicottum multis argumentis contendere quod paraphraſes Chaldaicae corruptae ſint in gratiam ante corrupti textus Hebraici. Sed haec criminatio praecipue earum editores ſpectat, textumque Hebraicum reſpicit, qualis habetur in libris impreſſis, non in MSS. de quibus hic agitur. vid. *The ſtate of the printed text* Diſſ. II. c. 2.

(*b*) Conf. Jo. Ern. Grabe Diſſ. *de variis vitiis* LXX. *interp.* Oxon. 1710. Quod autem verſio ea olim magis cum textu Hebraico qualem eum nunc habemus, convenerit, ex quorundam Patrum qui ante Origenem vixerunt, qualis eſt Juſtinus Martyr, allegationibus conficitur. Exempla dabit Cl. Stroth in *Repertario fur Bibliſche und morgenlandiſche litteratur* part. II. pag. 66. ſeq.

Vel ſic tamen Noſter certus victoriae, ovans & ſibi plaudens, ſubtexit: *Neque vero ego introſpicio, argumentationi noſtrae quid verum poſſit reſponderi: Hebraicorum codicum de re aliqua una concordia tum levis eſt auctoritatis, cum de eadem re novi codices cum novis concordant, a veteribus diſcrepant. Atqui de multis literis conſonis novi codices cum novis concordant, a veteribus diſcrepant. Ergo* &c.

Quid ad hoc argumentum, a Capello jam in medium allatum, reſponderit Buxtorfius, noſtra parum refert, & plenius rectiusque cognoſces ex *Anticrit.* part. I. capp. 7. 8. 9. quam ex Hubigantii verbis. Hoc monere adtinet, ſi *parum ſapienter* in hoc argumento refutando verſatus ſit Buxtorfius, ut obſervat in progreſſu, vel nimius in hodierni textus lectione tuenda, qua de re nunc non diſputo, haud magis ſapienter eum illud a Capello ſuo mutuo accepiſſe. Nititur enim hypotheſi, ſi non falſa, ſaltem nondum probata. Probari quippe antea debebat, veteres codices, ſi revera a noſtris tantopere diſcreparunt, (*c*) & hos praeſertim quos adhibuerunt interpretes ſupra memorati, magis correctos melioreſque fuiſſe, quam ſunt noſtri: aut deſcriptores eorum magis errore vacaſſe quam hi qui noſtros deſcripſerunt. Cujus rei contrarium vel hinc manifeſtum eſt, quod verſiones in locis difficilioribus nos haud raro deſtituant: quin ſaepe iisdem erroribus patrocinentur qui noſtris in codicibus & editionibus ſunt pervulgati. (*d*)

Porro, qui de differentia noſtrorum codicum a veteribus judicium vult interponere, is horum & illorum codicum lectionem probe cognitam habere debet ac perſpectam: Jam vero Hubigantius nec lectionem veterum codicum probe perſpectam habere poteſt nec recentiorum. Non *veterum*, quia nusquam extant, niſi in quibusdam fragmentis, non ſane omni exceptione majoribus; et vero ex verſionibus ad contextum argumentari, etſi me Judice in multis caſibus liceat, tamen nemo neſcit, quam ſit difficile, quam periculoſae aleae plenum: maxime cum verſionum praecipua dos ſit, non verbum ex verbo reddere, ſed ſententiam: & verſiones, quas memorat Noſter, ſua fata habuerint, nec ea puritate ad nos devenerint, qua ab auctoribus ſunt profectae, neque ſibi conſtent, aut inter ſe conveniant. Quae quidem verſionum veterum varietates ſi pro totidem variis lectionibus haberi debent, quam varius olim fuit codex Hebraicus! quam vaga & fluxa ejus lectio! Sed hac de re infra, cum devenerimus ad tertium fontem emendationis, codicibus noſtris impertiendae, ad cap. III. Art. III. Quam feliciter autem Noſter in eruendis & adplicandis his variis lectionibus verſatus ſit, ejus rei documenta nobis occurrent capite ſequenti.

No-

(*c*) Hoc non immerito in dubium vocatur a quibusdam. Sane vero cum hodierni codices nonnulli haud paucas lectiones ſuffragio ſuo confirment, quas prae ſe ferunt verſiones antiquae, uti affirmavit & exemplis comprobavit Cl. Kennicottus Diſſ. I. & II. reprobat autem *Maſora*, ea res anſam dedit paradoxae Cl. Tychſenii ſententiae, quam propoſuit in *Tentamine de variis codicum Hebraicor. generibus*, videlicet codices eos a non Judaeis fuiſſe deſcriptos, & ad verſiones veteres conformatos.

(*d*) Vid. v. c. Exod. XVII. 16. Jeſ. LII. 8,

Neque magis *recentiorum*, vel *novorum*, ut vocat, codicum qui nunc exiſtunt, lectionem cognitam habere poteſt noſter Ariſtarchus, quia pauciſſimos inſpexit, conſtatque pauciſſimos, nec omnes accurate eſſe collatos: & ſpes haud vana eſt fore, ut ex ceterorum ſedulo & diligenti examine, noſtrorum codicum a veteribus vera & comprobata, non apparens vel vitio creata differentia magis magisque removeatur.

Sed efficiet Noſter cum Morino, ut lectionis hodiernae auctoritas, conſenſu noſtrorum codicum firmata, uno quaſi niſu confracta, labatur, abeatque in auras! Statuerat Buxtorfius, *ſi qua eſſet verſionum veterum cum hodierno contextu differentia; eam fuiſſe natam ex interpretum veterum ipſis erroribus, non autem ab ipſa codicum varietate aut ab ulla veterum cum novis diſcordia*, (qua in re procul dubio modum exceſſit;) Atque hoc ut conficeret, Lud. Capellum, adverſarium ſuum, urſerat interrogando (non ſane prorſus abſurde) *quonam pacto fieri potuiſſet, ut Hebraei codices, poſtquam olim multis modis fuiſſent diſſimiles, poſtea tam ſimiles quam nunc ſunt, evaſiſſent; praeſertim cum factae mutationis nulla memoria extet?*

Ad hanc igitur quaeſtionem ut reſpondeat Hubigantius & Capello laboranti opem ferat, obſervat cum Morino atque docet. (*e*) *Judaeos illud ipſum indocto ſilentio praetermiſiſſe; ex quorum libris haec tantum eruere liceat: Poſtquam Judaei rem punctariam excogitaſſent, cujus ope Hebraici codices, ſeu dictantis ab ore facile deſcriberentur aut emendarentur, ſeu in Synagogis ſine punctis expedite legerentur, tum ab ipſis exſcribendorum codicum curam fuiſſe aſſumtam. Deinde codices nuper deſcriptos ab Judaeis magiſtris fuiſſe adprobatos: eoque factum fuiſſe, ut floreſcentibus novis codicibus fuerint veteres neglecti atque deſpecti. Etenim novos codices magiſtri Judaei non modo ſuo ſuffragio & ſua auctoritate muniebant, ſed praeterea gravibus poenis ſanciebant, ne quis domi ullum codicem aſſervaret, qui mendoſe fuiſſet deſcriptus. Et mendoſe deſcriptus ille codex cenſebatur, qui cum novis codicibus non conſentiret. Itaque vetuſti codices, ſi qui tum ſupereſſent, quoniam novum deſcribendi morem non referebant omnes fuerunt repudiati: iidemque ſive lacerati, ſive combuſti, ſeu humo ſepulti, ſenatu ſic volente, jacuere. Haec omnia didicerat ex Rab. Judaeorum libris Joan. Morinus.* (*) Libros omnes ſuis non ſimiles, *inquit*, ut profanos condemnarunt; qua ſententia factum eſt, ut uno aut altero ſeculo omnes libri antiqui perirent, Judaeis omnibus certatim ad Maſoreticos, ut caſtigatiores, concurrentibus, atque ab eorum exemplaribus ſua deſcribentibus.

Hic Rhodus, hic ſaltus! Quam vellem vero ut Morinus haec effata ſua aliquo teſtimonio idoneo confirmaſſet! Sed non erat ea Jo. Morini in ſcriptis Judaeorum peritia & exercitatio, ut tale quid ab ipſo expectem: quem in Judaeorum teſtimoniis intelligendis & recte interpretandis adeo non peritum, aut fidelem fuiſſe conſtat, ut ea propter cenſuras ſibi perquam ſaepe contraxerit Muiſii, Hottingeri, Buxtorfii & aliorum: quarum nonullas ipſe agnoſcit, cum alibi, tum in epiſtola quadam ad Buxtorfium filium data. (*f*)

Scio

(*e*) A 15. 16. B 8. 9. C. 6. 7.

(*) *Diatribe Elenctica pag. 92.*

(*f*) Hanc vide in epiſtolis quae ſub titulo *Antiquitatum Eccleſiae Orientalis* prodierunt Londini 1682. pag. 349. Confer etiam Morini vitam his epiſtolis praefixam.

Digitized by Google

Scio autem quid fraudi ſuerit Morino, vel quo potius ſuco ad faciendum glaucoma utatur. Judaei Talmudiſtae hic illic regulas condiderunt in deſcribendis Hebraeis codicibus obſervandas. Has collegit & volumini legis in uſum contribulium deſcribendo adplicavit R. Moſes Maimonides vulgo Aegyptius dictus, in *Hilchoth ſepher thora*, qui tractatus extat part. I. lib. II. operis *Jad Chazaka*. In eo paſſim dicitur codicem mendoſe deſcriptum *domi non eſſe ſervandum, ſed ſepeliendum.* (g) Sed quod addit Morinus, *mendoſe deſcriptum eum codicem cenſeri qui cum novis codicibus non conſentiret*, id vero falſiſſimum eſt. Contra ea adparet, cum ex eodem tractatu Maimonidis, (*h*) tum ex aliis ejusdem tractatibus quae habentur ibidem, & aliorum Judaeorum teſtimoniis, quae collegit Wolfius *Bibl. Heb.* Part. II. ſect. 11. pag. 189 293. codices Judaeorum emendari & corrigi debuiſſe ad aliquod exemplar vetuſtum, cujusmodi eos hoc fine habuiſſe in Babylonia, Palaeſtina, Hiſpania, Aegypto & reliquo Oriente, tam certo ex his auctoribus conſtat, ut etiam ſuis quodque nominibus diſtinxerint. Et quod ſpeciatim ad Maimonidem adtinet, adparet ex cap. x. regulas quas tradit in deſcribendis legis voluminibus obſervandas, ni rejicula fiant & ſepelienda ſint, potius formam ſpectare, quam materiam. Nihil vero ſive apud Maimonidem, ſive apud alios alicujus auctoritatis ſcriptores Judaeos de ſenatu aut communi quodam Ariſtarcho ad cujus ſuffragium & auctoritatem codices corrigerentur; (*i*) oportuiſſet enim ejusmodi ſenatum etiam in remotiſſimis regionibus (*k*) haberi, non ſolum apud *Rabbanitas*, verum & apud *Karaeos!*

Jam quis non miretur Morini audaciam, ejusmodi aſſertum in publicum protrudentis, ſine teſte, aut alia ratione probabili? vel noſtri critici accuſet facilitatem, qui ut vara vibiam, ſic errantem ſequitur? Sane vero Capellus, quum Buxtorfio ſciſcitanti, quonam pacto fieri potuerit, *ut codices Hebraici*, etiam qui ex remotiſſimis oris adſeruntur, *poſtquam olim fuiſſent multis modis diſſimiles, poſtea evaſiſſent tam ſimiles quam nunc ſunt, cum factae* (tam univerſalis) *mutationis nulla memoria extet*, nihil reſpondere maluit & rem ſilentio involvere, quam ſoli urenti nebulam objicere cito diſparituram, & conſcientiam malae cauſae, & ſuam animi probitatem demonſtravit. Atque idem ſi feciſſet Noſter, cauſae ſuae melius conſuluiſſet, quam nunc, cum vadimonium deſerit, ubi ad probationem argumenti deventum eſt, in quo cardo rei potiſſimum vertitur, & quo ſtante, noſtrorum codicum auctoritas omnis vacillat caditque.

Me-

(g) Conſ. cap. VII. §. 12. X. §. 3.
(h) Cap. VII. §. 2. 12. VIII. §. 4.
(*i*) Dicit quidem Maimonides in *Hilchot Sepher thora* cap. VII. §. 2. exemplar regis corrigendum fuiſſe ex libro quod in atrio ſervabatur, *ſecundum os* i. e. juſſu *Synedrii magni*. Sed non ſpero quenquam tam ineptum tamque cerebro vacuum futurum eſſe, ut ex hoc dicto Maimonidis aliorumque Judaeorum, quo auctoritatem regum deprimere et Synedrio obnoxiam facere ſtudent, aliquid in contrarium elicere velit.
(*k*) v. c. in regno Sinenſi, in quo jam inde ab antiquiſſima memoria Judaeos extitiſſe qui codices MSS habebant, nos haud ita pridem docuit Gabr. Brotier in commentatione quadam de Judaeis Sinenſibus, cujus argumentum vide apud Cl. Michaelis in *Orient. Bibl.* part. V. p. 73. ſeq

Memini quidem Morinum in *Exercitationibus Biblicis* lib. I. exerc. 1. cap. 6. ex quorundam recentiorum Judaeorum verbis obtorto collo & perquam violenter ad ſuffragationem deductis, probare velle Judaeos ad annum Chriſti milleſimum univerſos codices depravare potuiſſe, indeque alicubi concludere: ergo revera depravaſſe. Sed vix ſcio, an usquam ſuam in dijudicandis Judaeorum teſtimoniis infantiam aliquo indicio manifeſtiore prodiderit, quam ipſo illo capite. Scilicet, ſi eum audias, *nonnulli Judaei* (ſerioris aevi, traditionum promachi, & ſuarum rerum jactatores inepti,) *contendunt Synedrium magnum*, (quod jam diu ante deſierat) *duraviſſe usque ad Talmudis collectionem, quae annum 680. non praeceſſit. Igitur ad hoc usque tempus Judaei unico decreto codices ſuos omnes depravare potuerunt. Poſt Talmudis collectionem illud Synedrium in Babylonia inſtauratum fuit, Pumbedithae, Sorae, Nehardeae, in quibus locis ſcholarum magiſtri, ſynagogarum rectores & captivitatis principes Synedrii M. vice fungebantur. Eos conſulebant Judaei per univerſum orbem diſperſi, teſte auctore libri Juchaſin. Iſta conſuetudo obſervata fuit usque ad annum Chriſti* 990. *Itaque Senatus ejusmodi* αὐλοκρατορικῶς *ad annum ſalutis milleſimum omnes Judaeorum libros depravare potuit.*

Finem ſcribendi non invenirem, ſi quae iſto capite dicuntur omnia & ſingula excutere, & ad examen vocare vellem. Quot & quanta vero hic non ſupponuntur quae erant probanda! cujusmodi eſt illud, quod Judaei iſti in re ejusmodi, ubi non obſcura fraudis & partium ſtudii eſt ſuſpicio, atque ubi contrariis ſuismet & aliorum teſtimoniis, (*l*) erroris arguuntur, teſtimonium ferre idoneum potuerint. Ne nunc dicam, quod omnes norunt, Judaeorum hiſtoriam poſtquam patria expulſi ſunt, & in primis hanc partem ejus, multis nugis & fabulis refertam eſſe. Eſto etiam, horum auctorum explorata eſſe omnia, quae de Synedriis dicuntur. Nego vel verbulum in iis haberi, quod rei de qua hic agitur, ſuſpicionem faciat. Et quis credat Judaeos quaquaverſum per totum terrarum orbem diſperſos in re tanti momenti voluiſſe, aut potuiſſe umbraticis ejusmodi Synedriis obedire, qualia in Palaeſtina & Babylonia ex Caeſarum aliorumque principum indulitu ipſis forte fortuna concedebantur, quibusque non opus erat, poſtquam calculus aſtronomicus ad feſtorum & noviluniorum obſervationem apud ipſos ſemel erat conſtitutus? Atque, ut plura non addam, (*m*) quis ferat ſic arguentem: *Judaei codices ſuos depravare potuerunt, ergo reapſe depravarunt?* quando ipſo docente Morino ibid. lib. I. cap. 3. & 4. quidem antiqui patres Eccleſiae illam ſententiam amplexi ſunt, Judaeos in odium Chriſtianorum codices corrupiſſe; ſed tamen doctores Chriſtiani bene multi, Patres inſecuti, eam ſententiam improbarunt & confutarunt: videlicet meliora edocti & Hebraicae linguae gnari.

A R-

(*l*) Teſtimonia haec vide apud Seldenum *De Synedr.* lib. II. cap. xv. §. 10. & ca xvi. §. 10.

(*m*) Quae videri poſſunt apud Sim. de Muis in *Aſſertione Hebr. verit. altera* pag. 14. ſeq.

AD ARTICULUM III.

Hodierni Hebraici codices an fuerint accurate deſcripti; an Maſora eſſe potuerit codicum emendatrix.

Hactenus demonſtrare conatus erat Criticus noſter codices qui hodie extant haud multae auctoritatis eſſe, primo quia non antiqui ſunt, Art. I. ſecundo quia non conformes veteribus, Art. II. Nunc tertium arietem admovet, oſtenſurus, ſi fieri poſſit, hoc Art. III. eos non eſſe accurate deſcriptos. Hoc nomine docet (*n*) „ editores codicis Hebraici, in qui-
„ bus praecipuus ipſi eſt Everh. van der Hoogt, ejus rei contrarium pro ex-
„ plorato habuiſſe, cum quia plurimum crediderint Judaeis hoc aſſerentibus,
„ eosque exiſtimaverint mirifica doctrina ad id inſtructos fuiſſe, tum quia
„ hoc praeſtari potuiſſe putariut opera Maſorae, quae ſit ſepimentnm legis.
„ Utrumque tamen ſilentio praeteriri ab Eccleſiae veteris ſcriptoribus, &
„ recte: poſtquam enim lux Evangelii coorta ſit, Judaeos recentiores his tra-
„ ditionibus, & fictis Maſorae miraculis, ad laudem ſuae gentis abuſos eſſe,
„ & Chriſtianis ſtrenue impoſuiſſe; qui tamen Chriſtiani meliora doceri po-
„ tuiſſent, ſi non aliquorum recentiorum de faece Judaeorum recoctas fabu-
„ las, ſed aliorum Judaeorum eorumque ſapientium libros Chaldaice ſcrip-
„ tos legiſſent, quo facto animadvertiſſent, Judaeos, ut quisque eorum ſa-
„ na mente praeditus erat, ita maxime Maſorethas & ipſorum opus vitupe-
„ raſſe. „ Quem in finem dein teſtimonia Judae Levitae, auctoris libri *Coſri*, & Ephodaei, prout ea citaverat Morinus *Exerc. Sam.* IV. pag. 345. & *Exerc. Bibl.* pag. 422. 423. (*o*) bona fide huc tranſcribit, ac ſi hi auctores Maſorethas vituperaſſent; quod tamen ſecus eſt, ut in progreſſu videbimus.

Ne quid dicam de ſilentio ſcriptorum Eccleſiae veteris, quod procul dubio ex eorum in rebus Judaicis ignorantia & Maſorae, ſi forte ipſis innotuit, conciſis formulis & dialecti difficultate derivandum eſt, juvat tibi, Lector, antequam ad alia pedem promoveam, juvat, inquam, illum locum Judae Levitae, qui extat in *Coſri* part. III. §. 31. fin. & §. 32. init. etſi ad propoſitum haud multum faciat, tamen integrum repraeſentare & tuo judicio ſubjicere, quo horum diſputatorum gentile vitium, imperitiam Hebraiſmi & in allegandis auctorum teſtimoniis ſubleſtam fidem, novo aliquo ſpecimine (*p*) cognoſcas. Quae laudat Hubigantius, verba ſunt Judaei, qui tractatu illo in colloquium deducitur cum rege Coſar, Judaicam religionem

(*n*) A. 18-25. B 9-12. C. 7-9.

(*o*) Adde Jo. Morini epiſtolam ad Jo. Buxtorfium filium quae eſt numero LXX. in *Antiquitatibus Eccleſiae orientalis* pag. 358. ſeq. & ad Lud. Capellum quae reperitur num. LXXII. ibid.

(*p*) Alia exempla dedit de Muis in *Aſſertione Heb. veris.* pag. 139. ſeq. et appendice ad pag. 147. ſeq. atque alibi.

Digitized by Google

nem tandem amplexuro. Huic ut demonſtretur numerationem literarum & ſcriptiones extraordinarias ab Eſra & Viris Synagogae magnae acceptas & Eccleſiae traditas eſſe, obſervatur §. 31. operam admirabilem & plane ſtupendam, quin imo divinam, eſſe punctationem, accentuationem & Maſoram, utpote qua non modo verſus, ſed vel ſingulae literae numeratae ſint. Verba Judaei ſunt iſta: ומה החשוב על אשר תקנו המקרא בפסוקים תחלה ואחר כן בנקוד ואחר כן במסורות על שמירת המלא והחסר עד אשר מנו אותיותיה וכררו כי ויו דגחון חצי התורה ושמירת. כל נכרי מקמץ ופתח וצרי וסגול יוצא מן ההקשה יהראה שמעשיהם כיה לריק ולבטלה או תשתדלות בדברי חובה: Quae vertimus ad vim vocûm: *Ecquid cenſes de eo quod ordinarunt textum ſcripturae per verſus primo, & deinde per punctationem, tum poſtea per Maſoram, ad obſervationem vocum plene & defective ſcribendarum; eo usque ut numeraverint ejus literas & notaverint quod Vau in* גחון (Levit. XI. 42. Reſpicit locum in Kidduſchin fol. 30. col. 1.) *ſit media Pentateuchi litera; & de obſervatione omnis ſcriptionis peregrinae de kamets, patach & tſeri & ſaegol, cum praeter regulam ordinariam ſcribuntur. Num videntur tibi labores eorum in his vani & fruſtranei fuiſſe; an vero potius occupatio circa res debitas ac neceſſarias?* Nota, quod חובה *neceſſarium* vel *debitum* ſignificet ad quod quis obligatus eſt, & apud Talmudicos opponatur רשות quod *liberum & cujusque arbitrio eſt permiſſum.* Sic זבחי חובה ſunt *ſacrificia debita*, ad quae quis obligatus eſt, & זבחי רשות *libera.* vid. Siphra *fol.* 20. 2. & ita in aliis caſibus paſſim. Atque ne dubites, hanc eſſe verborum ſententiam quam diximus, en tibi quae reſpondet Coſri paragrapho ſequenti 32. אמר הכוזרי אבל התשדלות בדבר חובה עם שמירת הורה שלא יהיה דרך לשנותה׃ *Reſpondet Coſri, certe occupatio fuit circa rem utilem & neceſſariam, conjuncta cum cuſtodia legis, ne ulla ratione ea mutari poſſet*; cujus aſſerti mox in ſequentibus redduntur cauſae. (*q*) Confer jam quae habet Morinus locc. citt. & judica. Neque in allegando altero Ephodaei loco rectius verſatus eſt Noſter. Integrum nec mutilatum vide apud Hotting. *Theſ. Phil.* pag 410. (*r*)

His praemiſſis, ad ipſam accedit Maſoram, traditurus eam nec eſſe potuiſſe *codicum emendatricem*, nec *ſepem legis*, nec *concordantiarum* vicem praeſtare, nec ipſis Judaeis potuiſſe utilem eſſe; & poſt generalem diviſionem ejus, non ſane prorſus adaequatam, quid frugis ſpondeat, tandem exponit. (*s*) *Maſora duplex eſt, antiqua & nova. Maſora antiqua initium longe antea ſumſit, quam eſſent puncta vocalia. Ea in notis quibusdam brevibus tota conſiſtit, quas* Keri & Cetib *vocant. — Maſora nova in magnam dividitur & parvam. Parva magnam ſummatim continet & Bibliorum in quorundam marginibus, per compendia quaedam, ſeu abbreviaturas, deſcripta legitur. — Per Maſoram novam docemur quot ſint ſectiones, verſus*, &c. Mirum videri & quaeri poterat, cum hu-

(*q*) H vide apud Buxtorfium *de Punctor. orig. & antiq.* pag. 31.
(*r*) Conf etiam de Muis *Cenſuram in Morini Exerc. IV.* p. 158. et in *Caſtigatione Animadverſionum Jo. Morini* VI. pag. 41.
(*s*) A. 23. 24. B. 12. C. 9.

hujus Maſorae novae, tanquam operis non nudius tertius demum ſuſcepti, mentio fiat in Talmude Babylonico, & tractatu quidem Kidduſchin, loco ante citato, (*t*) Talmud vero Babylonicum, ex communi Judaeorum & Chriſtianorum computo & ipſius Morini conſenſu, compilatum ſit ſeculo VI, ut vidimus ad Art. I. ſub finem, qui ſcire potuerit, hanc Maſorae partem tam novam eſſe & illa poſteriorem?

Sed hoc habet. Sequitur dein ipſius Maſorae quaedam deſcriptio ad mentem Morini maximam partem concepta, (*u*) qua occaſione opus iſtud Maſorethicum paſſim omnium deridiculo exponitur. Huc pertinet, (*x*) *quod doceamur per Maſoram quot ſacris in codicibus ſint ſectiones, quot verſus, ſive ſectiones minores. Quarum rerum numerum Maſora notet literis Hebraicis ita conjunctis, ut aliquod vocabulum conficiant quod ſacri codicis certo in loco eſſe reperiatur; quaſi eos numeros eadem ipſa vocabula aenigmate adumbraſſent. Sic in fine Geneſis Maſora docet eſſe in Geneſi verſus* 91. *quem numerum duabus literis* צא *notat quae ſignificant* exi; *quod vocabulum habetur Gen.* VIII. 16. *eo ut lector intelligat, cum Deus ſuperſtiti ex diluvio Noe diceret*, exi (ex arca) *Deum aenigmate adumbraſſe fore olim in libro Geneſis verſus* צא, *ſive* 91. Obiter moneo Maſorethas tam ſtultos & cerebro vacuos non eſſe, ut hoc credant, aut aliis velint perſuadere; ſed morem Judaeis in uſum receptum eſſe ad memoriam juvandam. Multo enim rectius hos numeros, hoc ſubſidio, teneri oportebat, quam ſi, aut voces quas literae numerales forte fortuna efficiebant, nuſpiam in ſacro codice legerentur, aut numeri ſolis ſuis nominibus exprimerentur. Quis autem fando accepit, in Geneſi non niſi 91. verſus eſſe! Nempe eum numerum Maſora finalis adſignavit ſectionibus *clauſis* & *apertis*. Verſuum vero numerantur 1534.

Pergit ibidem: *Deinde per Maſoram docemur, quoties hoc aut illud vocabulum ſacro in codice legatur omnibus ſuis* אהוי *literis inſtructum; quoties earum aliqua, aut aliquibus deſtitutum — quoties hoc vel illud verbum, rem talem vel talem cum ſignificat, ſcriptum ſit hoc vel illo modo, vel punctatum; — quot verſus literam talem incipientes habeant, quot eandem medii, quot denique eandem deſinentes — quot verſus numerum verborum talem vel talem habeant — negationem* לא *quot verſus ſolitariam habeant, quot contra eandem conjunctione Vau comitatam -- quot in ſacris libris ſint verba, quot in quibusdam literae, quoties quaedam verba ſimul juncta recurrant -- quot ſint vacua intervalla quibus aliquid deſiderari ſignificetur & ſententiam relinqui ſuſpenſam et inchoatam — quot ſint literae majores, minores, ſuſpenſae, inverſae -- quoties literae finales in tota veteri lege legantur.* Atque ut abſurditatem inſtituti in oculis mentibusque omnium defigat, obſervat, (*y*) *Si qui ſint qui ad eum modum editiones librorum T. Livii conſtruendas ſuſciperent, a propoſito fine quam aberrarent & quam deſiperent, neminem eſſe qui non intelligat.*

Quam-

(*t*) Vid. pag. 19.
(*u*) *Exerc. Sam.* IV. c. VII. et *Exerc. Bibl.* lib. II. *exerc.* V. VI. 11.
(*x*) A. 25. B. 13. C. 10.
(*y*) A. 27. 28. B. 14. C. 10. 11.

Quamquam de uſu Maſorae quae noſtris codicibus adſpergitur, quod ad conſervandam ſacri codicis integritatem adtinet, non admodum magnifice ſentio, ut paulo inferius patebit, impetrare tamen a me non poſſum, ut auctores ejus ob id genus obſervationes, albis dentibus deridendos propinem. Neque enim ſi quid a noſtris moribus, aut noſtro ingenio alienum eſt, id illico relegandum ad Anticyras. Deinde, licet eorum quae a majoribus conſtituta ſunt, omnium non poſſit reddi ratio, vel ſic tamen exiſtimo quae hactenus ab Hubigantio recenſita ſunt tanquam ridicula, pleraque non modo ſic ſatis excuſari & defendi poſſe, ſed etiam uſu ſuo non caruiſſe: ſi nempe morem apud alios receptum, ſi naturam ſcriptionis Hebraicae & modum adſpiciamus quo veteres codices vel deſcripti ſunt, vel in plura exempla derivati. De quo argumento etiamſi ampliora ſpatia requirat, abſolvam tamen pro inſtituti mei ratione breviter.

Quicquid ſit de veterum στίχοις, de quibus poſt Salmaſium in *Prolegomenis* ad *Solinum* aliosque videri poteſt Balth. Stolbergius *Exercitationum Linguae Graecae* XI. pag. 409. ſeqq. patet ex auctorum veterum teſtimoniis & codicum exemplis quae producunt auctores citati, habetque Montefalconius *Palaeogr. Graec.* lib. I. cap. 4. libros vetuſtiſſimos paſſim ita exaratos eſſe, ut vel in commata, vel periodos, vel multo minora ſegmenta inciderentur. Horum ſegmentorum, vel ſi mavis στίχων numerum ipſi librorum auctores nonnunquam inibant, & ad calcem adſcribebant. Sic Fl. Joſephus ſub finem ἀρχαιολογίας in XX. libris iſtius operis reperiri notat ἓξ μυριάδας στίχων *verſuum myriades ſex.* Plerumque tamen hoc fiebat a librariis, vel Grammaticis. Alii hunc numerum in peculiares tabulas referebant, ut Callimachus cujus πίνακας memorat Laërtius lib. VIII. n. 86. & de quo plus vice ſimplici Athenaeus. Finis inſtituti erat, ut hoc modo de magnitudine librorum judicium ferri, ut foetus ſpurii & ſuppoſititii a genuinis diſtingui, atque ut intelligi poſſet, an deſcriptores ſimilitudine vocum aut literarum initialium decepti στίχους nonnullos omiſerint, vel etiam laciniam panno cetero adſuerint. Chriſtiani veteres non modo circa alios, ſed etiam circa libros Novi & Veteris teſtamenti, eadem accuratione & induſtria uſi ſunt. Talis fuit Euthalii Sulcenſis circa Actus Apoſtolicos & Epiſtolas pleraſque, nec non Nicephori Conſtantinopolitani, cui verſus numerati leguntur hoc modo: Γένεσις στίχοι ατ. Ἔξοδος στίχοι βω. Εὐαγγέλιον κατὰ Ματθαῖον στίχοι βφ. κατὰ Μάρκον στίχοι β. & ſic in ceteris. Similiter in vetere quodam codice bombycino Bibliothecae Regiae Pariſienſis n. 1888. qui eſt Catena in Heptateuchum, obſervante Monteſalconio, ab initio, verſiculorum numerus reponitur his verbis: ἔχει ἡ βίβλος τῆς γενέσεως στίχους δτ.

Sacrum Hebraeum codicem ab antiquiſſima memoria in verſus licet alios aliosque, (*a*) vel ſegmenta minora diviſum eſſe, dubitare nos non ſinunt ora-

(*a*) Verſus hi olim erant multo breviores, et, uti fas eſt credere, unam ſolum modo ſententiam complectebantur. Labente autem aevo plures id genus ſententiae eodem pertinentes et

orationis indoles & natura, et Chriſtianorum juxta & Judaeorum teſtimonium. Cum itaque Judaei Maſorehae horum verſuum numerum ſibi ineundum putarunt, ecquid fecerunt aliud, quam quod ipſi nonunquam auctores et librarii plerique, apud varias gentes, cum circa alios, tum circa libros veteris & novi teſtamenti, nec ſine gravi cauſa obſervarunt? Quis neget haud exiguum in deſcribendo aliquo auctore ejusque contextu accurate perluſtrando et conferendo praeſidium habere, aut ſaltem laboris quoddam conpendium eſſe, ſi quis norit quot verſibus vel inciſis ejus conſtet oratio, tum denique *quot verſus literam talem vel talem incipientes habeant?* qua poſtrema accuratione Hebraeorum librarii Graecos et Latinos certe ſuperarunt. Poterat ſane deſcripto: hoc ſubſidio inſtructus facile animadvertere, quos verſus forte omiſerat ſimilitudine literarum initialium deceptus, vel praeter rationem geminaverat.

Sed vero, *numerum verborum* ſibi definiendum ſumſerunt Maſorethae. Ita Noſter. Neque hujus curae ſacris libris impertitae poenituit Chriſtianos. Lambecius *Bibliothecae Vindob.* lib. III. pag. 47. codicis meminit IV. Evangeliorum Graeci, qui in fine ſingulorum Evangeliſtarum, non tantum numerum τ͂ στίχων, ſed & ῥημάτων habeat annexum. Inſtat: Maſorethas *quot verſus numerum verborum talem vel talem habeant, nonnunquam notaſſe.* Reſpondeo, verſus ſacri codicis in noſtris codicibus non eodem ſemper numero vocum abſolvi, alios perbreves eſſe, alios contra longiores; itaque operae pretium viſum eſſe Maſorethis hanc nonnullorum a ceteris differentiam obſervare. Adde jam, fieri potuiſſe, ut nonnulli codices alii hos verſus ſimilesque in binas aut plures partes diviſerint (quemadmodum olim ſacer codex, apud nonnullos Judaeos in multo breviora ſegmenta fuit diſtinctus, qua de re dubitare nos non ſinunt quorundam magiſtrorum teſtimonia quae extant in Kidduſchin fol. 30. col. 1. quo in loco verba Exod. XIX. 10. in Occidente diviſa dicuntur in tres partes) ecquid huic obſervationi ineſt vitii?

Quod ad ceteras Maſoretharum obſervationes adtinet, etſi earum promiſcue omnium cauſam in me ſuſcipere non velim, eſt tamen unde ſic ſatis poſſint excuſari: ſi recorderis Maſoram non eodem tempore, neque ab iisdem auctoriqus profectam eſſe, neque adeo, ut nunc ſeſe habet, ita ex auctorum manibus prodiiſſe: vel totam quantam codicibus noſtris adjectam eſſe. Alia v. c. Grammaticis deberi, alia quibusdam ſciolis recentioris aevi. Fac etiam, de lectionibus ſacri codicis nonnullis diſputatum eſſe in ſcholis, ut mos ferebat, atque

et aliquam relationem inter ſe habentes in unum comma contractae ſunt. Haec commata numerarunt Maſorethae; ita quidem, ut *priores* Maſorethae breviora & hinc plura conſtituerent, *poſteriores* vero longiora e[t] [id]e[o] propter pauciora. Cum poſtrema haec conſtitutio commatum non fauſta ſemper Minerva ſuſcepta ſit, & infelicior ſaepe eorum per accentus diviſio, optandum fuiſſet, ut editores V. T. huc animum advertiſſent, et contextum Hebraicum vel ſaltem libros poeticos ita in lucem edidiſſent, uti ſunt natura ſua in verſus vel στίχους et ſententias minores diviſi; quo modo multorum dictorum vera ratio et indoles et ſententiarum inter ſe invicem relatio, vel ἀλληλουχία, quin imo, vis et acumen longe rectius cognoſcerentur, quam nunc ſolet.

Digitized by Google

atque facili negotio intelliges v. gr. eorum obſervationem de verbis quibusdam ſimul junctis, quorum numerum & locum Maſora integra nec mutilata procul dubio definivit; nec non de negationis particula לא *quot verſus eam ſolitariam habeant, quot contra eandem conjunctione vav comitatam.* Quis autem neget fieri potuiſſe, ut eſſent nonnulli qui, vel praeeunte Chaldaeo interprete, vel alia de cauſa ſic ſatis probabili hanc conjunctionem particulae לא praemittendam putarent? quam in ſententiam nos ducit celebrata Maſoretis עיטור סופרים, *ablatio ſcribarum.*

De *vacuis intervallis* quae hinc inde in verſibus deprehenduntur, nolim alicui in mentem veniat, quod ſtatuit Noſter, Maſorethas ſuis notis ſignificare, *his intervallis aliquid deſiderari et ſententiam relinqui ſuſpenſam et inchoatam*, huc referens infra, (*b*) praeeunte Sam. codice & Graecis interpretibus, Gen. IV. 8. Nempe Maſora parva ad Gen. I. I. et XXXV. 21. nonnulla obſervat interſtitia quae hic illic in verſibus deprehenduntur, (פסקין vocant Judaei) eorumque numerum ad 25. te 28. reducit. Finis obſervationis eſt, notare hiatum in verbis qui forte fortuna in quibusdam codicibus (*c*) reperiebatur, non hiatum in ſenſu. Atque ut hoc intelligatur, teneri velim, in locis ceteris quae praeter Gen. IV. 8. a Maſorethis huc referuntur, ſenſum eodem modo procedentem et bene conſtitutum deprehendi: confer Deut. II. 8. Joſ. IV. I. VIII. 24. Judic. II. I. I Sam. XIV. 19. II. Sam. V. 2. aliaque id genus, quae omnium conſenſu ad פסקא transferuntur. Unde apparet quam parum ex hac Maſoretharum obſervatione lucrentur, qui Gen. IV. 8. lacunam ſtatuunt: (*d*) ut quam oportuiſſet & in aliis locis reperiri, in quibus, compendii cauſa, omittitur quod dictum vel factum eſſe clariſſimis verbis e ſequentibus colligi poteſt. vid. Gen. III. 22. 23. Jon. II. II. Pſalm. LIX. I.

Maſora quae literas *majores, minores, ſuſpenſas, inverſas*, aliasque extraordinarias notat, quas poſtremas deſcriptorum curioſa induſtria aliter pinxit atque ceteras, recentioris originis eſt, et aetate ſua infra illam ſubſiſtit. Neque vel ſic tamen praeter rationem ſuſcepta eſt, vel uſu ſuo caruit. Quod ſi enim ſupponas, literas illas extra ordinem pictas a privatis quibusdam veterum codicum poſſeſſoribus in memoriae ſubſidium adpictas eſſe, Maſorethas vero his notationibus ſuis, *quomodo Hebraei codices quos habebant, affecti eſſent notasſe memoriaeque tradidiſſe*, ut fas eſt credere & ipſe Hubigantius ſupra de Keri et Ketibh obſervat; ecquid ad eorum accurationem deſiderari poteſt amplius?

Quod ſpeciatim ad literas *ſuſpenſas* adtinet, quatuor in locis obvias Jud. XVIII. 30. Job. XXXVIII. 13. 15. Pſalm LXXX. 14. has diximus ſupra, non in omnibus codicibus, praeſertim antiquioribus, ſic expreſſas reperiri. Originem earum derivamus a more antiquo Judaeorum, literas inter ſcribendum omiſſas eo loco ſuſpendentium ubi exarari debuerant. Quod cum putarent deſcriptores

(*b*) A. 161. B. 81. C. 60.

(*c*) Hinc ſane R. Menachem de Lonzano in אור תורה fol. 2. col. 2. teſtatur in codicibus bonae notae, velut Hilleliano, Gen. IV. 8. non eſſe *Piſka*. verba ejus legi poſſunt apud Schwartzium *Exerc. IV de authentia textus Heb. Sam.* pag. 112.

(*d*) Cum Morino *Exerc. Sam.* III. cap. I. §. 4.

res nonulli deſtinato conſilio & cauſa alicujus myſterii factum eſſe, eundem harum literarum ſitum ſtudioſe obſervarunt. Certe in tribus poſtremis locis ſuſpenſa eſt litera ע, atque videri poterat agi de hoſtibus Eccleſiae, quos Judaei nominant *ſeptuaginta notiones mundi*. Numeri autem ſeptuagenarii apud Judaeos character cum ſit haec litera, quid vetat, quo minus cogitare potuerint Judaeorum ſcribae his locis et literis ſuſpenſis flagellari gentes quas diximus? Vel ſi hoc minus placeat, quis neget videri potuiſſe nonuullis, ſenſum horum locorum etiam absque his literis ſic ſatis eſſe conſtitutum? (e) Quidquid ſit, Maſorethae, ne quid extraordinarium ſine animadverſione praetermitterent, has literas juxta cum caeteris extraordinariis in tabulas ſuas retulerunt.

Maſora quae *literas finales* obſervat, etſi non antiqua ſit, nec in veterum Judaeorum rationes referri debeat, tamen ad codices accurate deſcribendos fuit apprime utilis. Admitte enim paulisper, quod me aliosque docuit uſus, literas quasdam finales in libris antiquioribus ita ſaepe exarari, ut non, uti nunc apud Judaeos ſolent, infra regulam vel lineam extendantur, ſed ut intra eam ſubſiſtant, intelliges quomodo v. c. *Chaph* finale cum *Daleth* medio vel initiali, *Mem* cum *Beth* aut *Samech*, *Nun* cum *Zain*, *Phe* cum *Thau* potuerint confundi. Adde jam, quod in columnis iſtis teretibus in quibus exarati ſunt libri V. T. Hebraici, contra quam nunc fit, vocabula in fine lineae vel regulae poſita ſic inciduntur et decurtentur, ut pars eorum ad praecedentem, pars ad ſequentem regulam referatur, atque facile perſpicies quae cauſa fuerit hujus obſervationis, qua ſine dubio voluerunt prohibere ne vocabulum ejusmodi dimidiatum facile pro integro vel toto haberetur, et viciſſim.

Jam ſi quis has Maſoretharum notas omnes ad noſtrum modulum exigere velit & tanquam frivolas & ineptas una ſpongia delendas putet, ignoſcat mihi non idem videri. Sunt enim monumenta accurationis Judaicae, e quibus patet qua ſcrupuloſa induſtria in deſcribendis & conferendis ſuis codicibus verſati ſint; habentque uſum non exiguum in critica ſacra. Quare tantum abeſt, ut Maſoram totam quantam repudiandam eſſe cenſeam, ut potius credam optandum nobis eſſe, ut Maſorae opus mitiorem fortunam eſſet expertum, atque ut in omnibus provinciis per quas Judaei quondam diſperſi ſunt, non abſimilis opera ab ipſorum majoribus fuiſſet ſuſcepta; quo facto futurum erat, ut plurimorum veterum codicum formam & habitum variasque lectiones felicius cognoſceremus. Quod ſi quis autem Maſorae in multis rebus otioſam ſubtilitatem & errores varios incuſet, non intercedo quidem ſi lubet. Sed qui tute homo es, vis ne Judaeum hominem exire de homine? Aut ſi quae improbae ſunt merces, anne tibi illico jactantur omnes?

Quare etiam illud ſimile quo Hubigantius inſtitutum hoc Maſoretharum ad T. Livii libros transfert et exagitat, non maximo cum judicio eſt ſelectum. Finge enim

(e) Sic ſane viſum eſt Anonymo cujus *Conjectura de literis in ſacro codice ſuſpenſis* extat in *Symb. literar. Bremenſibus* tom. I part. II. pag. 1. ſeqq.

enim, quod res & ratio nos jubent ſtatuere atque ipſe Hubigantius in *ſequentibus* fatetur, Maſorethas his animadverſionibus *Hebraei codices ſua aetate quomodo affecti eſſent, voluiſſe notare memoriaeque tradere*, (*f*) quid quaeſo in hoc eorum labore poteſt admodum reprehendi? Quis dubitet, ſi quis Grammaticorum veterum T. Livii codicem aliquem voluiſſet definire, et facere ne quis librarius in eo deſcribendo ceſpitaret, eum non multum diſſimili ratione fuiſſe inſtituturum? (*g*) niſi quod in Livio, quemadmodum in aliis Latinorum libris, obſervatio vocum plene & defective ſcriptarum, aliaque id genus Maſoretharum notamina non poſſent uſu venire. Unde ſimul apparet hoc ſimile haud parum claudicare.

Nec magis recte ſe habet quod in progreſſu inculcat: (*h*) *Maſorethas codices ſuos tales reliquiſſe, quales acceperant, neque illis deſcribendis artem criticam ullam adhibuiſſe.* Cauſam adjungens ejusmodi: *Neque vero etiam in Maſora illa tanta quanta eſt, usquam reperies de Hebr. contextu in melius mutando; ullum judicium, rationemve cenſoriam. Ut fruſtra eam Maſoram viri docti quidam ſic habeant, ut codicum emendatricem.* Quorſum enim aliter ſpectant notae *Keri* et *Ketibh*? quorſum עיטור סופרים, aliaeque id genus obſervationes, licet non optimo judicio, nec ſemper ad rationem Grammaticam ſuſceptae?

Quod vero addit, Maſoram non eſſe *ſepem legis*, (ita enim aliqui eam vocaverant, perperam ad Maſoram transferentes quod Judaei de decretis Synagogae magnae dixerant) neque per eam fieri potuiſſe, *ut ne deinceps intrare in ſacras paginas menda ulla poſſent*, (*i*) in eo nos habet facile conſentientes. (*k*) Concedo etiam, quod multis verbis et argumentis demonſtrare ſtudet: (*l*) Maſoram non *Concordantiarum* vicem praeſtare poſſe; quia non tota quanta, uti ab ipſis auctoribus profecta erat, in noſtris codicibus extat; & qui eam textui adſcripſerunt, multis modis decurtarunt.

Quod ſi tamen inde colligit in Maſora nihil opis eſſe ad codices bene deſcribendos, et Maſoram *ſcribis neque doctis neque indoctis* potuiſſe adjumento eſſe, ſed *omnino inutilem*, (*m*) in eo inſigniter fallitur, et modum excedit. Nemo enim negat, quod ſi quis voluerit, potuerit ſaltem in iis locis quos Maſorethae definiunt, eorum praeſcriptum ſequi, & lectionem a Maſorethis traditam ad poſteritatem transmittere; praeſertim cum hi loci quos deſignant Maſorethae, licet nec numeros capitum, nec verſuum notent, tamen Judaeis ſcribis vulgo ſint notiſſimi. Et vero hoc ita factum eſſe a Judaeis, et adhuc fieri, tam clare docet experientia, ut mirum ſit, qui potuerit Hubigantius in animum inducere, ut hac de re dubitaret, et tam multis verbis diſſereret.

Jam

(*f*) A. 29. B. 15. C. 11.
(*g*) Vid. ſupra pag. 21.
(*h*) A. 28. B. 14. C. 11.
(*i*) A. 30 31. B. 15. 16. C. 11. 12.
(*k*) Docuit id ex profeſſo Havemannus *in Hyle ex ſcriptis Judaeorum congeſta*, quae commentatio habetur in *Symbolis Bremenſibus* a C. Ikenio editis.
(*l*) A. 32 -- 37. B. 16. — 18. C. 13. 14.
(*m*) A. 37. 38. B. 19. C. 14. 15.

Jam ſi ſcire cupis, Lector, quorſum iſta quae tanto opere & adparatu diſputantur? *Uno verbo concludimus*: (ſic vela contrahit (*n*) *quoniam hodiernorum Hebraicorum codicum bonitatis neminem habemus Judaeorum de ſchola teſtem idoneum, ſuperest, ut, relicta Maſora, relictis Judaeis, codicum ſuorum nimiis laudatoribus, editiones Bibliorum quae ad codicum fidem factae ſuerunt, quaeque in manibus omnium ſunt, penitus inſpiciamus. Quod cum faciemus, ut conſtabit multa menda in ſuas editiones admiſiſſe editores, ita planum fiet, editionis bonae parandae ſi qua adjumenta ſunt, ea non ex hodiernis codicibus ſolis, ſed aliunde etiam eſſe conquirenda.* Siccine igitur oportet, ut hi ipſi Judaei, quorum operam in ſacrum codicem conſumtam tot tamque variis modis minuerat ac depreſſerat Noſter, nunc fidem ſuam interponant, ut nobis conſtet de noſtrorum codicum bonitate? Siccine omnis diſputatio haec magno verborum ambitu & per multas ambages ſuſcepta, eo tetendit, ut doceremur, quod nemo negat, editiones noſtras quae ad fidem codicum adornatae ſunt, non eſſe ſine mendis? Demens ſim, ſi credam. Quod ſi enim hanc ipſam hujus capitis concluſionem cum his quae anteceſſerunt, (*o*) nec non cum ſequentibus confero, non ſolum editiones, ſed etiam codices noſtri omnes mendis plurimis et quidem univerſalibus ab ipſis Judaeis de induſtria referti ſunt, quos tollere non poſſis, niſi accedant praeſidia alibi quaeſita, hoc eſt, niſi accedat vel Samaritani codicis, vel veterum interpretum, et in his Vulgatae, vel alia his major auctoritas.

(*n*) A. 50. 51. B. 25. C. 19.
(*o*) A. 16. B. 8. C. 6.

Digitized by Google

EXERCITATIO SECUNDA
AD
CAR. FR. HUBIGANTII
PROLEGOMENA
CAPUT SECUNDUM
QUOD INSCRIBITUR

Hebraicorum Bibliorum editiones quam ſint mendoſae.

POſtquam multis verbis docere ſategerat Hubigantius quomodo Judaeorum culpa et conſilio factum ſit, ut noſtri codices tam corrupti ſint, tamque multis et variis naevis et defectibus laborent, nunc, verſis velis et mutata diſputationis facie, evincere conatur, quod Judaei, ſi vel maxime voluiſſent, tamen per ignorantiam, et in Hebraiſmo recte intelligendo infantiam ſuam codices non potuerint accurate deſcribere.

Argumenta hujus rei profert numero tria, ad quae velut ad totidem capita refert cauſas et fontes, unde tanquam e Lerna manarit, ut prae ceteris omnibus librorum codicibus Hebraici ad nos tranſirent mendoſa facie.

I. Horum fontium primus eſt, quod *inferiore hac aetate, in qua omnes Hebraici, qui nunc extant, codices deſcripti fuerunt, Hebraicam linguam Judaei perpauci calluerint; ut neceſſe eſſet eorum codices ab iis ſcribis exarari, qui id, quod ſcriberent, parum intelligerent.* Quodque non ſolum ſcribae, ſed *Magiſtri ipſi ac Emendatores partim Hebraica in lingua infantes eſſent, partim etiam ita ſuperſtitioſi, ut, ſi quid prave poſitum viderent eſſe; id tollere non auderent, quoniam in ceteris, quos adirent, codicibus eandem forte pravitatem reperirent, quam vix ac ne vix quidem credebant eſſe poſſe pravitatem.*

II. Alter fons errorum quaeritur in natura, aut mavis ſcriptura vocum Hebraearum: *Hebraica pleraque verba conſtant vel paucis litteris, quia ſaepe vocales abſunt, vel fere ſimilibus. Ubi paucis conſtant, ſi forte in una peccavit librarius, non jam in una aut altera, in quibus non fuit erratum, ſatis ſigni eſt, quo mendum, quale ſit, deprehendatur. Quod non ita eſt in linguis Graeca & Latina. — Quod ſi Hebraica verba ſimilibus conſtant litteris, ex ea ſimilitudine naſci poſſunt quam plurimi ſcribendi errores; ex ſimilitudine autem non tantum ſcribendi, ſed etiam pronunciandi. Erant in pronunciando fere ſimiles litterae* אהוי. *Tamen ex una pro altera ſcripta, naſcuntur errores & generum & perſonarum, hoc eſt, in utris-*

Digitized by Google

utrisque ſoleciſmi. Quam multi etiam lapſus oriri poterant in litteris aliis figura fere ſimilibus ר *et* ד, ב *et* כ, מ *et* ם, ך *et* ד, ז *et* ו *atque aliarum, quarum extremi ductus ſi paululum eſſent obliterati, non jam eam quae ſcripta fuerat, litteram, ſed aliam exhibebant. Errores autem tales, ut erant faciles ad ſcribendum, ita ſaepe ad emendandum difficiles, cum ſaepe accideret, ut littera ex mutata factum fuiſſet aliud linguae Hebraicae vocabulum; quod quidem ut emendaretur, neceſſe erat diligenter conſiderari orationis ſententiam.*

III. Tertium fontem reperit in eo, *Quod ſi qua etiam verba librarius fecerat ſcribendo vel Chaldaica, vel Arabica, ne ejus quidem generis errores Emendator caſtigabat, quia linguam, in qua natus erat, Chaldaicam aut Arabicam norat, Hebraicam parum intelligebat. Atque inde accidit, ut Hebraicis in codicibus & Chaldaiſmi complures & Arabiſmi quidam ſint, quos Hebraica lingua nunquam uſurpavit.*

I. Hebraici codices quos habemus plerique, teſtibus librariorum notis aliisindiciis, ſcripti ſunt poſt ſeculum XI. a C. N. vel intra A. C. 1000. et 1500. Etſi enim nonnulli ſint qui eam aetatem jure antevertere videantur; (*a*) eoque pertineant nonnulli in quibus nulla temporis nota conſpicitur; (*b*) ſunt tamen plurimi hoc intra ſpatium exarati. (*c*) A ſeculo autem illo XI. idem accidit literis Hebraicis, quod poſt Conſtantinopolim a Turcis direptam, et occupatum Orientis imperium, accidiſſe literis Graecis compertum eſt, nempe ut in alias orbis regiones delatae, nova, et feliciora quidem, caperent incrementa. Poſtquam enim Judaei, teſtibus eorum annalibus, ab Arabibus, multa dura perpeti coeperunt, multique ſolum vertere coacti ſunt, doctores eorum, relictis aut exſpirantibus Academiis Babylonicis, magno numero in Africam et Hiſpaniam, majoribus jam adamatam, (*d*) conceſſerunt, ibidemque conſtructis atque erectis variis gymnaſiis et ſcholis, exemplo Saracenorum, et praeeuntibus R. Jehuda fil. Chiug, Feſſano et R. Jona fil. Giannach, Grammaticam, Criticam, Poëſin, Cabbalam aliaque id genus ſtudia, uſque adeo excoluerunt, ut nullum aevum magnis in literatura Hebraica viris inter Judaeos clarius fuerit, quam hoc. (*e*)

Quod

(*a*) Vid. ſupra pag. 4.

(*b*) Vid. Montfaucon. ***Diar. Ital.*** pag. 399. 406. Adde, quod aera a mundo condito penes Judaeos, nec tamen omnes, ſed Europaeos, introduci demum coeperit A. M. 4727. hoc eſt A. C. 967. faciente quodam R. Scherira, ut auctor eſt David Gans in ***Zemach David.***

(*c*) Vid. Wolf. ***Bibl. Hebr.*** part. II. ſect. 3. & part. IV. ſect. 3. Kennicot ***The ſtate of the printed text*** Diſſ. II. period. V. pag. 456. ſeq.

(*d*) Quod Judaei jam a primis Chriſtianiſmi temporibus in Hiſpania fuerint, patet ex decretis contra eos conditis in concilio Eliberitano. vid. Canones XLIX. L. LXXVIII.

(*e*) Teſtimonia Judaeorum qui annales ſcripſerunt, velut R. Dav. Abr. Zacuth in ***Juchaſin***, R. Gedaljae in ***Schalſcheleth***, Part. II. R. Dav. Gans in ***Zemach David*** aliorumque produxit Hottinger. ***Hiſt. Sacr. N. T.*** cap. XI. ſect. IV. confer eandem part. II. cap. XII. XIII. ſect. IV. J. Buxtorfius in ***Bibliotheca Rabbinica*** vel de ***Abbreviaturis*** pag. 494. edit. 1640. *Diuturnum fuit*, inquit, *doctorum virorum ſilentium, propter graviſſimas calamitates exilii. Paulo poſt an. 1000. ſtudia literarum renaſci inter ipſos coeperunt, & ſapientes eorum publice inclareſcere. —— Ab anno 1000 pleriqne libri Judaeorum prodire coeperunt. Qui antea fuerunt (quorum pauci) non Bibliis, ſed traditionibus Talmudicis explicandis, praecipue occupati fuerunt.*

Quod ſpeciatim ad grammaticos adtinet: etſi eorum opera cum his quae poſt renatas apud Chriſtianos literas, et praecedente quidem, vel hoc ipſo quod vivimus ſeculo, prodierunt, contendere non velim; ſunt tamen citra controverſiam ejusmodi, ut Maſcleſium ejusque ſimiles grammaticos magno poſt ſe intervallo relinquant. Idem de eorum commentariis in Scripturam, qui tunc prodierunt, adfirmandum eſt; ut ſunt Davidis Kimchii, Aben Eſrae, Salomonis Jarchii, qui ſec. XII. vixerunt, et quorum in Hebraiſmo infantiam adeo incuſat Noſter, ſed quos certum eſt in eo intelligendo uſque adeo non inexercitatos aut ſuperſtitioſos fuiſſe, ut ſaepiſſime criticam in eum exercerent quam feliciſſime, & ipſi ſtilo uterentur Hebraico perquam puro & deſaecato.

Cum ſtudio grammatico & critico quod his ſeculis laetiſſime effloruit, ſi non ortum eſt, ſane ſuccrevit ſtudium cabbaliſticum, jejunum atque inſipidum quidem illud et nullius admodum bonae frugis, ſed quo fiebat, ut myſteria in vocum literis et apicibus quaererentur. Ut adeo ſi quid ab Judaeis exſpectari poterat in deſcribendo ſacrocontextu dexteritatis et accurationis, id illis in ſeculis quaerendum eſſe videatur, neque adeo *neceſſum fuerit, eorum codices ab iis ſcribis exarari, qui id, quod ſcriberent, parum intelligerent.*

Et his quidem incrementis & ſubſidiis grammaticis ſuccinctos Judaeos haud ſegniter operam deſcribendis codicibus Hebraicis dediſſe, patet cum e cognomine כופר et נקרן, *ſcribae* et *punctatoris*, multo magis tum temporis a doctoribus eorum frequentato, quam ante, aut poſt illam tempeſtatem, (*f*) tum etiam ex eo quod complures eodem temporis intervallo reperti ſunt quam alias, qui aut de ſuopte aere ſumtus in deſcribendos & multiplicandos codices fecerunt, (*g*) aut qui ipſi operam iis deſcribendis dederunt (*h*).

Sed vero Hubigantius, ſive ipſe, ſive Morinus hoc obſtaculum praeviderit, quae de *inferiore hac aetate* commemorat *in qua omnes qui nunc extant, codices deſcripti ſint*, de ſeculo XIV. et XV praecipue intelligit, horum Proleg. Cap. I. Art. I. (*i*) Itaque operae praetium erit obſervare, Judaeos his ſeculis per omnem Europam tam diris calamitatibus adtritos fuiſſe, ut teſtibus ipſis eorum annalibus, ad internecionem gentis ſpectare viderentur. (*k*) Speciatim ſeculo XV. labente, Ferdinando et Iſabella regnantibus, expugnatoque regno Maurorum Granatenſi, poſtquam variis modis vexati erant, tandem tota, qua patet, Hiſpania expulſi ſunt, cum fame et peſtilentia luctantes, et vix ac ne vix quidem alicubi aſylum impe-

tran-

(*f*) Vid. Ern. Jablonski in praefatione ad Bibl. Hebr. §. 36.

(*g*) Inter illos ſeculo XI. in Hiſpania eminebat R. Samuel Levita, ſcriba & conſiliarius regis Habuſi, Granatenſis de quo R. Zacuth in *Juchaſin* fol. 127. col. 1.

(*h*) Hos inter nominari meretur R. Jehuda fil. Salomonis Jarchii, qui Sec. XII. in uſum Aben Eſrae, Fil. Meir inſignem illum codicem deſcripſit, quem, a Maximiliano I. Imperatore quondam Reuchlino donatum, nunc ſervat Bibliotheca Badenſis.

(*i*) Ubi inquit *pleroſque* codices noſtros *annorum eſſe trecentorum, aut, ut plus, quadringentorum. Denique originem vetuſtiorem ſi qui codices prae ſe ferant, notationem in iis factam fuiſſe mendacem et fictitiam.*

(*k*) Conf. Hotting. l. l. cap. XIV. ſect. IV.

trantes. (*l*) Nec in reliqua Europa clementius cum ipſis actum fuit, quippe ubi multorum criminum accuſati, nummis emuncti, aliisque modis male mulctati, aegerrime a magiſtratibus Christianis admittebantur, niſi ea lege, ut certis ſignis & notis diſtincti, aliisque multis modis adflicti, ad injuriam et ludibrium plebis permitterentur. Jam quis credat Judaeos, temporibus tam iniquis, quibus literatura Hebraica penes eos jacebat inculta, et jam ſeneſcere occoeperat, tantum non omnes quos habemus, & in his quidem pleroſque Hiſpanicos codices exaraſſe?

II. In altero fonte mendorum Biblicorum adſignando non minus ceſpitavit Noſter. Etſi enim non inficias eo, brevitatem verborum (*m*) et literarum ſimilitudinem quod ad figuram et ſonum, haud inſoecundum erroris fontem eſſe potuiſſe apud parum exercitatos, ejusque rei exempla in noſtris codicibus pasſim obvia eſſe; attamen nego Judaeorum ſcribas et codicum emendatores tum temporis per imperitiam et ſtuporem tam proclives fuiſſe ad hos errores committendos, aut retinendos, ut Hubigantius ſupponit, eosque animadvertere non potuiſſe. Nam ne cetera huc revocem quae dixi num. I Quae verba literis figura ſimilibus conſtant, ea tamen pronuntiatione et ſono ſuo differunt haud parum. Deinde quo magis in anteriora his tempora revertimur, quibus noſtri codices ſunt exarati, et nobis apographorum veterum e quibus expreſſi ſunt, habitum atque imaginem ante oculos collocamus, hoc magis apparebit, literas Hebraicas, quae noſtris in codicibus ad certam quadraturam redactae, et ex una et continua quaſi linea ſuſpenſae viſuntur, olim non ſolum multo rudiores fuiſſe, ſed etiam aliam aliamque poſituram, ſitum habitumque paſſim habuiſſe. Hac autem re aliter fieri non potuit, quam ut nonnullae earum, quae nunc in MSS. noſtris adprime conveniunt, olim clariſſimo charactere ſuerint diſtinctae, et contra inter ſe convenire debuerint, et aliis figura ſimiles eſſe, quae nunc ſunt diverſiſſimae; ut adeo a figura noſtrarum literarum non ſemper concludi poſſit ad veteres. Quis credat, olim, cum nulla inter literas finales & medias eſſet differentia, literam ם *mem* cum ס *ſamech*, aut ך *caph* cum ד *daleth* facile potuiſſe confundi?

Atque ut id ipſum quod de differentia veteris poſiturae in quibusdam literis Hebraicis diximus, aliquo teſtimonio manifeſtum faciam et in oculis mentibusque omnium defigam, juvat huc referre quod habetur in codice Schabbath fol. 103. col. 2. curandum eſſe in deſcribenda lege, non ſolum ne inter ſe confundantur ד *daleth* et ר *reſch*, כ *caph* et ב *beth*, ז et ו, aliaeque nunc etiam ſimiles, ſed etiam ג *gimmel* et צ *tſade*, ט *tet* et פ *phe*, (*n*) quae literae nunc in noſtris codicibus ſunt diverſiſſimae. Ne tamen hoc prorſus novum aut vitio creatum videatur, teneri velim, literas has ג et צ, nec non ט et פ cum ceteris orientalibus paſſim ad concordiam per-

(*l*) Videatur R. Salomo ben Virga, qui auctor huic perſecutioni ipſe interfuit, in *Schebeth Jehuda*, quem librum ſub titulo *Hiſtoriae Judaicae* de Hebraeo in Latinum vertit J. Gentius.
(*m*) brevitatem verborum Hubigantius derivat ex eo quod *ſaepe vocales abſint*, per vocales autem intelligit non puncta vocalia, ſed literas, cum Maſclefio, vid. ſupra pag 6.
(*n*) Similem locum ex Alphefio dabit Schikardus *Jur. Reg.* pag. 107. 108.

perduci, cum aut invertuntur, aut in ſiniſtrum latus inclinantur. (*o*) Quod ſi jam ſupponas, quod res & ratio jubent, literas Hebraeorum olim non ſolum rudiore calamo pictas eſſe, ſed etiam nonnullas earum paulo aliam poſituram, ſitum habitumque habuiſſe atque nunc habent; intelligis fieri potuiſſe, ut Hebraicum *Gimmel* cum *Tſade*, & *Tet* cum *Phe* confunderentur, quippe rudius pictae vel inverſae, vel inclinatae hoc modo ꓘ, ᑐ. De *Tſade* autem certum eſt, eam literam apud Judaeos ita pictam eſſe, ut quo ad figuram proxime ad *Gimmel* accederet. (*p*) Quare ſaepe mirum mihi accidit ejus confuſionis exempla a criticis noſtris in ſacro contextu nuſpiam obſervari.

Deinde, ſi quis a noſtrorum codicum ſcriptura argumentum ducere velit cum Noſtro, in his non tam ovum ovi ſimile eſt, quam ſunt inter ſe invicem literae ף *Phe* finalis, et ת *Thau*: ambae enim eodem modo ſcribuntur, nempe tali, (ת) nec tamen memini aut Hubigantium noſtrum qui tam acutum cernit, aut alium quemquam vel oculatiſſimum criticum aliquod exemplum producere, quo harum literarum confuſionem comprobaſſet.

Si itaque librariorum apud Judaeos is fuit ſtupor et in Hebraiſmo infantia, ut tam proclives eſſent ad errorem in literis ſimilibus, quas Criticus noſter obſervat, admittendum, jure merito miramur, qui factum ſit, ut nulla, quod ſciam hactenus exempla producta ſint, in quibus hae ipſae quas diximus literae fuerunt confuſae.

III. Subtiliſſime excogitatum eſt tertium principium, unde *accidit, ut Hebraicis in codicibus & Chaldaiſmi complures & Arabiſmi quidam ſint, quos Hebraica lingua nunquam uſurpavit.* Hos enim miro ingenio & artificio derivat, non ab ipſis librorum ſacrorum auctoribus, (quis enim iis hanc labem adſricare ſuſtineat? ſcilicet!) Sed potius *a deſcriptoribus & emendatoribus, qui linguam, in qua nati erant, Chaldaicam aut Arabicam norant, Hebraicam parum intelligebant.*

Ut appareat, quam infeliciter in hoc argumento producendo verſatus ſit Noſter, in memoriam revoces velim, Lector, quod eo tempore quo codices noſtri in Hiſpania, Gallia, Germania ceteriſque Europae partibus a Judaeis deſcripti ſunt, pauciſſimi eorum linguam Chaldaicam vernaculam habuerint, et ſtudium Gemaricum apud eos jam deferbuerit. Si qui etiam tum temporis Chaldaice ſcripſerunt, ut (Pſeudo Jonathan & quidam Cabbaliſtae) horum ſtilus adeo inquinatus eſſe deprehenditur, ut in contentionem venire cum Chaldaiſmis Biblicis non poſſit, adeo ut ſi forte aliqui ſuſcepiſſent ſacrorum ſcriptorum dictionem Hebraicam corrumpere, et Chaldaicam facere, ſe ſuopte et clariſſimo quidem prodidiſſent indicio; nec facile credendum ſit quemquam tam hebetis ingenii, aut obeſae naris fore, ut fraudem non odore-

(*o*) Confer ſis Bernardi tabulam qua *Orbis eruditi literaturam a Charactere Samaritico deduxit*, quamque multis modis auctam et ornatam edidit Carolus Morton V. C. Lond. 1752.

(*p*) Vid. tabulam cit. & conf. inſcriptionem lucernae aeneae Hebraicam quam produxit Franc. Gorius in *Inſcriptionibus antiquis quae extant in Etruriae urbibus, ſpeciatim Florentiae* p. 117.

tra tantum ei detrahemus quantum apparebit lectionem quam fundunt editiones noſtrae, ad codicem Judaicum conformatae, lectioni Samaritanae ſi non ubique praeſciendam, ſaltem optimo jure aequiparandam eſſe. In confutandis autem Hubigantii noſtri emendationibus, id operam dabimus, ut ſingulas, propriis ejus verbis conceptas, et charactere diverſo expreſſas ex Prolegomenis Notisque ejus praemittamus, tum deinde noſtram epicriſin ſubjungamus.

ARTICULUS PRIMUS

QUI INSCRIBITUR

De iis mendis quae orationis ſententiam afficiunt.

Orationis ſententiam quae menda afficiunt, ea ſententiam mutant aut obſcurant, verbis aut verborum litteris, vel mutatis, vel omiſſis, vel additis, vel trajectis. Quatuor haec genera mendorum quadripartita claſſe diſtinguemus.

CLASSIS I[a]. *De iis mendis, quae ſententiam mutant, aut obſcurant, ex mutatis verbis, aut verborum litteris.*

Geneſis cap. 47. ℣. 21. *Poſtquam dictum eſt Joſephum, fame dominante, Ægyptiorum bona emiſſe, Hodierno in codice ita ſubjungitur,* העביר אתו לערים, tranſire fecit eum in urbes, *ubi Scribae litteras duas commutárunt, etiam unam omiſerunt; nam ſic fuerat ſcribendum* העביר אתו לעבדים fecit eos ſervos, *ut Samaritani ſcribunt. Nam, cum in ſuprà dictis Joſephum Aepyptii ſic alloquantur,* nihil quidquam ſupereſt nobis, niſi corpora noſtra, et noſtra tellus. . . . eme nos & terram noſtram pro pane, & erimus nos & terra noſtra ſervi Pharaonis, *cùmque Moyſes addat, Joſepho rem placuiſſe, eumque emiſſe Aegyptiorum &* agros *&* corpora, *conſequens fuit ut ſubjungeret, feciſſe* eos ſervos. *Quippe conditione acceptâ ſervitutis, ſervitutem pactam ſequi neceſſe erat. Itaque etiam Samaritanorum ſcripturam* Graeci Intt. *&* Hieronymus *ſequebantur; Hodiernam explicare nequicquam tentant novi Interpretes. Nam quòd quidam illud hodiernum,* tranſire fecit eos in urbes, *ita explicant, tanquam Joſephus Aegyptios tranſire in oppida feciſſet, aut, ſi oppida civibus jam plena eſſent, propè urbes juſſerit ſtationem habere, eò ut Aegypti ex horreis, quae in urbibus eſſent, facilius alerentur,* 1.) *id nullam conſequentiam habet cum ſuprà dictis, ex quibus expectatur,* fecit eos ſervos, *non autem,* tranſire fecit in urbes. 2.) *Fuiſſe horrea in urbibus, non etiam in agris, aut in vicis, conſtituta, ſine Codicis Hebr. autoritate affirmatur.* 3.) *Quis credat Joſephum ſolitudinem*

dinem feciſſe in agris, eo ipſo tempore, cùm agri eſſent ſeminandi? Quòd verò alii ſic explicant, tranſire fecit in urbes, *ut idem ſit atque*, tranſire fecit in alias urbes, *ne poſtea Aegyptii in poſſeſſiones, non jam ſuas, ullum dominium affectarent, primùm vim verbis afferunt, cum addunt verbum* alias, *quod Hebraico in contextu non apparet, in quo nec legitur* אחרות, alias, *nec* מעיר לעיר, ex urbe in urbem, *neque quidquam ſimile, in quo verbum* alias *contineatur. Denique in Sacram Paginam res nova inducitur, & penè incredibilis, ut quo tempore inediâ homines languebant, pecuniae exhauſtae erant, itinerumque nullae erant commoditates, eo ipſo Joſephus univerſos Aegypti incolas vel in longinqua rura, vel ad urbes longe remotas amandarit, totamque adeò Aegyptum, jam fame laborantem & propè abſumptam, ſus deque verterit. Quantò erat facilius videre & animadvertere in ſimilibus litteris deſcribendis Librarios fuiſſe allucinatos, quàm interpretationes tales, Paginà Sacrà invita, fingere ac comminiſci?*

Qui lectionem communem ſollicitat, et pro העביר לעדים ſubſtituit העביר לעברים ſuo indicio prodit ſtili Moſaici ignorantiam. Moſes hanc phraſin non agnoſcit, ſed nude verbum illud jungit accuſandi caſui, ut in hoc Exod. I. 13. ויעבדו מצרים את בני ישראל *et coegerunt Aegyptii Iſraelitas ſervire*, et ſic conſtanter: nec datur diſſimile exemplum in toto ejus Pentateucho. Conſtruitur quidem apud ſcriptores ipſum ſecutos העביר cum עבודה, tanquam nomine conjugato, ſed abſtracto, nec non cum infinitivo; neque incommode Hebraeis dicitur, *ſervire fecit ſervitutem, & in ſervitutem redegit ad ſerviendum*, velut II. Chron. XXXIV. 33. At quis ferat dicentem, *ſervire fecit in ſervos!* quae proprie vis foret hujus ſartaginis.

Neque excuſat vel defendit hunc barbariſmum Samaritani codicis et Graecorum interpretum auctoritas quos Hieronymus ſecutus eſt: ut quibus nullum fere vitium frequentius ſubrepſit, quam hoc, ut literam ר *reſch*, acciperent pro ד *daleth*; (*a*) neque ab ejusmodi errore in verbo עבר committendo alibi fuerunt immunes. (*b*) Utrisque, et Samaritanis et Graecis forte pollicem premere viſum eſt vocabulum עברים occurrens ℣. 19.

Animadvertit quidem Criticus noſter quod in ſupra dictis Aegyptii ſe terrasque ſuas Pharaoni venditent in ſervitutem, *cumque Moyſes addat Joſepho rem placuiſſe, eumque emiſſe Aegyptiorum & agros & corpora, obſervat conſequens fuiſſe, ut ſubjungeret Joſephum feciſſe eos ſervos.* Atque agnoſco etiam ego quod Aegyptii in ſupra dictis cum agros tum corpora ſua in ſervitutem offerant; ſed Moſen in ſupra dictis addere, Joſepho rem omnem, ſtatim ut propoſita erat, placuiſſe, eumque *emiſſe* non ſolum Aegyptiorum *agros*, verum & *corpora*, non video: nec credo viſurum alium. Nempe reliquit Joſephus hanc rem in ſuſpenſo, proponens ſibi cum populo ex profeſſo de ea agere. Quod niſi verum eſt, ſuperflua, et cetero contextui parum congrua ſunt quae dicuntur ℣. 23. 24.

nec

(*a*) Exempla paene ſunt infinita, vide ſis Capelli *Crit. ſacr.* lib. IV. c. V. §. 3. 4.
(*b*) Conf. Grabe *de Vitiis LXX. interp.* pag. 74.

Digitized by Google

nec facile intelligitur, quare voluerit Moſes, tanquam in eodem argumento, ſic pergere ỳ. 22. רק ארמה הכהנים לא קנה *Tantummodo terram ſacerdotum non emit* &c.

Deinde obſervo, quod etſi Joſephus conditionem alteram de ſubeunda ſervitute ab Aegyptiis ỳ. 19. ſimul oblatam ne verbulo quidem adtigiſſet; vel ſic tamen minime ſequatur, לערים mutandum eſſe in לעבדים. Poterat enim Joſephus eam rem deſtinato conſilio praeteriiſſe apud Aegyptios, ut quibus tributum perpetuum et ſatis grave, decimas nempe geminas imponere ſatagebat. Sed non praeteriit, atque etiam hanc conditionem poſtremam una cum altera, ſuo tempore et loco, ſuppreſſo licet ſervorum nomine, ipſis ad animum revocavit ỳ. 23. cum ad populum in urbibus congregatum dixiſſe legitur: הנה קניתי אתכם היום, *ecce emi vos hodie ut & terras veſtras Pharaoni.* Quae quidem verba eo ſpectant, niſi me ſallunt omnia, ut apertiſſime demonſtrent quod quaerit Noſter, nempe Joſephum ſilentio non praeteriiſſe oblatam ſervitutem. Quorſum enim mentio perſonarum? quorſum verbum קנה? apud Hebraeos hanc vim habens, ut ſicubi ad corpora hominum refertur, etiam nude adhibitum, importet ſervitutem. conf. Gen. XXXIX. 1. Nehem. v, 8. niſi ut idem deſignet, atque ſupra ỳ. 19. deſignaverat, quo in loco ſic explicatur ab Aegyptiis ונהיה עבדים *& erimus ſervi* Pharaonis.

Apparuit nec Hebraicam eſſe ſententiam quam Hubigantius infercit, neque, ſi talis foret, eo in loco adhibendam fuiſſe quo ipſe contendit. Nunc ut porro probem hoc ſecus eſſe in verbis העביר לערים, hisque rectiſſime cum cetero Moſis contextu convenire; igitur, miſſis aliorum interpretamentis, totam ſententiam ỳ. 21. ſic reddo ad vim vocum: *Et quod ad populum, eum tranſire fecit in urbes, per omnes terminos Aegypti*; ut ſenſus huc redeat: „ Joſephum de re magni momenti cum populo agere volentem, circa populum nil conſtituiſſe, niſi ut ex pagis et vicis, in quibus bonam ſui partem diſperſus habitabat, pauliſper ſe conſerret, vel ut congregaretur in urbes, ibidemque intelligeret quae Joſephus haberet exponenda; atque ſic feciſſe per totam, qua late patet, Aegyptum.

Nempe verbum עבר in cauſa parili, et hac ipſa Joſephi hiſtoria ſic adhibetur a Moſe, ut deſignet tranſitionem, non aliquo in loco manendi aut habitandi cauſa inſtitutam, ſed ſimpliciter profectionem ad locum. vid. Gen. XLI 46. Deinde ערים hic non ſunt *urbes longe remotae*, ut Noſter voluit, ſed vicinae, ſed eaedem quae memorantur cap. XLI 48. Contrarium enim hujus rei nusquam dicitur, nec aliunde arreptum eſt, niſi ex male intellectis verbis מקצת גבול מצרים ועד קצהו, (c) quibus vero, ſi ſapimus, nil aliud ſibi vult Moſes, quam hoc, Joſephum ſic juſſiſſe ut fieret, non in una alte-

(c) Sic legitur in plerisque editionibus. Sed codex Daventrienſis et nonnulli Kennicottiani עד קצהו. vid. ſupra pag. 8.

alterave provincia vel regione Aegypti; ſed per totam Aegyptum qua patet. conf. Deut. XIII. 8. XXVIII. 64. Jeſ. LVI. 11. (*d*)

Atque in hunc modum ſi accipiatur pericopa iſta, apparebit eam cum cetero contextu ſic cohaerere, ut nihil ei aptius, aut magis congruum ſit. Joſepho ab Aegyptiis propoſitae erant conditiones binae quibus annonam eis erogaret: una erat, ut terrae vel agri eorum omnes, altera, ut ipſi cederent Pharaoni ℣. 19. Harum primam in genere ita ratam habet, ut agros tantiſper addicat regi ℣. 20. alteram vero, quae ipſum populum ſpectabat, relinquit in ſuſpenſo, convocans eum interea in urbes, ubi de ſolvenda quinta redituum parte cum ipſis agere conſtituerat, idque per totam Aegyptum ℣. 21. Ne quis vero ideo exiſtimet Joſephum emiſſe quoque terras ſacerdotum, hosque adeo cum cetero populo convenire debuiſſe in urbes, monetur, ſacerdotes hac communi lege exemtos fuiſſe. ℣. 22. Populo in urbibus convocato Joſephus declarat: quia perſonas terrasque ſuas obtuliſſent in ſervitutem, igitur utrasque jure quidem optimo regis eſſe, ſed tamen frumentum ſe ipſis conceſſurum, ſi modo promitterent, ſe quintam redituum partem daturos eſſe Pharaoni ℣. 23. 24. (*e*) Quae res tanto grati animi ſenſu perfundit Aegyptios, ut denuo ſe offerant in ſervos ℣. 25. quod ſane fieri non potuiſſe videtur, ſi Joſephus eos in ſervitutem jam redegiſſet.

Similiter ſententia mutatur Geneſis cap. 50. ℣. 19. *ex litterâ unâ mutatâ, altera etiam trajectâ, ubi filios Jaob, patre mortuo, Joſeph recreat ſic dicens*, nolite timere, nam timens Deum ego ſum, *quomodo convertunt* Chaldaeus, *nec non uterque* Arabs, *ex ſcripturâ nimirùm tali*, כי תחת אלהים אני, *quae eſt* Samaritani Pentateuchi, *niſi forte ex illâ ſatis ſimili*, כי ההרת מאלהים אני, *ſenteutiâ rectâ eademque planâ; cùm contrà Hodiernus Codex ſententiam prorsùs alienam prae ſe ferat talem*, כי התחת אלהים אני, nam num pro Deo ego ſum? *Joſephus negat ſe injurias ſuas ulturum, quia non ſit Deus. Easne igitur, ſi Deus eſſet, ulciſceretur? Atqui ſatis erat Joſepho, quòd homo eſſet, ſi injurias ſuas ulciſci vellet. Sententiam talem, quidam Veteres, cùm vel falſam, vel nullam viderent eſſe, aliò diverterunt. Sic Hieronymus*, num Dei poſſumus reſiſtere voluntati, *ne nihil diceret, ſi Codicem ſuum, eodem, quo nunc, mendo laborantem, ut erat, converteret. Certè Veteres, quanquam in diverſa abeunt, tamen omnes in eo conſentiunt, ut in* כי התחת, *litteram* ה *non ſic accipiant, ut interrogantem*

Ne-

(*d*) Adde etiam Cl. Schultens *Anim. Phil.* ad Gen. XIX. 4. nec non Cl. Koehler *Repertorii* ſuperius aliquoties laudati part. II. pag. 245. 246.

(*e*) Recte Joſephus *Ant.* lib. II. c. 7. §. 7. Ὁ δ' Ἰώσηπος εἰς ἑκάστην παραγινόμενος πόλιν, καὶ συλλέγων ἐν αὐταῖς τὸ πλῆθος, τήν τε γῆν αὐτοῖς ἣν ἐκείνων παραχωρούντων βασιλεὺς ἔχειν ἐδύνατο καὶ καρποῦσθαι μόνος, εἰς ἅπαν ἐχαρίζετο. Καὶ κτῆμα ἴδιον ἡγουμένους φιλεργεῖν παρεκάλει, τὴν πέμπτην τῶν καρπῶν τῷ βασιλεῖ τελοῦντας ὑπὲρ τῆς χώρας, ἣν δίδωσιν αὐτοῖς —— *Joſephus unamquamque adiit civitatem, &, populo in iis convocato, eandem terram, quam iis cedentibus rex ſibimet vindicare, ſolusque frui poterat, in integrum iis reſtituit; & hortatus eſt, ut illam, pro propria habentes, colere vellent, quintam fructuum regi penſitantes pro terra, quam jure ſuam, illis conceſſiſſet.*

Neque ſermonis eſt Hebraici, ut ה *ſic interrogans, ut neget, particulae* כי *ſubjungatur; quod novi Interpretes ſi animo reputaſſent, non ſperâſſent mendum* התחת *ſe poſſe interpretari.*

Fateor, e verbis התחת אלהים אני ſententiam paulo incommodiorem, hec cetero contextui ſatis aptam elicere interpretes, cum reddunt, *nam num pro Deo ego ſum?* Nec tamen ideo ſecandus eſt nodus quem ſolvere non poſſis, aut dicendum ſententiam prorſus alienam haec verba fundere cum ita accipiuntur, ut ſolent alibi apud Moſen, Gen. xxx. 2. Quod ſi enim ſupponas Joſephum his verbis obviam ire voluiſſe fratrum praejudicio ♈︎. 15. et 17. hujus capitis timentium, ne ulciſceretur nunc injurias quas lares apud patrios ipſi intuliſſent, poterat quidem haud parum ad ſuſpicionem et invidiam iſtam amoliendam facere, ſi Joſephus his verbis ſignificaret ſe non eſſe loco Dei, h. e. ſe relinquere vindictam Deo, remque totam ejus concedere providentiae, qua factum eſſet, ut ex proditione eorum et malis ſibi intentatis ampliſſimum lucrum cepiſſet, conf. ♈︎. 20. Aut vero, ſi quis malit, Joſephum reſpexiſſe ad id quod proxime antecedit ♈︎. 18. ubi fratres coram ipſo procidunt eum adorantes, eoque nomine dixiſſe, *an ego loco Dei ſum*, hoc eſt, non utique ſum Deus; ut mihi hunc honorem tribuatis, quippe qui ſoli competit Deo; ſed frater veſter ſum, eodem vobiſcum de ſanguine cretus, cum quo igitur familiarius agere oportet: quid quaeſo in his eſt, quod admodum poſſit reprehendi? quid eſt quod nos cogat ad lectionem vulgarem noſtrorum codicum ſollicitandam, aut ſuo loco movendam?

Attamen, ne quid diſſimulem, cum non ſimpliciter dixerit Joſephus התחת אלהים אני, ſed אל תיראו כי התחת אלהים אני, *ne timeatis, nam* &c. eaque verba, *ne timeatis* continuo repetantur, atque in hunc modum amplientur ♈︎. 21. *ne timeatis, ego ſuſtentabo vos & parvulos veſtros*, apparet eum de timore loqui quem fratres ſui conceperant, ne eos earum rerum quas antea ipſis conceſſerat, opportunitate privaret: atque neceſſum eſt, ut verba iſta התחת אלהים אני rationem in ſe contineant ob quam *non timerent* fratres Joſephi, & quidem ſigillatim non timerent *ne ſuſtentaret eos & parvulos ipſorum.* Ad quem vero metum eorum animis eximendum et abſtergendum haud multum juvabat Joſephum dicere: an ego loco Dei ſum? vel, ut vult Noſter, *nam timens Deum ego ſum.* Quid enim? anne Joſephus quia non Deus, vel timens Deum eſſet, rebus omnibus neceſſariis inſtrueret fratres ſuos eosque aleret *usque ad parvulos?* Quid ſi volenti defuisſent vires? aut ſi perquam limitata fuiſſet ejus auctoritas? preſſius dico: ſi ſubfuiſſet praefectis regiis, qui ipſum impedire potuiſſent, quo minus ſatisfaceret illorum votis?

Lubet igitur aliam horum verborum interpretationem tentare, et vertere *num enim ſub Diis ſum?* per *Deos* autem intelligere magnates et principes aulae miniſtros apud Pharaonem; quomodo hoc vocabulum accipitur etiam alibi v. c. Pſ. LXXXII. 1. 6. LXXXVIII. 1. XCVII. 7. 9. nec ignoratum fuit Moſi,

(v) Scilicet Joſephus hoc beneficio praecipuo affecerat familiam paternam fratresque ſuos, ut partem Aegypti paſcuis abundantem, et hinc vitae generi ipſorum maxime convenientem et opportunam pro ipſis apud Pharaonem impetraret ibidemque eos aleret *usque ad parvulum* Gen. XLVII. 10 — 13. Itaque metus eos invaſerat, ne patre mortuo, non ſolum hoc privilegio eos exueret, ſed etiam ulciſceretur injuriam, qua olim ipſum adfeciſſent. cap. L. 15. Quod ſi poenam eorum corporibus non infligeret, poſſe tamen eos, ſi vellet, hac rerum quas ipſis conceſſerat opportunitate privare, et cauſari invidiam quam hoc beneficium in fratres collatum apud aulae miniſtros ỳ. 4. ſibi eſſet creaturum, Ut ergo ipſum praeveniant, et quo animo erga eos ſit explorent primo et in genere quidem peccatorum veniam ab ipſo flagitant ỳ. 5. 16. 17. deinde, ut terras quas interceſſione ejus acceperant et privilegia quae ipſis conceſſerat retinere poſſint, exemplo Aegyptiorum qui corpora ſua in ſervitutem obtulerant, procidunt coram Joſepho, ſeque ei offerunt in ſervos ỳ. 18. Quod ipſum cum animadvertet Joſephus, hoc metu ſolutos eſſe jubet et bene ſperare: atque ut palam faciat, et poſſe et velle ſe eorum patrocinium in poſterum aeque ac ante ſuſcipere & curare ne quis eos hoc beneficio exueret quod ipſe apud eos hactenus collocaſſet; primo docet, ſibi ad id praeſtandum liberam & ampliſſimam poteſtatem eſſe, ut qui minime ſubſit praefectis regiis qui ipſum prohibere poſſint, quo minus hoc faciat ỳ. 19. deinde ſe ex proditione ipſorum, Dei munere et providentia, ampliſſimum lucrum cepiſſe ỳ. 20. Illo nomine, *Nolite timere*, inquit, ſubjungitque cauſam כי התחת אלהים אני *num enim ſub Diis ſum?* hoc eſt, num poſt traditam et demandatam mihi a Pharaone tantam poteſtatem, ullius e praefectis regiis imperio mihi parendum eſt, quo minus *ſuſtentem vos et parvulos veſtros?* (quod facturum ſe ſpondet ỳ. 21.) aut neceſſum habeo cuiquam homini ob id rationem reddere? Atque adeo Joſephus eodem argumenti genere utitur, quo in cauſa non diſſimili, nempe ut timorem ex animis fratrum evelleret et patri atque familiae ſuae perſuaderet, ſe poſſe et velle ipſis in Aegypto bene facere, uſus erat cap. XLV. ỳ. 5 - 12.

Sentio quid mihi obſtet: poſt mortem Jacobi, quae contigit anno XVII. poſt ingreſſum ejus in Aegyptum Gen. XLVII. 28. fames jam dudum ceſſaverat, quippe quae, cum in eam regionem veniret, adhuc duratura erat per V. annos, vid. Gen. XLV. 11. Itaque non veriſimile eſt Joſephi fratres potuiſſe de ſuſtentatione ſua admodum ſollicitos eſſe, aut corpora ſua ea propter

(v) Plura ſunt loca quam vulgo putatur, cum apud Moſen, tum apud ceteros auctores ſacros in quibus nomen אלהים, non de Deo, ſed de hominibus accipitur: eſtque hoc argumentum non indignum quod paulo diligentius excutiatur. Nempe cum id vocabulum natura ſua aliquid colendum, et venerabile deſignet, principio quidem, et ante omnia, ad Deum; deinde vero etiam ad homines, auctoritate, rerum uſu et ſapientia praeſtantes, ad principes populi, ad judices, et conſiliarios, nec non ad praecipuos negotiorum geſtores delatum eſt. Poſterioris hujus uſus exempla ſunt cum alibi tum Gen. III. 5. VI. 2. Exod. IV. 16. VII. 1. XXI. 6. XXII 8. Levit. XXIV. 15. Praeterea Jud. V. 8. IX. 11. 13. II. Sam. XIV. 20. Mal. III. 8. Pſalm VIII. 5. 6. coll. Hebr. II. 9. quae loca vulgo, aut de Deo, aut de angelis accipiuntur.

ter in ſervitutem offerre. Sed tenendum eſt, portionem terrae quam fratribus ſuis aſſignaverat Joſephus, prae ceteris Aegypti regionibus gramine & paſcuis abundaſſe, ipſos vero fratres ejus paſturae & alendis gregibus fuiſſe deditos, hisque rebus vitam ſuſtentaſſe Gen. XLVII. 3 — 7. Unde per quam probabile eſt, agros ab iis minus cultos, et Joſephum, ut ipſos ſuſtentaret, etiam ceſſante fame, eis annonam praebuiſſe.

Hubigantio noſtro nemo calculum adjiciat, ſuſpicanti pro התחת olim lectum fuiſſe התח, quod vertit *timeo vel timens ſum*, ſatis imperite, neque enim ea vis et ratio potuit eſſe hujus formae apud Hebraeos, ut hoc ſignificet. Si vero etiam id quod vult Hubigantius, dicere voluiſſet Joſephus, in promtu ipſi erat verbum ירא, dixiſſetque, ni fallor, כי את אלהים אני ירא, qua formula uſus erat Gen. XLII. 18. Hubigantio praeivit Capellus *Crit. ſacr.* lib. V. c. 11. §. 3. pag. 328. cum Capello autem confer ſis Buxtorfium *Anticrit.* pag. 725.

Reſtat, ut ſcrupulum eximam Critico noſtro, quem ſibi obmovit de ה interrogativo neganter poſt particulam כי veniente, quaſi vero hoc minime ſit ſermonis Hebraici: atque etiam ut morem ei geram, indicabo exemplum huic non abſimile quod occurrit Pſalm LVI. 14.

S*imiliter ſententia mutatur & obſcuratur ex litteris, non jam una altera, ſed pluribus temere commutatis*, Geneſis cap. 24. ℣. 55. & cap. 49. ℣. 22.

Primum, Geneſis cap. 24. ℣. 55. *ubi pater & mater Rebeccae ſic loquuntur*, תשב הנערה אתנו מים או עשור, maneat nobiſcum puella dies, aut decem; *ex quibus verbis Interpretes, ut ſententiam qualemcunque depromant, miris ſe modis torquent. Et quidem plerique cum ſic convertant*, maneat nobiſcum puella annum, aut decem menſes, *dupliciter labuntur:* (1) *in eo quod* ימים annum *interpretantur, quod verbum ſonat tantummodo vel* dies, *numero non finito, vel* totum, *ſi cui verbo annexum legitur, ut* חדש ימים, menſem totum, *quodque ſolitariè poſitum, Sacrorum Codicum nullo loco* annum *habet, nec verò hic fas eſt habere. Nam quàm parùm credibile eſt, Rebeccae parentes cùm Eliezerum viderent abire properantem, eum rogaſſe, ut maneret apud ſe* annum totum *cum camelis ſuis, cum ſervis & ancillis, cum tanto denique comitatu?* (2) *in eo quòd verbo* עשור *attribuunt* decem menſes, *quod cùm fecit in ſuo Lexico Buxtorfius, ariolabatur, non interpretabatur. Nam & de* menſibus *Sacra Pagina, ut nunc eſt, conticeſcit, & nullibi reperietur numerum* decem *ſine addito, eſſe* decem menſes. *Ergo ſupereſt, ut is locus, niſi emendetur, explicari non poſſit. Quòd ſi Editores iviſſent ad Syrum Int. qui vertit* ירח יומין, menſem dierum, *id eſt*, menſem totum, *non dubitaſſent quin eo in Codice, quo Syrus utebatur, ſcriptum fuiſſet* חדש ימים menſem totum. *Atque huic ſcripturae faveat Sam. Codex, in quo legitur* חדש, *non* עשור; *vide notam noſtram ad hunc locum, in qua breviter docemus, quo deſcribendi errore factum fuerit* עשור *ex* חדש, *& fuerit* או *perperam interpolatum.*

Pri-

Principio Hubigantius nullo jure ſuo taxat interpretes ימים hic loci reddentes per *annum*; neque enim ullo in loco ſacri codicis hac notione venire. Contrarium ejus rei probavit Bochartus *Hieroz.* part II. lib. IV. cap. 10. pag. 505. & Guſſetius *Comment. ling. Hebr.* hac voce. Confer e multis Exod. XIII. 10. Levit. XXV. 29. Ampliore jure negat עשור abſolute poſitum, eſſe *decem menſes*: ſed fallitur cum hanc vocabuli interpretationem in rationes Buxtorfii tranſcribit, eam in ſuo Lexico adferentis. Audaciam vero ſuperat omnem cum ſupereſſe ait, ut is locus, niſi emendetur, explicari non poſſit. Quid enim, ſi efficiam, ut explicari poſſit, non quidem bacchanti critico, ſed aequis lectoribus? Nimirum uſu gentium invaluit, ut cum tempus aliquod conſtituendum, nec tamen duratio hujus temporis ad certum numerum menſurarum ejus adſtringenda eſt, loquendi genera inventa ſint, quibus indefinita illa duratio praeter propter ſignificatur. Cum tempus brevius eſt, Hebraei numerum denarium adhibent, cum Latinis, apud quos Terent. Heaut. act. V. ſcen. 1. *decem dierum vix mihi eſt familia*. Ad hunc modum ימים או עשור, *dies aut decem*, erunt dies non admodum multi; Noſtrates, *een dag of tien*. Et ne quis dubitet denarium numerum apud Hebraeos inprimis uſurpari cum numerus aliquis non valde magnus exprimendus, nec tamen accurate definiendus eſt, en loca aliqua in quibus hac ſenſus amplitudine accipitur. Gen. XXXI. 41. Nehem. IV. 6.

Aſt, inquis, vocabulum עשור alibi apud Moſen, *diem decimum menſis* deſignat. Reſpondeo, hunc uſum vocabuli prima fronte diverſum, huic noſtrae explicationi nihil obeſſe. Neque enim videas vel menſem, vel annum decimum ſic adpellari Hebraeis, ſed diem decimum vel partem menſis tertiam tantum. Sic Jerem. LII. 4. בחדש העשירי בעשור לחדש. Unde apparet haud obſcure, Hebraeos hoc vocabulum proprie exaudire de decade, vel ſpatio decem dierum, eumque numerum ad menſem tranſtuliſſe, quoniam ejus ope in tres partes aequales divideretur. De decem menſibus hic cogitare res verat, & verbum nunquam ſic adhibitum. Ne vero etiam quis totum menſem animo complectatur, aut in contextum intrudat cum Noſtro, facit adſtipulatio Bethuelis et Labani, Rebeccam ultro dimittentium, quia rem non ſine numine factam agnoſcebant ỳ. 50. 51. et feſtinatio Elieſeris, quem usque adeo impatientem morae fuiſſe conſtat, ut poſtridie quam veniſſet, voluerit diſcedere, vid. ỳ. 54. Huic autem feſtinationi multo rectius convenit ſi ſupponas parentes Rebeccae aliquot dierum ſpatium cunctari voluiſſe, quam ſi menſem totum animo concipias: & Abrahamum non niſi paucorum dierum itinere ab eo loco habitantem.

Si quaeras quid cauſae ſit, ob quam in Samaritano codice pro עשור nunc legatur חדש? non deerunt forte, qui arbitrentur verba Moſis ſiniſtre intellecta et phraſin חדש ימים alibi obviam, velut Gen. XXIV. 14. huic lectioni anſam et occaſionem dediſſe: ſed en praeclarum noſtri Critici acumen et admirabilem animi ſagacitatem, qua vidit et primus omnium docuit, *quo deſcriben-*

bendi errore factum fuerit עשור *ex* חריש, quod praefert codex Samaritanus, *& fuerit* אר *perperam interpolatum.* Nempe, ſi λέξιν noſtrum Apollinem ſequare, *mendum* עשור *natum fuerit neceſſe eſt ex* חריש, *quoniam litterae daleth & reſch figura ſunt ſimiles, litterae autem* ח *&* ע *ſono. Sed* אר *ex* וא *cum olim legeretur* ואחר, *potuit per imprudentiam geminari, & praepoſterè deſcribi, neque non retro agi, ut eſſet ante* עשור *mendum jam factum; quoniam* אר, vel, *ante* אחר *nihil ſonabat, & ut aliquid ſententiae prae ſe ferret, ante* עשור *poſitum.* vid. notam ad h. l.

D*einde* Geneſis cap. 49. ℣. 22. *ubi Jacob, poſtquàm dixit,* Joſeph filius fructeſcentis ſuper fontem, *Hodierno in Codice pergit his verbis,* בנות צעדה עלי שור, filiae diſcurrit ſuper murum; *in quâ & ſcriptione & interpretatione novi Interpretes nihil vident, quod reprehendant. Nam inducunt numeri* Enallagen, *ut* filiae diſcurrit *poſitum ſit pro* filiae diſcurrunt; *de quo* Enallagę *genere in infrà dicendis diſputabimus. Nunc obſervamus verbum* צעד *habere motum ex loco in locum, qui motus non cadit in ramos arboris, quae ſuo in loco ſtat, dum protendit ramos, qui etiam loco non cedunt, dum eundo creſcunt. Quae cùm ita ſint, quaerimus quàm vere dixerit Jacob ramos* ire *ſeu* ambulare *ſuper murum, Quòd ſi dixeris verbum* ire, *ſeu* ambulare, *convenire in* filias, *iterum quaerimus, quonam pacto in* ramos, *qui loco non moveantur, aptari* filiae, *quae* ambulant, *poſſint. Num putabimus Patriarcham Jacob tranſlationem uſurpaſſe vel falſam, ut* ramos *immotos dixerit eſſe* filias ambulantes, *vel deridendam, ut eas* filias *ſuprà murum ambulantes voluerit eſſe tanquam vulpeculas, que ſuper levem parietem diſcurrant? Ergo* filiae *illae* (בנות) *longè amovendae: advocandum* בני, fili mi. *Similiter ejiciendum* צעדה, ambulat, *quod habet cum ſolecìſmo falſum ſignificatum; revocandum* צעירי, parvulus meus; *quam utramque ſcripturam Samaritani retinuêre, quamque etiam in ſuis Codicibus habebant* Graeci Int. *quae denique in Prophetae ſententiam mirificè quadrat.* Filius meus Junior, *inquit Jacob,* עלי שור, ſuper me imperat, *id eſt, ad eminentiam tantam nunc eſt evectus, ut dominetur in patrem ſuum. Nempe videt Jacob, in filio Joſeph,* Meſſiam *futurum.*

Ludos dedit emendator noſter: daturus majores ad hunc locum. Jacobus filium ſuum Joſephum confert cum propagine arboris foecundae plantatae ſecus fontem; et imaginem hanc auget verbis בנות צעדה עלי שור, quae vertimus: *unaquaelibet filiarum* i. e. ramorum *ejus adſcendit, graditur ad, apud juxta, vel propter murum*, vel ſi quis mavelit, *regulam*, vel *pedamentum.* Primo enim particula על unde עלי in ſtatu regiminis, ut alibi (*g*) hic veniens, variam hanc poteſtatem admittit. (*h*) Deinde verbum שור ejus eſt naturae, ut deſignet

(*g*) Job. XXIX. 4. Prov. VIII. 2.
(*h*) Vid. Noldii *Concord. partic.* h. v. num. 5.

F

Digitized by Google

net *extendere ſe*, & quidem *recta et ſtriata linea* vel *ſerie*. Quare per quam probabile eſt, vocabulum שור aeque ac שרה, unde Jerem. v. 10. in caſu ſimili שרותיה, ad ſtructuras ligneas ordine diſpoſitas, ſive ad pedamenta delatum eſſe quibus vites fulciebantur. (*i*) Certiſſimum ſane eſt et conſenſu communi dialectorum orientalium confirmatum, quod שור deſignet *murum*.

Apparet patriarcham oculos mentis defixos habuiſſe in genus arborum muris obſerpens, vel regulis et pedamentis alligari et firmari ſolitum, et novis continuo arundinibus vel baculis abundans, ſpeciatim vero ad vitim. (*k*) Nam ut ſpeciatim vitim intelligam ad eamque reſpici putem, facit cum conſuetus hujus emblematis uſus apud ſacros ſcriptores quando alicujus populi vel hominis fortuna laetior deſcribenda eſt, tum forma foeminina vocabuli פורת *fructifera* qua Jacobus reſpicere non potuit nomen עץ *arborem* ſignificans, quippe quod maſculinum eſt, ſed גפן *vitim* notans, quod uſurpatur foeminine.

Quod jam ad enallagen adtinet, qua verbum צעדה conſtruitur cum בנות, et numerus ſingularis in verbo adhibetur pro plurali, quaeque Critico noſtro anſam dedit ſubſtituendi vocabuli צעירי ex codice Samaritano, ea in caſu hujusmodi: i. e. cum vel aequalitas vel diſtributio deſignatur, tam familiari uſu teritur Hebraeis ceteriſque orientalibus, ut mirari ſatis nequeam, qui potuerint nonnulli interpretes qui ſupra vulgus ſapiunt, eam cum Noſtro pro duriore habere. Exempla ejus ſunt Joel. I. 20. Pſal. XXXVII. 31. et Job. XXII. 7. XVIII. 14. XXVII. 20. ad quae poſtrema loca plura dabit A. Schultenſius. Senſus itaque eſt quem diximus, unamquamlibet vel omnes et ſingulas *filiarum* i. e. ramorum, ſtolonum vel baculorum ejus gradi, vel adſcendere &c.

Sed diſplicet Hubigantio verbum צעדה et item alterum בנות non ſolum propter formam, ſed etiam propter poteſtatem. Quae cum, more ſuo, exagitat, et a ſcopo Jacobi prorſus aliena eſſe pronunciat, non magnam ſtili linguaeque Hebraicae peritiam prodit, nec ſenſum orientalem. Notiſſimum enim eſt quod orientales, id quod producitur a re aliqua tanquam origine vel cauſa, vel etiam ea continetur, *filium* vel *filiam* adpellitent, ex adverſo autem continens, aut cauſam vel originem *patrem* aut *matrem* vocent. Sic, ut deſinam alia, בן אשפה *filius pharetrae*, et בן קשת *filius arcus* eſt ſagitta, quia illa continetur, hoc vero emittitur. Ex quo apparet voces iſtas ſacris ſcriptoribus multo majori jure ad propagines, ſtolones et ramos arborum deferri, quippe qui truncos aut radices ſuas e quibus oriuntur et in quibus ſuccreſcunt, eadem ratione reſpiciunt, ac partus matrem vel patrem. Et ſane Hebraei palmites vel baculos qui in vitibus gignuntur his ipſis nominibus filiorum indigitant. Cujus rei tam inſigne exemplum reperitur Pſal. LXXX. 15. 16. coll. 9. 10. 11. ut nihil ad veritatem ejus requiri poſſit amplius.

De

(*i*) Conf. Cl. Venema ad Gen. XLIX. 22.

(*k*) Videri poſſet reſpici ad hederam, quippe laetiſſime ſuccreſcentem et perpetua viriditate ſua jucundam, nec Palaeſtinis incognitam, ut patet ex Hieronym. *Comment.* ad *Jon.* IV. 6. ſed obſtat, ut alia mittam, quod hedera non ferat fructus.

Digitized by Google

De verbo צער etiam conſtat quod Hebraeis et Arabibus notet *ivit, ennit* hinc *gradi, greſſus et progreſſus facere*, indeque *ſcandere* et *recta adſcendere.* (*l*) Greſſus autem orientalibus transferuntur ad proſperitatem et fortunam laetiorem ſignificandam. (*m*) Quando itaque Jacobus hoc verbum ad palmites vitium tranſtulit, juxta murum, regulas vel pedamenta laetiſſime et alacriter ſuccreſcentes, videtur vix aptius et ſignantius ullum potuiſſe adhibere; quippe quo non ſolum celeritas et firmitas incrementi, ſed etiam laetiſſimus et feliciſſimus ſtatus horum palmitum deſcribitur.

Tantum igitur abeſt, ut neceſſum ſit, amotis, quod vult Criticus noſter, vocabulis בנות et צעדה, ex Samaritano codice huc revocare בני צעירי *filius meus junior*, et pro עלי שור, molliore ſibilo, legere עלי שור *ſuper me imperat*, vel ut infra, (*n*) *ad me reſpice*, quam lectionem in ſuis codicibus habuiſſe Graecos interpretes exiſtimat, (*o*) ut potius dicendum ſit, ſenſum elegantiae et venuſtatis non habere, qui lectionem quam prae ſe ferunt codices Judaici, repudiet, et quam propoſuit Hubigantius, adoptare velit.

CLASSIS II. De iis mendis, quae ſententiam mutant aut obſcurant, ex omiſſis verbis, aut verborum litteris.

Geneſis cap. 25. ℣. 8. *Poſtquàm dictum eſt*, mortuus eſt Abraham . . . ſenex, *ſubjungitur* ושבע, & plenus . . . . *neque additur cujus rei* plenus. *Non dubium, quin* plenus dierum. *Ergò abeſt à Contextu* dierum. *Nam ſi dicas, eſſe* Ellipſin *vocabuli* dierum, *quo jure id ſancies, quo id exemplo firmabis? Non fuit niſi novorum Interpretum, ut* Ellipſes *tales inducerent, & ſic tanquam ex machinâ, ut nodos ſolverent, advocarent. Quos condemnabant* Graeci Int. Syrus *&* Arabs, *qui quidem convertunt*, plenus dierum. *Atque eos veteres ne credamus in ſuis Codicibus vidiſſe ejusmodi* Ellipſin, *monet* Sam. Pententachus, *in quo legitur* ושבע ימים, et plenus dierum, *ut alibi paſſim legitur.*

Nodum in ſcirpo quaerit Hubigantius, et immerito debacchatur in ellipſin quam orationis elegantia & concinnitas poſtulavit. Largior ipſi שבע alibi conſtrui cum ימים. (*p*) Sed eſt etiam ubi abſolute ponitur, velut Prov. xix

(*l*) Sic apud Eutychium Alexandrinum *Annal.* tom. I. pag. 110. وصعد يوشع مع بني إسرائيل الى جبل *Et adſcendit Joſua cum filiis Iſraël in montem.*

(*m*) Vid. Schultens ad Job. XVIII. 7. 14.

(*n*) A. pag. 245. B. 122. C. 93.

(*o*) Perperam, quia graeci προς με αναστρεψον, unde Grotius eos legiſſe ſuſpicatur עלי שוב.

(*p*) Quae etiam procul dubio cauſa fuit quapropter in nonnullis codicibus quae indigitat Kennicottus num. 218. 247. 248. ad h. l. plene legitur שבע ימים. Nempe librarii quidam ex opinione probabili ſic ſcribendum eſſe putabant.

xix. 13. יראת יהוה לחיים ושבע ילין בל יפקד רע. *Timor Dei eſt ad vitam & ſatur* dierum *pernoctabit*, *nec viſitabitur malo*. Noſtro in loco tanto minus neceſſe erat, ut adderetur ימים, quia praeceſſerat זקן *ſenex*, et שיבה טובה *canities bona*; quin imo praeceſſerat ipſiſſimum ימים verſu antecedenti; adeoque obſcuritas non erat metuenda. Quod Graeci interpretes, Syrus et Arabs, juxta cum Vulgato, convertunt *et plenus dierum*, in eo non interpretes agunt, ſed paraphraſtas. Supplent quippe, et recte ſupplent, quod alibi plene legitur, et in ea lingua, in quam Hebraicum ſermonem transfundunt, ſi omitteretur, aliquam parere poterat obſcuritatem. Sed ſupplent tamen, quod ſi absque illis foret, ſententiam non reddebat mutilam, aut hiantem apud eos qui Hebraice intelligunt et uſum vocabuli שבע in hoc caſu, habent exploratum.

Geneſis cap. 41. ℣. 56. *ſic habetur*; erat fames ſuper univerſam terram, & aperuit Joſeph univerſa, in quibus erat... *Haeret Hodiernus Codex, neque quidquam amplius addit. Verùm quis Lector continere ſe poſſit, quin addat* frumentum, *quod verbum Librarius omiſit Judaeus, non omiſit Samaritanus? Nempe in* Sam. Pentateucho *legitur*, אשר היה בהם בר, in quibus erat frumentum; *nec aliter legebant* Graeci Int. *quos ſequitur* Vulgatus. *Ut planum fiat Librarium Judaeum ſimilitudine verborum* בהם, *vel* בם *&* בר, *deceptum, alterum omiſiſſe. Vide notam in hunc locum adverſus Joan. Clericum, cui videbatur* בהם *referri ad* בתים, domos, *quod verbum, etſi non legitur, tamen volebat eſſe ſupplendum*.

Non multum abſimilis notae eſt alter locus qui producitur. Culpatur a Noſtro librarius Judaeus, quod ſimilitudine verborum בהם vel בם & בר (q) deceptus ad calcem pericopae reſecuerit בר *frumentum*; ut quod ſupplevit Samaritanus. Verum ſupplevit ille, quod quivis lector Hebraice doctus, vel ex eodem contextu ſupplere poterat; continuo enim ſequitur וישבר למצרים *& vendidit annonam Aegyptiis*; quale verbum apud Moſen per ſe notionem frumenti vel emendi vel vendendi importat, vid. ℣. 57. XLII. 2. 6. atque adeo non niſi ex abundanti cum בר conſtruitur.

Jo. Clerico accedere non poſſum בהם ad בתים referenti; nec tamen multo meliore jure בהם refertur ad כל, quod etſi multitudinem aut univerſitatem infert, tamen proprie ſubſtantivum ſingularis numeri eſt, et hinc cum pronominibus affixis eodem pertinentibus vulgo conſtruitur, vid. Gen. II. 19. Jerem. VI. 6. atque adeo potius dicendum erat אשר בו, quam אשר בהם. Res ipſa igitur poſtulat, ut בהם referamus ab פנים *faciem* vel ſuperficiem *terrae*, ut ſenſus ſit, Joſephum, cum ingrueret fames ſuper omnem faciem terrae, aperuiſſe omne quod erat in ea, et vendidiſſe annonam Aegyptiis. Quae cum ita ſint, intelligitur vocabulo בר nos facile carere poſſe, inprimis quia nullus id ſupplet cod. MS.

Deute-

(q) Conf. infra A. pag. 159. B. pag. 129. 130. C. 93.

Digitized by Google

Deuteronomii cap. 33. ℣. 12. *Moyſes*, *Tribui Benjamin benedicens*, *ſic loquitur*, בינמין ישכן לבטח עליו חפף עליו, Benjamin habitabit confidenter ſuper eum, proteget ſuper eum; *in quâ oratione*, *quoniam prius verbum*, habitabit (confidenter,) *de Benjamin effertur*, *erat conſectarium*, *ut poſterius*, proteget (ſuper eum) *de Benjamine etiam efferretur*, *cum tamen Dei ſit* protegere, *non* Benjamin. *Eam igitur orationem cùm quidam Interpretes viderent eſſe deſultoriam*, *in ambiguoque vix ferendo poſitam*, *hoc vitium evitare ſe poſſe crediderunt*, *ſi converterent*, habitare faciet eum confidenter, *ut de eodem*, *nempè de Deo*, *utrumque accipiatur*, habitare faciet confidenter.... proteget.. *Sed quàm incommodè iſtud* Hiphil *introducitur*, *nullo perſonae caſu comitante? Profectò Moyſes ſcripſiſſet* ישכנו, habitare faciet eum. *Ergò illi interpretes ambiguitatis vitium caſtigant*, *alio vitio*. *Neque vitium tollitur*, *niſi cum* Graecis Int. *legas poſt* לבטח, *non* עליו, *ſed* עליון, Altiſſimus *literâ* ן *revocata*, *quam propè* ו, *fere ſimilem*, *Scribae omiſerunt*; Altiſſimus obumbrabit illi; *in quibus verbis docetur cur* Benjamin *ſit confidenter habitaturus*. *Videlicet Moyſes Deum ſimilem facit Aquilae* Benjamino *imminenti*, atque alis eum ſuis ex alto protegenti, quam ſimilitudinem introducit ipſum verbum עליון, Altiſſimus: *vide notam noſtram in hunc locum*..

Intentio Moſis eſt praedicere quod Deus habitaculum ſuum habiturus ſit in finibus tribus Benjamin. Hoc nomine Deum et Benjaminem tanquam amicos repraeſentat inter quos arctiſſimum intercedat amicitiae et conſuetudinis vinculum. Subjectum orationis eſt Benjamin, ad quem igitur affixa omnia referenda ſunt, quemadmodum verba omnia ad Deum. Vertimus ergo totum locum, quem Hubigantius non niſi mutilatum exhibuit: *Et de Benjamine dixit*: *Dilectus Deo*, *habitabit* vel *requieſcet* (Deus) *complanate ſuper eo* (Benjamine) *obumbrans*, *obtegens eum* (Benjaminem) *quotidie*, *inter humeros ejus* (Benjaminis) *quieſcens*. Nec multum diſſimilis huic eſt oratio ℣. 13. 16. Confer jam quae adſperſit Noſter et videbis eum cum larva pugnare. Longius petitum eſt, quod pluribus docet in notis h. l. Deum hic comparari cum aquila ab alto delapſa, humeris Benjamin imminente, atque eum ſuis alis protegente: refragatur quippe uſus verbi חפף etiam nonnullis interpretibus obſervatus, quibus ad thalamum refertur. Dictatorium vero et ridiculum, quod ait, vitium de contextu non tolli, niſi cum Graecis interpretibus poſt לבטח legas עליון *altiſſimus*. Scire autem velim, quinam ſint illi Graeci interpretes qui poſt לבטח legunt עליון? Ego ſane neque in Romana, neque in Alexandrina eorum editione ejus rei quidquam inveni, nec credo inventurum alium.

CLASSIS III. De iis mendis quae ſententiam mutant aut obſcurant, ex additis verbis, aut verborum litteris.

Geneſis cap. 9. ℣. 5. *ſic habetur* מיד כל חיה אדרשנו ומיד האדם de manu omnis beſtiae requiram illum (ſanguinem) et de manu hominis. *Quae cùm legimus, ſubit interrogare, quid ſibi velit id*, de manu beſtiae requiram ſanguinem. *Num enim qui leones, aut qui lupi homines vivos devorant, ex iis Deus humanum ſanguinem repetit, ſanguinemque ſanguine ulciſcitur? Hanc difficultatem, Lectori quidem ſano inſuperabilem, tollit* Sam. Pentateuchus, *in quo legitur*, מיד כל חי, de manu omnis viventis; *quod ſic legendum eſſe duae res confirmant: una, iſtum ſcribendi modum*, de manu beſtiae, *Moſis ſtylum non ſapere, neque ejus exemplum eſſe ullum; alterà, cùm Deus lege ſanciat ne homo hominem occidat, nullam cauſam eſſe, cur beſtiae in mediam legem adducantur. Nam ad beſtias nihil de lege, de beſtiis nihil ad legem pertinet. Errandi, opinor, materiam dedit id, quod proximè ſequitur*, & de manu hominis, *videlicet conjunctio* et *ante* de manu hominis, *per imprudentiam addita. Nam, cùm Scriba legeret*, & de manu hominis, *facile crediderit id, quod anteceſſit, non de homine fuiſſe dictum, ſed de beſtiis, ſcripſeritque adeò* חיה beſtiae, *cùm tamen legeret* חי, viventis. *Sed iſtud* et, *ex quo is error, vel ſimilis alius, naſcebatur, omittunt Samaritani, neque id legebat Syrus. Quorum ſcriptionem cùm ſequaris, ſententia haec plana exoritur*, requiram illum (ſanguinem) de manu omnis viventis. *Deinde, ut explicetur, quid ſit* vivens, *continuò ſubditur*, de manu hominis, de manu viri fratris ejus; *hoc eſt, ab homine ſanguinem quaeram hominis, quia homo hominis frater eſt.*

Quaerit Hubigantius quid ſibi velit, *de manu beſtiae requiram ſanguinem.* Reſpondeo, Deum Opt. Max. hominibus ex arca egreſſis, id privilegii conceſſiſſe, ut jus et ampliſſimam poteſtatem haberent in omnia animantia ℣. 2. Quare, ſi vellent, converterent ea in cibum ℣. 3. ſed hac lege, ne carnem cum ſanguine comederent, quia ſanguis ſit anima ejus ℣. 4. A ſanguine animalium legiſlator progreditur ad ſanguinem hominis, tanquam digniorem et praeſtantiorem; cujus effuſionem, ob hanc cauſam, tam ſibi diſplicere docet, ut etiam animalia ipſa, ratione carentia datura ſint poenas, ſi hominem occiderint, ut qui creatus ſit ad imaginem Dei; (℣. 6.) multo magis igitur homines poenas daturos eſſe, ſi caedem humanam perpetrarent. ℣. 5. Modus vindictae ſumendae et poenae utriſque infligendae declaratur ℣. 6. *Quicunque ſanguinem hominis effundit, ejus ſanguis ab homine effundetur.* Ex quo apparet, ſi ſanguinem de manu hominis requirere, ſit ſanguinem ejus per homines effundere, ob paritatem rationis etiam ſanguinem de manu beſtiae requirere nil aliud ſignificare, quam ſanguinem ejus per homines effundere, beſtiasque adeo aeque plectendas eſſe ab hominibus, quam homines ipſos.

Quae-

Quaerit porro quid cauſae ſit, *cur beſtiae in mediam legem adducantur*. Ajo beſtias paulo ante ſubjectas eſſe hominum abſoluto imperio et arbitrio ℣. 2. 3. atque adeo id pertinere ad hujus juris exercitium, ut beſtiae plectantur, ſi in homines conſurgerent, ut quas, etiam cum proſint, fas ſit occidere, multo magis ergo cum damno afficiant. (*r*)

Deinde Deus adducit beſtias in mediam legem, non quod objectum legitimum ſint legis, quod in bruta non cadit, ſed ob facti atrocitatem, et ut a minori, quod ajunt, ad majus argumentando, hoc exemplo doceat, ſi ob patratam necem humanam beſtiae quoque morte plectendae ſint, multo magis ergo homines plectendos eſſe. (*s*) Accedit, quod Deus denuo in patrocinium ſuum ſuſcipiat omnem creaturam, et cum beſtiis aeque foedus erigat atque cum hominibus ℣. 9. 10.

Idem docendi genus in aliis legibus divinis obſervatur: & quid multa? confirmat quod diximus, lex de bove cornupeta Exod. xxi. 28. pauperiem faciente, jubens eum interfici, liberum vero exire dominum. Nec diſpar ratio eſt hominum atque animalium adſpectu ſanguinis non guſtandi Levit. xvii. 13. quo in loco ſanguis tanquam res ſacra ſpectatur, ideoque nec utenda hominibus, nec beſtiis abſorbenda.

Poſtremo, quia Noſter ſollicitat verbum חיה, *Moſis quippe ſtilum non ſapere, iſtum ſcribendi modum, de manu beſtiae, neque ejus exemplum eſſe ullum*: tenendum eſt, quod Moſes voce יד utatur quam varie: et quidem, ut eam non ſolum ſenſu proprio vel improprio de *manu* adhibeat, ſed inſtar particulae vel praepoſitionis *a*, *ab*, vel *abs* denotantis. (*t*) Quo modo מיד כל חיה nil aliud ſonabit, quam *ab omni beſtia*, et מיד האדם *ab homine*. Quod ſi vero quis malit vocabulum מיד vertere cum noſtro *de manu*, ejus in gratiam lubet obſervare, quod ſtilo ſcripturae, animalibus brutis haud raro actiones humanae adſcribantur, iiſque etiam adtribuantur manus, velut 2. Sam. xvii. 37. Pſalm. xxii. 21. Dan. viii. 4. 7. Quare, quid vetat quo minus Moſes dixerit etiam מיד כל חיה *de manu beſtiae?* Reſtat vocabulum חי; quod cum loco illius in textum intrudit, licet a nullo libro MS. agnoſcatur, ſubit viciſſim interrogare, quo jure illud tandem ad ſolos homines reſtringat? Moſes tribus verbis ante, nempe verſu praecedenti, hac voce ita uſus erat, ut eam aeque ad animalia referat, quam ad homines.

Levitici cap. 7. ℣. 19. *ita legitur:* באש ישרף והבשר כל טהר יאכל בשר (caro) igne comburetur, et carnem omnis mundus comedet carnem. *Ubi vides*

(*r*) H. Grotius apud Seldenum de Jur. Nat. l. 7. c. 4. *Quia in beſtias proprie delictum non cadit, ubi beſtia occiditur, ut lege Moſis ob concubitum cum homine, non ea vere poena eſt, ſed uſus dominii humani in beſtiam.*

(*s*) Lyranus ad h. l. *Homo non ſolum punitur propter homicidium, ſed etiam beſtia, ſi interficiat hominem, propter facti horrorem; quamvis animal brutum peccare non poſſit.*

(*t*) Loca ſunt apud Noldium voc. מיד.

vides, Erudite Lector, in eodem orationis membro carnem (בשר) *iterari, cùm ſemel adhiberi ſatis fuiſſet. Quam iterationem quidam Interpretes, ut aliquo veritatis colore ornent, ſtatuunt eſſe Hebraicam ſcribendi formam, aiuntque* carnem *eſſe pro* ipſam; *ſic ut* & carmen quivis mundus comedet camen, *idem ſit quod* et carnem quivis mundus comedet ipſam; *cujus Hebraiſmi teſtem proferunt Grammaticum* Glaſſium, *in* Canone *quodam ſic ſancientem*, pro relativo & reciproco, quandoque etiam poſſeſſivo pronomine, ipſum ponitur antecedens in Textu repetitum; (*) *neque vident Glaſſianum* Canonem *partim verum eſſe, partim etiam falſum. Nam cùm oratio in duo membra ſparſa eſt, quorum in priori enuntiatur nomen ſubſtantivum, in poſteriori idem nomen iteratur, non dubium eſt, quin nomen iteratum vicem gerat pronominis, ut in eo Glaſſiano exemplo*, quo die creaverat Deus hominem, in ſimilitudine Dei fecerat eum, *non dubium eſt, quin* Dei *pronominis* ipſius *vicem gerat. Quòd ſi verò in uno eodemque membro nomen aliquod ſubſtantivum iteratur, nos, pace* Glaſſii, *negamus nominis iterationem pronominis loco eſſe habendam ſi pronomen ejusdem caſus eſſe debeat, ac ipſum nomen, ut hoc loco* ipſam *eodem in caſ eſt, atque* carnem. *Neque verò non id negari poſſe* Glaſſius *tacitè ſuſpicabatur. Etenim, cùm pro exemplo affert hunc* Levitici *locum, is eum ita convertit, duo ut membra latinè faciat, quod Hebraico in contextu membrum eſt non plus quàm unum. Nam cùm Hebraicè ſic legatur*, & carnem quivis mundus comedet carnem, *ita* Glaſſius *interpretatur*, quod autem ad carnem reliquam, quivis mundus comedere poterit carnem. *In quâ interpretatione duo vocabula* Glaſſius *ſuggerit, unum* quod, *alterum* reliquam; *quae verba ut abſunt, ita* Glaſſio *neceſſaria erant, ut orationem, quae unius membri eſt, in duo membra diſpertiret. Sed ab eo* Levitici *exemplo* Glaſſius *proferendo temperaſſet, ſi Hodiernum Contextum cum* Sam. Pentateucho *contuliſſet. Nam cùm Hodierno in contextu ita legatur*, באש ישרף · והבשר, *puncto minori poſt* ישרף, *poſito, et addita conjunctione ante* הבשר, Sam. *in* Pentateucho *ſic habetur*, באש ישרף הבשר, *puncto minori poſt* הבשר *rejecto, & omiſſa* ו *conjunctione, ex quâ perperam inſultâ naſcitur hujus loci difficultas ea, quae* Glaſſium *torquebat. Nam ſi convertas ex Sam. ſcriptura*, in igne comburetur caro, quivis mundus comedet carnem, *nihil jam de hoc loco ad* Canonem *pertinet Glaſſianum. Veruntamen alia quaedam ſupereſt difficultas vel ex unâ litterâ omiſſâ, vel uno ex verbo trajecto, de quâ re vide Notam in hunc locum, & ad* Levit. cap. 14. & 15 16. ℣. 26. conf. 27.

Emendatoris vero me miſeret, cum reprehendit quae non capit. Miſcet et turbat quae ſunt diſtincta, et facile percipientur, ſi locum, uti ſe habet, integrum repreſentavero. *Caro*, ſacrificii ſalutaris cujus paulo ante facta erat mentio, *quae tetigerit quidquam immundum, ne commeditor, igne comburitor. Quod autem ad carnem, quivis mundus comedet carmen.* Quaeritur jam num repetitio carnis ſub finem commatis inſtituta, hac poſita ejus interpunctione, ſit otioſa? Glaſſius refert ad loquendi genus Hebraicum, cum antecedens ponitur pro relativo, atque adeo hanc iterationem pronominis loco habendam putat. Qua in re eatenus perperam reprehenditur a Noſtro,

quod

(*) Glaſſius *Philologiae Sacrae Lib. III. Tract. II. Can. XIII. pag.* 333.

quod negat, *ſi in uno eodemque membro nomen aliquod iteretur, eam iterationem pronominis loco eſſe habendam, ſi pronomen ejusdem caſus eſſe debeat, ac ipſum nomen:* contrarium enim obtinet, v. c. Gen. XII. 5. Num. VIII. 19. alibi.

Sed judicat Noſter de ſermone Hebraico, ut ſolent nonnulli, qui dictionem ſacrorum ſcriptorum et ingenium Hebraeorum ex ingenio aliorum populorum et natura linguarum Graecae et Latinae metiuntur, in quas oratio Hebraica transfunditur. Aliud enim menti lectoris inſinuat Hebraeus, aliud Graecus vel Latinus interpres. Hebraeus morem ſuum ſequitur: interpres vero adtendere debet ad linguae ſuae ac gentis genium, qui ab iterationibus id genus abhorret. In ſermone Hebraei hominis dominatur ſimplicitas, abruptio, et affectus: in Graeco Latinoque ſermone obſervatur flumen orationis nulla tali repetitione ſufflaminandum. In auribus Hebraei hominis iteratio verbi ejusdem non eſt vitioſa, quin ſaepe neceſſaria, cum nempe metuendum eſt, ne ſi pronomina adhibeantur, alio referantur enunciata, quam par eſt.

Atque ex eo genere cum ſit hic ipſe locus quem prae manibus habemus, exiſtimo repetitionem ejusdem vocabuli non ſine gravi cauſa inſtitutam, et ſumme neceſſariam fuiſſe. Nempe lex de carnibus ſacrificiorum a puris hominibus comedenda, eſt generalis, vide Levit. XXII. 4 — 9. neque ſolum carnes ſacrificiorum ſalutarium ſpectat de quibus hic agitur, ſed carnes quorumcunque aliorum ſacrificiorum, quae comedebantur. Itaque cum Deus Opt. Max. conſultum duxerit hoc loco ubi de ſacrificiis ſalutaribus agit, anſam dante munditie in carnibus ſacris obſervanda, hanc legem, de munditie eam comedentium tradere, eumque canonem generalem ſacrificio ſalutari adplicare ℣. 20. non potuit aptiore, aut magis claro dicendi genere uti, quam hoc quod exhibent editiones noſtrae. Quod ſi enim legiſlator pro יאכל בשר, dixiſſet יאכל ממנו, intelligi potuiſſet de ſolis carnibus ſacrificiorum ſalutarium loqui velle, non de aliis per quas comedentes communionem haberent cum altari, nec canonem generalem voluiſſe tradere.

Si vero etiam הבשר pertrahitur ad antecedens ישרף, mirum videri debet cur Moſes, praeter omnem rationem, id vocabulum in hoc membro priore geminare, et a conſueto dicendi genere quo paulo ante ℣. 17. uſus fuerat, recedere voluerit; atque ita facere, ut lectori in mentem veniat בכל טמא referendum eſſe ad ſolas perſonas (*u*) Nunc cum והבשר legitur, idque pertrahitur ad membrum poſterius, ut cohaereant iſta, והבשר כל טהור יאכל בשר, apparet manifeſtiſſime legem generalem eſſe quae fertur, anſam dante carne ſacrificii ſalutaris, et carnem cujus hic mentio fit, non de ſolo hoc ſacrificio intelligendam, ſed etiam de ſacrificiis aliis.

Ejus-

(*u*) Qui error, alio in loco, nempe Lev. VI. 20. ſubrepſit Graecis cum vertunt πας ος αν αψηται, cum deberent παν ο αν αψηται. Nemo enim circa hoc ſacrificium occupatus erat praeter ſolum ſacerdotem.

Ejuſdem generis illuſtre exemplum eſt Deuteronomii cap. 28. ℣. 57. *in unâ litterâ* ב propè *alteram* ב, *perperàm inculcatâ. Nam poſtquàm Moyſes futura in judaeos rebelles mala, atque horribilem famem ſic praenunciavit*, mulier tenera & delicata, quae prae mollitie & teneritate ſummo pede attingere terram non tentabit, erit oculus ejus malignus contrà virum gremii ſui, contrà filium ſuum & contrà filiam ſuam, *Hodiernus Codex ſic deinde pergit*, ובשליתה היוצת מבין רגליה ובבניה אשר תלד, *quae verba turba Interpretum ita convertunt*, & in ſecundinas ſuas, quae egrediuntur de medio pedum ejus, & in filios ſuos quos genuerit? *in quâ interpretatione tria ſunt reprehendenda. Primum, in eâ ſerie, ſanè quàm longâ*, contra virum . . contrà filium, contra filiam, contrà ſecundinas, contrà eos filios, quos genuerit, *repetitionem in fine extare ſuperfluam. Nam poſtquàm dictum eſt* contrà filium & filiam, *ſuperfluè ſubditur*, & contra eos filios, quos genuerit, *vetante praeſertim conjunctione* et, *ne ultima haec verba ſic accipiantur, ut redintegratio rerum ſuprà-dictarum. Alterum, haec verba*, erit oculus ejus malignus, *quae cum his proximè ſequentibus*, contrà virum gremii ſui, contrà filium ſuum & filiam ſuam *benè conſociantur, malè adjungi ad haec altera*, contrà ſecundinas ſuas & partum ſuum; *quoniam ejus mulieris oculus aliter malignus eſt contra* virum, filium et filiam, *aliter* contra ſecundinas ſuas et partum ſuum. *Nempe* virum ſuum, filium & filiam *ea mulier propterea malignis oculis aſpectura eſt, quòd partum ſuum meditans ſola clàm devorare, ut famem expleat, timebit, praeſentibus viro, filio & filiâ, ne non id poſſit; ſed* ſecundinas ſuas & partum ſuum *propterea malignis oculis intuebitur, quia illis famem explere meditabitur. Ergò affectiones illae duae muliebris animi tam diverſae cùm ſint, ut una ſit, devorare velle partum ſuum; altera, timere, coràm teſtibus, ut id fieri poſſit, quis credat Moyſen uno modo res tam diverſas enuntiaſſe, eandemque loquendi formam*, erit oculus malignus, *ἀπὸ κοινοῦ in rebus prorſùs differentibus uſurpaſſe? Utrùm nos id ſcribendi genus in Moyſen conferemus, quod is ſcriptor, qui non eſſet in componenda oratione planè infans, nollet adhibere? Itaque etiam id evitat* Arabs, *ſic convertens*, denegabit marito ſuo, filio ſuo & filiae ſuae ſecundinas ſuas à ſe decidentes, *ex ſcripturâ Hodierni Codicis non nihil devians. Tertium eſt, in ſignificatu ipſo* ſecundinae *vocabuli* שליתה, *in quem aptari, ut mox videmus, non poteſt* malignus oculus *idem, qui ad* virum, ad filium filiamque *modo pertinebat. Cujus ſignificatûs nullum aliud Hebraicis in codicibus exemplum reperitur, nullum veteribus in Linguis veſtigium; vix ullum apud Veteres Intt. ſignum certum & exploratum. Nam quòd* Graeci Intt. *vertunt χόριον*, pellem, *Editione in Romanâ, alii Codices habent κοράσιον*, puellulam; *nec verò etiam minus incertum eſt, utrùm ſcripſerint χόριον Graeci Intt. quàm uti ìm ſignificatum talem verbum* שליה *habere poſſit. Ergo nihil expediunt Interpretes. Sed ſi leges* ובניה, *non* ובבניה, *extrito uno* ב, *deinde* ובשלתה, *non* ובשליתה, *nihil jam ſupereſt difficultatis:* malignus erit oculus ejus in virum gremii ſui, in filium & in filiam, & coquet id quod egredietur ex medio crurum ejus, & filios ſuos; nam comedet eos clàm. *Idem verbum* בשל, coquere, *adhibetur in Libro* Regum *ſecundo* cap. 6. ℣. 29. *iis in mulieribus, quae Samariâ obſeſſâ & fame urgente, pactae inter ſe fuerant, ut infantulos ſuos comederent. Ergò eventus ipſe rerum praedictarum vaticinationem Moſis explanabat, idemque docet verbum* בשלתה, *retroacto* *,

vel

vel etiam ſublato, per verbum coquere *rectè nos interpretari*; *Et* ſecundinae *ipſae in verbo* היוצאת, *ſatis apertè demonſtrantur. Neque aliam ob cauſam Interpretes verbum* בשליתה *converterunt* ſecundinas, *quàm quòd poſt legerent*, ובבניה, *cum duplici* ב *mendoſè deſcriptum. Nam eò factum fuit, ut crederent τὸ* ובשליתה, *& τὸ* ובבניה, *eodem orationis in filo eſſe, atque adeo, ut τὸ* ובבניה *non aliter converti quàm*, & in filios ſuos, *licebat, ita etiam non licere τὸ* ובשליתה *aliter interpretari, quam*, & in . . . . *nempe litteram* ב *eſſe praepoſitionem, &* שליתה *eſſe nomen ſubſtantivum, quod ei praepoſitioni eſſet ſubjunctum; quod nomen appellarerunt* ſecundinas, *quia ſic* Graeci Intt. *convertere videbantur.*

Suſpecta eſt Noſtro litera ב Deut. l. c. ſemel in ובשליתה, atque iterum in ובבניה. Ac pro priore quidem verbo mavult legere ובשליתה, ut ſenſus ſit, *& coquet id quod egreditur ex medio crurum ejus*: pro poſteriore vero ובניה qua in re ipſum ſequitur Cl. Kennicott. (*x*) Scrupulum Hubigantio movet *primo*, quod cum ſuperiore verſiculo Moſes nominaſſet *filium* mulieris tenerae *& filiam*, nunc ſuperflue ſubdat *filios quos genuerit*. *Secundo* quod Moſes non putandus ſit duas diverſas muliebris animi affectiones, quarum una ſit devorare velle partum ſuum, altera, timere coram teſtibus, viro, filio & filia, ut id fieri poſſit, uno modo enunciaſſe, eandemque loquendi formam, *erit oculus ejus malignus*, ἐπὶ κοινῷ de rebus prorſus differentibus uſurpaſſe.

Quod ad primum adtinet, non movebit ſpero quenquam ut a communi lectione recedat, quod poſtquam dictum eſt ℣. 56. *contra filium & filiam*, ſubdatur ℣. 57. *& contra eos filios quos genuerit.* Quod ſi enim illud exponas de filiis natu majoribus, hoc de natu minoribus, cum Jarchio ad h. l. vel, ſi mavelis; illud de filiis quos maritus apud aliam uxorem procreaſſet, hoc vero de propriis quos ipſa peperiſſet, (אשר תלד) ut in univerſos ejuſmodi mulieris animus malignus ſit, quod cum aliquem natorum devoraſſet, nihil de carne cum quoquam communicaſſet, non video quid in ſolutione illa jure poſſit culpari.

Nec multo majoris momenti eſt altera difficultas quam reperiſſe ſibi viſus eſt in verbis תרע עינה, *malignus erit oculus ejus*, ut quæ referri non poſſint ad objecta invidiæ ℣. 56. ſimul atque ad objecta crudelitatis ℣. 57. Nam formula iſta latius patet, et ad utrumque affectum in caſu prorſus ſimili, ℣. 54. ita extenditur, ut appareat vim habere in hac oratione multo maximam, quoniam ex ea intelligitur quod parentes his liberis tenellis quos mactarent aeque ac ceteris alimoniam ſint inviſuri, atque adeo quae futura eſſent objecta crudelitatis, eadem et objecta invidiae fuiſſe.

De vocabulo שליה fateor, ſi de *ſecundis* vel *ſecundinis* accipiatur, ut vulgo ſolet, inhumanitatem deſcribi horrendam non ſolum, ſed quam vix cogitando aſſequi poſſis; ne dicam phraſin iſtam תרע עינה minus commode referri ad *ſecundinas*, ut quae nec objecta invidiae poterant eſſe, nec objecta cru-

(*x*) *The ſtate of the printed. Hebr. text.* Diſſ. I. pag. 418. ſeq.

Digitized by Google

crudelitatis. Rabbi Salomo, quem paulo ante allegavimus, eam vocem de infantibus parvulis accepit, nec ſane injuria. Etſi enim voces سلا & سلى, contra quam pronunciat Noſter, ab Arabibus de membrana illa accipiantur qua involvitur foetus bruti vel hominis, idem tamen ab Hebraeis factitatum eſſe, nullo conſtat indicio; ni forte cum A. Schultenſio huc referre velis, quod dicitur Job. XXVII. 8. qui tamen locus non magis, in hanc rem clarus eſt, quam alter ille qui produci ſolet ex II. Reg. IV. 28. Deinde verbum שלה & quae inde derivata ſunt nomina, monſtrante eodem Schultenſio *Orig.* tom. II. c. 3. penes Hebraeos ceteroſque Orientales, ab origine notant *pinguem & eliquatam ſecuritatem, nullis curis, nullis ſaeculis turbatam*, indeque Hebraeis haud obſcure transferuntur ad teneros infantes, ſive in utero adhuc haereant, ſive partu ſint editi, confer Job XX. 20. XXI. 23. et Jerem. XXII. 21.

Quod ſi igitur his ſub auſpiciis vocabulum שִׁלְיָה, *ἅπαξ λεγόμενον* exaudias de FILIA quadam *tenella probe vel molliter curata*, quam prae ceteris liberis antea in deliciis habuerit mater ejuſmodi *mollis & delicatula*, cui vero nunc, verſa rerum vice, ab eam rem maxime invideat quod molliter ali debeat vel educata ſit, cetera vero verba ובבניה אשר הלד de *FILIIS aliis quos peperiſſet*; vel, ſi mavelis, שִׁלְיָה accipias de foetu ſecundinis adhuc adhaerente & recentiſſime edito, vel mox edendo, cui alimentum etiam in ipſo utero invideat, quique ſimul ac editus eſſet, objectum crudelitatis ejus ſit futurus, ut verba ובבניה אשר תלד oppoſitum contineant antecedentium, *et in filios ſuos quos jam peperit*, vix video quid huic contextui adplicari poſſit aptius, neque adeo neceſſum erit, ut literula, vel punctulum immutetur.

Sane medicina quam huic loco facere ſatagit Hubigantius, eſt ipſo malo, ſi quod eſt, deterior. Nam et ſecundinas comedendas eſſe profitetur, et, ne quid dicam de forma בשילתה quam nemo unquam agnovit Grammaticus aut Lexicographus: ſi hoc voluiſſet Moſes, quod vult Noſter, dicendum ei fuerat ובשלה את היוצא מבין רגליה. Scribimus Hebraice doctis, hisque adeo qui ſtilo Moſis paulo magis tincti ſunt.

Nec facile quemquam movebit quod addit de verbo בשל II. Reg. VI 29. adhibito; quia parum adtinebat ad Moſen, ut hunc modum Thyeſteam hanc menſam parandi commemoraret, et in caſu parili, nempe paulo ante exidium Hieroſolymae, compertum eſt infantem a muliere nobili aſſatum eſſe. (*y*)

Majoris momenti eſt, quod obſervat Kennicottus, loco ſupra citato: antiquiſſimum codicem Bodleianum legere ובניה, *& filios ſuos*, absque praepoſitione. Sed niſi etiam in hoc vel alio codice Hebraico legatur ובשילתה, (quod ſecus eſſe docent ejuſdem Viri clariſſimi ad locum noſtrum obſervationes,) teſtimonium hoc, in caſu ejuſmodi, ubi haud vana ſuſpicio eſt alterum ב ex ובבניה per errorem librarii excidiſſe, rem non expedit. (z)

Ter-

(*y*) Indicio Joſephi *de Bell.* VI. 3. §. 4.

(z) Alia quae huc pertineat dabit Cl. Michaelis in *Relationibus de libris novis*, Faſc. IX. pag. 37.

Digitized by Google

Tertium ejuſdem generis eſto exemplum id, quod Deut. cap. 32. v. 5. *ſic legitur :* שחת לו לא בניו מומם, *quod quidem ſi ſic interpretabère,* corrupit, non filii ejus, macula eorum, *dabis manem ſonum nullamque ſententiam. Et quidem* 1°. *tueri non poſſis verbum* שחת, *numero poſitum ſingulari, ante* בניו, *nomen plurale. Et Veteres ferè omnes legebant* שחתו, *numero in plurali.* 2°. *Quid fiet de verbo* לו*? Utrum id cum verbo* שחת *ſocialis? Id ſi feceris, erit* לו *vel de* Deo, *dictum, vel de* populo *Iſrael. Si de* Deo, *quaenam id ſententia? Habet quidem interdum verbum* שחת *pone ſe dandi caſum; verum non alio in ſignificatu, quàm* exitium afferre. *Quid? An cecinerit Moyſes Iſraelem* Deo exitium attuliſſe? *Quòd ſi pronomen* לו *de* Deo *ita dictum putas, tanquam* coram eo, *ut convertendum ſit,* populus iſte corruptus eſt coram eo, *jam quaeritur quo id exemplo? An pertinebit* לו *ad* populum *Iſrael, ut ſententiam habeas,* corrupit ſe ſe? *Atqui dandi caſum poſt verbum* שחת *nuſquam reperies, ut ſignificetur,* corrumpere ſeſe, *aut vero* alium. Ergo neutro modo pronomen לו ad verbum שחת *licet adjungi. Quid, quod alii quidam docuère verbum* לו *negationi* לא *eſſe annectendum, ſignificarique* ei non, *tanquam* non ei, *pro,* non illius ſunt? *Iterùm quaero, quo id exemplo docuerint. Et ſi quis Hebraicam Linguam vel primis labris deguſtarit, negabit iſtud* ei non, *eſſe Hebraicè minùs inſuetum, quàm ſi Latinè idem diceretur, aut quàm ſi quis gallicè diceret,* à lui non pas, *cùm dicere vellet,* non pas à lui. *Denique vocabulum* מומם, *quonam pacto interpretaberit? An* macula eorum, *an* maculam? *Nam quidvis licet, eo in verbo, quod in oratione nihil habet, à quo pendeat. Et, quanquam alterutrum dices, nihil dices. Ambages tales, eaeque inextricabiles, tolluntur ſublatis litteris duabus in Sacram Paginam temerè allatis, unà* מ, *ut legatur* מום; *alterâ* ו, *ut ſit* בני, *quam utramque ſcripturam retinuère Samaritani & quam ſequuntur etiam Veteres partim in* Hexaplis, *partim in* Polyglottis; *ita tamen ut* לא, *non ſequatur* לו, *ſed antecedat; quae collocatio utriuſque verbi ſuam etiam ex Veteribus habet autoritatem : denique aſſumpto* שחתו *ex pleriſque Veteribus;* corrupti ſunt, non ſunt ejus, filii maculae. *Vide caetera in notis Criticis.*

Locus eſt, fateor, verborum trajectione non nihil difficilis, qui ea propter multorum expertus eſt interpretationes, ſaepe perquam ineptas et contortas : quarum aliquas Hubigantius, ut hoc facilius confutare poſſit hic obiter tangit et exagitat. Piget vero, nec vacat rationes quas adfert, omnes et ſingulas examini ſubjicere, ob quas communem horum verborum lectionem et verſionem abjiciendam eſſe exiſtimat; quia ſi, ſervata noſtrorum codicum lectione, et repudiata Critici noſtri emendatione et verſione, aliam commodiorem et cum natura ſermonis Hebraici convenientem ſubſtituero, non ſpero id a me deſideratum iri.

Non ſane perſuadeor in verbis aliquid mutandum eſſe, quidquid in diverſum abire videantur verſiones veteres et Samaritanus quorum interpretamenta in obſcuritate apparenti verborum originem habent, nec probant aut ſupponunt aliter olim in contextu Hebraico lectum eſſe, ac hodie legitur.

Fuit quidem cum exiſtimarem verba שחת לו referenda eſſe ad Deum, vel rupem, et interrogative accipienda eſſe hac ſententia: *an corrupit ſibi? vel corrupit eum*, nempe Iſraelem? cetera vero quae ſequuntur reſponſionem ad hanc quaeſtionem continere; quomodo ea intellexit Gerardus Kulencampius, vir eruditiſſimus in commentario ad h. l. nec abſurde, cum plura talium enunciationum exempla paſſim occurrant interrogative accipienda, licet nullam particulam interrogandi poteſtate praeditam in fronte habeant, et hoc genus dicendi a ſtilo Moſis et aliorum ſcriptorum ſacrorum non ſit alienum. (z) Quia tamen quae verſu ſequenti incipiunt interrogationes per talem particulam exprimuntur, nolui hanc interpretationem, utpote minus ſimplicem, nec multis forte probandam, meam facere.

Omnia ſeſe recte habebunt et cum cetero contextu apprime convenient, ſi, docendi cauſa, ſubjectum orationis paulisper ſuo loco reſtituero, hoc modo: שחת לו דור עקש ופתלתל *Generatio perverſa et contorta corrupit ſe*, vel mav is

שחת לו דור עקש ופתלתל
לא בניו מומם

Corrupit ſe generatio peruerſa et contorta:
Non filii ejus ſunt ſua ipſorum macula.

Quaeris quapropter Moſes hunc ordinem neglexerit? Reſpondeo, in oratione tam forti et animoſa, cujusmodi eſt haec ejus cum populo Iſraëlitico expoſtulatio, ordinem non adeo requirendum eſſe, eamque transpoſitionem a natura poeſeos Hebraicæ non abhorrere. (*a*) Deinde verba iſta: מומם לא בניו haud procul ab initio commatis poſita eſſe, ut attentionem ferirent, quia pronomen occurrens in לא בניו *non filii ejus*, relationem habet ad *rupem* vel *Deum* cujus paulo ante facta erat mentio.

Quod jam adtinet ad שחת לו: etiamſi ל alibi ſit nota Dativi caſus, atque etiam לו non incommode hic verti poſſit *ſibi*, tamen ſtilo Moſis, et ex uſu linguae accuſative vertendum eſt, ut patet ex loco ſimili, qui occurrit Num. xxxii. 15. et in hunc noſtrum inſtar commentarii habere poteſt. Ibi vero poſtquam dictum erat verſu 13 et 14. *Et accenſus ira Jehova in Iſraëlem, agitavit eos per hoc deſertum quadraginta annos, donec conſumeretur tota illa aetas quae fecerat malum iſtud in oculis Jehovae. Ecce autem ſurrexiſtis loco patrum veſtrorum, turba hominum peccatis deditorum; ut addatis adhuc ad aeſtum irae Jehovae contra Iſraëlem.* Additur ℣. 15. *Si vos averteritis ab obſequio ejus, omnino perget adhuc relinquere eum in hoc deſerto*; et ſubjungitur וְשִׁחַתֶּם לְכָל הָעָם הַזֶּה quae verba, ſi ſapimus, haud alium ſenſum habere poſſunt, quam hunc: *et perdetis totum hunc populum.* Sic quoque I. Sam. xxiii. 10. שחת לעיר

(z) Exempla dedit Kulencampius l. l. Huc pertinet Gen. XXVII. 24. coll. 21. Exod. XXIII. 14. col. 15. I. Sam. XVI. 4. coll. II Sam. XVIII. 92. 32. Mich. V. 1. coll. Matth. II. 6. Plura ſubminiſtrabit Noldius *Conc. part.* in אם num. 24. ſignif. 2 et in ה num. 11. ſignif. 2.

(*a*) Recte incomparabilis Lowthus *de ſacra Poëſi*, Prael. XV, ubi de hoc ipſo Moſis Cantico agit: *adeoque in eo ſermone ſi omnia recte et ordinate exprimantur, ſi ad certas regulas anxie et ſubtiliter omnia expendantur, id demum fore longe ineptiſſimum omnique ſoloeciſmo longe abſurdius.*

לְעִיר deſignat *perdere urbem.* Nec abhorret ullo modo a natura linguae Hebraicae ut pronomen in לו referatur ad ipſum ſubjectum agens (*b*) Ex quo apparet quam frivola et inepta ſit Critici noſtri paratragoediatio: *An pertineret* לו *ad populum Iſraël, ut ſententiam habeas*, corrupit ſe ſe? *Atqui dandi caſum poſt verbum* שחת *nuſquam reperies, ut ſignificetur, corrumpere ſeſe, aut vero alium. Ergo neutro modo pronomen* לו *ad verbum* שחת *licet adjungi.*

Denique verba לא בניו eodem pertinent et quaſi unum vocabulum conſtituunt, denotantque *non filios ejus*, nempe Dei, i. e. filios degeneres et immorigeros, qui nomen filiorum non merentur, vernacule *onkinderen* diceres; quomodo לא עמי Hoſ. I. 9. notat. *non populum*, quod ne ipſe quidem Hubigantius in dubium vocaverit, et pluribus probavit Bootius *Animadv. Sacr. Lib. IV. C. V.* §. 4 - 8.

CLASSIS IV. De iis Mendis, quae ſententiam mutant aut obſcurant, ex verbis trajectis.

Reſtat genus id mendorum, quod ſententiam orationis malè afficit trajectione verborum, ordine in pravo diſpoſitorum.

In Cantico Moſis, Deut. cap. 32. v. 8. *ſic legitur*, conſtituit terminos populorum, juxtà numerum filiorum Iſrael; *quod quidem ſententiam habere aliam non poteſt, niſi talem;* conſtituit (Deus) terminos populorum *duodecim*, juxta numerum *duodecim*, filiorum Iſrael; *quam ſententiam explicare multi Interpretes ut volunt, ita non poſſunt. Itaque eos omnes hic videas* eo in ſaxo ſudare nitendo, neque proficere hilum. *Nam quod plerique volunt* populos *eſſe* Chananaeos, *quibus Deus aſſignavit regionem tantam, quantam filii Iſrael poſteà occupârunt, iis reſpondetur* 1°. *vocabulo* populos, *in Sacris Codicibus ſubjectam eſſe notionem populorum generatim, non autem hujus, aut illius populi, neque unquam* Chananaeos *vocari, ſine addito*, populos. 2°. *Nunquam accidiſſe ut, quam regionem Chananaei occupârant, eam totam filii Iſrael poſſiderent.* 3: *Quanquam id accidiſſet, & ſi maximè id Moyſes vaticinaretur, tamen Moſen fuiſſe dicturum aequatos fuiſſe terminos populorum* multitudini, *non autem* numero *filiorum Iſrael, neque uſurpaturum fuiſſe verbum* כמספר, *quod* numerum *ſonat, non autem* multitudinem. *Denique ex Sacris monumentis effici non poſſe, ut extiterint duodecim termini Chananaeorum, quomodo extiterunt duodecim filii Iſrael; ut neque etiam ex iiſdem monumentis probari poteſt, omnium populorum, qui poſt diluvium in terras diſſipati fuerant, fuiſſe* terminos duodecim; *vide Notas Criticas, in quibus confutantur ſententiae Clericana & Calmetiana. Ergo qui nodus, ordine in eo verborum, quem nunc habemus, ſolvi non poteſt, is ordine eo reſtituendo*, nam partitus eſt Dominus populum ſuum, juxtà numerum filiorum Iſrael, *facillimè diſſolvitur. Vide iterum Notas Criticas, in quibus ex* Sam. Pentateucho

(*b*) Conf. v. c. Deut. XXIII. 3. Cant. II. 10. 11.

cho *revocamus vocabulum* Iſrael, *quod fuerat bis ſcribendum, neque non probamus membrum orationis fuiſſe ab Scribis omiſſum. Et quidem in Canticis deſcribendis facillimum fuit, verſuum partem omitti, partem etiam ordine diſturbari; quoniam verſuum ſingulorum membrum poſterius, cum ſit redintegratio prioris, nihil peribat ex ſententiâ, ſi poſteriùs omitteretur, ut neque, ſi loco interdum ex ſuo moveretur: cujus rei exemplum habes hunc ipſum locum, qualem in noſtrâ Notâ Criticâ reſtituimus. Vide etiam Notam Criticam in verſum* 15.

Videas hic B. L. quadrare in Noſtrum quod de aliis interpretibus dictum vult: *in ſaxo ſudare nitendo, neque proficere hilum.* Locus integer, nec mutilatus ſic habet: *Quum poſſeſſionem diſtribueret Excelſus gentibus, quum diſpararet filios hominum, conſtituit terminos populorum pro numero filiorum Iſraëlis.* Quae verba, ſi vel obiter inſpiciantur, non poterunt apud quenquam, in aliam ſententiam accipi, quam hanc: Deum, cum poſt diluvium et deſtructam turrim „ Babelicam homines ſuper terrarum orbem diſpergeret, et ſingulis Gentibus „ certas ejus partes vel regiones aſſignaret, rem ita direxiſſe et moderatum eſſe, „ ut terram Cananaeam Iſraëlitis a ſe deſtinatam eteorum parentibus promiſſam, „ certis populis inhabitandam concederet, qui eam tanquam coloni et feu- „ datarii tenerent colerentque, donec Iſraëlitae, ejus veri domini, eam ju- „ re haereditario eſſent occupaturi, hoſque populos eorumque terras toti- „ dem numero eſſe, quot ſint filii vel tribus Iſraëlis.

Nil ergo reliquum eſt, quam ut demonſtrem hoc ita factum eſſe, et revera accidiſſe. Qui terram Palaeſtinam tempore Moſis tenebant, erant vel Cananaei, vel alii populi. Cananaeos Moſes in loco praecipuo Gen. xv. 19. et 21. ad numerum denarium redigit, alibi ſex vel ſeptem populos majores nominat, veluti Exod. III. 8. Deut. VII. 1. ubi etiam memorantur Chivaei, ut in univerſum ſint totidem quot numerantur filii Canaanis, nempe undecim Gen. X. 25 — 18. His ſi addideris Philiſtaeos, quorum ditiones Iſraëlitae occuparunt tempore Salomonis, redeunt XII. populi, quorum terminos vel ditiones Iſraëlitae ſuas fecerunt, id vero eſt totidem, quot erant tribus vel filii Iſraëlis.

Quod ſi jam aliqui ſint qui hunc numerum non diligentiſſime a me initium eſſe putent, eumque cum numero tribuum Iſraëlis non accuratiſſime convenire; ii abutantur ſuo ſenſu. Quis neſcit in oratione poëtica, cujus modi eſt hic ſermo Moſis, eam accurationem non requirendam eſſe, aut ſemper uſu venire poſſe; ſed ſufficere, ſi circiter tot fuerint Gentes Canaanem inhabitantes, quot erant filii vel tribus Iſraëlis. Quis dixerit, cum Jeremias II. 28. IX. 13. inquit, *pro numero civitatum Jehudae fuiſſe Deos Judaeorum, et pro numero platearum Hieroſolymae fuiſſe altaria*, eum hoc velle, non plures aut pauciores Deos ipſis fuiſſe, quam urbes Jehudae, nec numero plura aut pauciora altaria, quam erant plateae Hieroſolymae, ſed praeciſe totidem? Verbum non addo, niſi quod, ſi quis interpretationem quam promit Critici-

cus

cus noſter retinere, et cum ceteris hujus commatis verbis connectere velit, ei facile in mentem venire poſſit, quod Iſraëlitae haud longe a diluvio terram Cananaeam occupaverint: vel, quod dixit nonnemo, auctores fuerint turris Babelicae ſtruendae. Sed commode accidit, ut etiam verſum 9. loco ſuo moverit noſter Ariſtarchus eumque ante verba extrema verſ. 8. collocaverit, in Notis criticis ad h. l.

Sunt verò etiam quædam ordinis perturbationes, quas tametſi illæſâ ſententiâ factas, tamen Sacro Scriptori attribuere non magis liceat; quàm Latino ſcriptori ordinem pravum verborum Latinorum.

Geneſis, cap. 14. v. 12. *ſic legitur*, ceperunt Lot & ſubſtantiam ejus; filium fratris Abrahæ, *cùm nativus ordo ſit talis*, ceperunt Loth filium fratris Abrahæ, & ſubſtantiam ejus; *quem ordinem exſequuntur Syrus & Græci Interpretes.*

Te appello, crudite Lector, atque ab anticipata opinione liber, ſi hoc non eſt nodum in ſcirpo quærere? Facta mentione Lothi, memorat Moſes ſubſtantiam *ejus*: qua quidem re nata aeque commode ſubjicere poterat eſſe illum *filium fratris Abrahae*, ac mox ante, ubi ipſum nomen Lothi adtigerat. Proinde inter veteres ordinem Hebraei codicis ſervarunt Onkelos, et qui ſub nomine Jonathanis circumfertur.

Sic Gen. cap. 15. v. 10. *ubi ſic legimus:* ויתן איש בתרו לקראת רעהו; & dedit unamquamque diviſionem ſuam è regione alterius, *ordo eorum verborum fuerat ſic conſtituendus*, ויתן בתרו איש לקראת רעהו, & poſuit diviſiones ſuas (*melius* בתריו) unamquamque è regione alterius. *Nam conſuetus ordo eſt, ut id, quod communiter dicitur, proximè collocetur ante id, quod ſeparatim. Nimirùm* בתרו, *vel* בתריו, *dicitur communiter de victimâ totâ, vel de omnibus ejus partibus*; איש *autem &* רעהו, *ſeparatim partibus de ſingulis.*

Nihil et hic mutandum, aut loco movendum cenſeo. Propoſitum erat Moſi docere quod Abraham partes animalium a ſe diſſectas et diviſas ſic diſpoſuerit, ut uniuſcujusque animalis diſſecti pars dimidia alteri e regione eſſet oppoſita. Itaque niſi בתר, vel בתרם dixerit, aut vero בתריהם, quod notat *ſectiones eorum*, cum affixo relationem ad praecedens אתם habente, quam tamen lectionem nullus prae ſe fert codex Hebraicus, alio verborum ordine uti non potuit. Habet enim pronomen ſingulare in בתרו manifeſtam relationem ad vocabulum איש *unumquodque* ani-

mal deſignans; atque ea propter non *ſuam* vel *ſuas* vertendum erit, ſed *ejus*: niſi perquam abſurde id velis referre ad Abrahamum.

Ridiculum eſt, quod monet בתרו vel בתריו dici de victima tota, vel de omnibus ejus partibus, איש autem et רעהו ſeparatim de partibus ſinlis. Quaſi vero vocabulum בתר in locis aliis praeterquam in hoc et Jerem. XXX V. 18. 19. adhibeatur, nec in poſtremo de partibus vituli dimidiatis accipiatur.

Quod vero ſpeciatim ad איש et רעהו adtinet, videtur Grammaticus noſter hoc velle: quia איש et רע ſint correlata, non poſſe איש accipi de toto et רע de parte, ſed utrumque de partibus accipi debere. Sed ajo, vocabula איש et בתרו eodem pertinere et junctim רעהו opponi; איש בתרו *uniuſcujuſque* animalis *ſectionem* i. e. partem dimidiatam deſignat, quae opponenda erat parti alteri dimidiatae per רעהו deſignatae.

Sic etiam Exod. cap. 16. v. 8. *ubi ſic ait Moyſes:* Dabit vobis Dominus veſperè carnem ad veſcendum & panem manè, *ordinem fuiſſe perturbatum ex eo liquet, quòd, cùm Moyſes populum, tamquam ex Dei verbis alloquatur, tamen Deus anteà vs. 4. & 5, promiſerit Moſi ſe daturum* panem, *non etiam* carnem, *& ex eo quòd eadem quæ hoc verſu 8. promittit populo Moyſes, eadem Moſi Deus v. 12. iiſdemque verbis polliceatur; ut ſole clarius ſit verſum eum qui nunc eſt duodecimus, debuiſſe antecedere eum, qui nunc eſt octavus. Vide Notam in hunc locum.*

Haeret Criticus noſter in eo quod Deus ℣. 4 et 5. ſolius *panis* mentionem faciat, cum tamen Moſes ℣. 8. tanquam ex Dei verbis, non ſolum *panem*, ſed etiam *carnem* commemoret. Itaque neceſſarium eſſe, ut ℣. 12. in quo Deus ſe utrumque populo daturum eſſe promittit, ante ℣. 8. collocetur. Quod ſi tamen contextum hujus capitis ſine praejudicio inſpicimus, apparebit facile ordinem verſuum rectiſſime eſſe conſtitutum. Nempe principio, et quidem ſummatim narrat Moſes ℣. 4. et 5. quid Deus de cibo Iſraelitis ex coelo ſuppeditando ſibi revelaverit; quem igitur generali nomine לחם vocat: deinde quomodo ipſe atque Aharon de voluntate hac Dei Iſraelitas certos reddiderint ℣. 6. 7. 8. poſtremo, quomodo Deus ea quae dixerant Moſes et Aharon, ſolenni apparitione confirmaverit ℣. 10. 11. 12. 14. Ut dubium nullum ſit, quin לחם *panis* ℣. 4. ut alias, de *cibo* in genere ſit accipiendus, et ordo verſuum nullo modo ſit mutandus.

EXERCITATIO TERTIA

AD

CAR. FR. HUBIGANTII PROLEGOMENA

CAP. II. ART. II.

QUO AGITUR

De mendis quae ſola verba afficiunt, ſeu Grammaticis.

Hactenus Criticus noſter egerat de mendis quae ipſi videbantur orationis ſententiam obſidere. Sequuntur ea quae afficiunt ſingula verba. Haec ipſi ſunt, *quae, ſententia non mutata, ſoloecismos inducunt aut barbarismos.* Soloecismos autem vocat et barbarismos, quae aliis dicuntur enallagae et ellipſes, figurae grammaticae. De his demonſtrare fatagit quod non ſint a ſacris ſcriptoribus, ſed imperitis ſcribis profectae. Quo fine, poſtquam nonnulla inſperſit quibus invidiam et culpam novitatis ab hac ſententia amoliri ſtudet, quaeque ad nos nil adtinent, in anteceſſum obſervat, ſoloecismos hoſce ſic excuſari a nonnullis quod ſibi perſuadeant linguam Hebraicam fuiſſe olim legibus ſolutam.

Sed ſi qui etiam mei Lectores, nunc putant Hebraico de ſolecismo judicium ferri a nobis non poſſe quoniam ſibi ita perſuadeant, Hebraicam Linguam fuiſſe olim legibus ſolutam, atque eam quae ſaepe uſurparet et Ellipſes *et* Enallagas; *hoc eſt, quae plurima verba reticeret, ſaepe etiam promiſcue haberet genera & numeros & perſonas, nonque adeo id, quodcunque ſolecifmus eſſe videatur, eſſe ſolecifmum; iis ego ſic reſpondeo. Ex duobus unum eligi neceſſe eſt. Aut enim ſunt lingua in Hebraica regulae, ad quas ſacri codices exigi debent, aut ſacri illi codices nihil, jam ſaepe a nobis tractati, reſonabunt praeter id quod lubebit. Nihil enim eſt quod in medio relinquatur. Non aliter ad mortales Dei verbum perlatum fuit quam Hebr. ſermone interprete. Quod Dei verbum tum demum intelligere homines potuerunt, inque Dei obſequium cogi, ſi eſſet dilucide ſcriptum; hoc eſt, legibus iiſdem teneretur, quibus aſſueti homines cum ſint, id quod ſibi mandatur, intelligere plane poſſint. Utrum igitur plane intelligi poterat is ſermo, qui temere atque effraeni licentia ferretur, quemque Hebraei homines nulla certa lege interpretari poſſent?*

Digitized by Google

SI ſoloecismus veteribus Latinis recte dictus eſt *ſtribligo*, a verſa videlicet et pravitate tortuoſae orations, ut auctor eſt A. Gellius, (*a*) dixerim fere Criticum noſtrum tot protuliſſe ſoloeciſmos, quot de iis, in vetere teſtamento reperiundis, profudit ſententias. Principio enim, quis eſt, obſecro, qui adfirmare auſit, Hebraeam linguam fuiſſe olim legibus ſolutam, quia ſcriptores Hebraei uſurpent enallagas et ellipſes? easque figuras in vitio ponat ipſius linguae? tametſi forte nemo ſit, qui neget, linguam Hebraicam, ut ceteras omnes, quo magis et altius ad ejus originem et prima incunabula aſcendas, hoc magis ſimplicem et rudem paucisque regulis adſtrictam fuiſſe; ita tamen ut, harum regularum, quemadmodum in aliis linguis, certa lex eſſet et certus uſus, neque ideo idioma Hebraicum effreni licentia ferretur.

Deinde cum ait verbum Dei iisdem legibus teneri oportere, quibus adſueti ſint homines, ad quos perlatum eſt; indeque, mox infra, facto immani multorum ſeculorum ſaltu, ad noſtros homines divertitur qui ſcripturam legunt, poſt annos, ut loquitur, bis millenos, eosque ſic argumentari jubet: Quaecunque regulis alibi conſuetis non parent, aut a nobis non intelliguntur, ea non ſunt a ſacris ſcriptoribus, ſed ab imperitis deſcriptoribus profecta; in eo aut imperitiam et ſtuporem, aut vero malitiam prodit homine ingenuo indignam. Nam etſi verbum Dei ad omnis aevi Eccleſiam ſpectet; non potuit tamem alio ſermone conſcribi revelarique quam eo qui illi genti eſſet cognitus, cui initio fuit concreditum, hoc eſt, Hebraeo; quae lingua cum nunc ex ore omnium evanuerit, ecqui fieri poteſt, ut ejus rationem omnem, uſumque formularum qui fuit olim, cognitum habeamus et perſpectum?

Sane vero, qui tenues veteris Hebraiſmi reliquias conſiderant, quae in Bibliis ſuperſunt, easque vel ſecum invicem, vel cum ceteris linguis orientalibus contendunt, dubitare non poſſunt; quin olim, cum ſacri ſcriptores viverent et dialectus Hebraica floreret aequis legibus, non ſolum centenis partibus amplior fuerit, ſed etiam haud paucae loquendi formulae, imo dictionum formae Hebraeis notiſſimae fuerint et planiſſime intellectae, quae nobis nunc negotium faceſſunt; cum quia occurrunt rarius, tum quia longiſſime ab iis ſubſidiis abſumus quae illi ad cognoſcendum adhibuerunt.

Ne tamen hoc ita a me dictum quis exiſtumet, tamquam ſi dubitem, num *nos hac ultima in qua vivimus mundi aetate Hebr. de linguae indole quidquam certum habere poſſimus:* atque adeo idem adverſum me Hubigantius retorqueat, quod infra (*b*) adverſum alios dici poſſe putat, nempe ob eandem cauſam quoque *de cenſuris ſuis haberi nil poſſe ſatis exploratum*; pre-

(*a*) *Noct. Attic.* V. c. 20.

(*b*) A pag. 116. 117. B. 58. 59. C. 44.

pretium erit monere, vel ſic tamen, Dei munere, ſat bona ſubſidia ſupereſſe: certasque leges dari, ad quas judicium noſtrum formare et exigere poſſumus: quo pertinet accurata Hebraiſmi Biblici inter ſe, atque cum ceteris dialectis orientalibus, aliarumque moratiorum gentium linguis collatio.

Quod ſpeciatim ad dialectos adtinet, eodem cum Hebraica de priſco ſanguine cretas: ſi illi auctores qui in iis quidquam memoriae prodiderunt, iiſdem figuris grammaticis et formis vocum ad easdem leges utantur, ad quas ſcriptores Hebraici ſubinde ſtilum componunt, quis aequus rerum arbiter dubitaverit, magnum his exemplis, etſi vel rariſſime occurrant, hinc praejudicium ſubnaſci? Accedit, quod quemadmodum linguarum omnium, ita etiam Hebraicae, ea ſors fuerit, ut uſu vulgi potius, quam exemplis eruditorum hominum conſtituta ſit: qui uſus, hoc habet incommodi, vel mavis auctoritatis, ut ſe ſub jugum mitti non patiatur; unde ſi quid alicubi apud ſacros ſcriptores occurrit, quod regulis alibi conſuetis non paret, vel ſic tamen ad illud eliminandum non niſi caute admodum et ſuſpenſo gradu erit procedendum.

Et hunc quidem uſum vulgi omnino hic ſpectandum eſſe, nemini mirum videbitur qui ſacrorum ſcriptorum vitam et ingenium norit, quidque optimis quibuſque aliis ſcriptoribus quotidie eveniat, ut nempe nonnunquam loquantur cum vulgo. Addo etiam, quod ſi qua hinc enaſcitur ſtili aſperitas, vel inconcinnitas aut inaequalitas, ea tam parum inſpirationi divinae praejudicet, quam ſacris Novi Teſtamenti ſcriptoribus, cum ſtilo non puriſſimo utuntur. Saltem, ut deſcriptores plerique, ne dicam omnes, tam veteres, quam recentiores nobis cogniti, in easdem formas peregrinas et interpolatas conſenſerint, mihi tam parum ſit credibile, ut ſi hoc fuerint ingenio quo Hubigantius contendit, et quo eſt ipſe Hubigantius, mirum mihi videatur, quare non potius omnes formas et loquendi formulas peregrinas et ſibi minus cognitas mutaverint in alias magis notas et conſuetas.

Quod autem ſpeciatim ad *ellipſes* et *enallagas* pertinet, quas reſpicit Noſter, non dubito quin palam facturus ſim, quod tam parum obſtent, quo minus *Dei verbum eſſet dilucide ſcriptum*, et quo minus *homines in ejus obſequium poſſint cogi*, ut ex omnibus ellipſium et enallagarum exemplis quae infra produxit, ne unicum quidem ſit, quod ſenſus claritati et perſpicuitati vel tantillum officiat. Pergit:

Non negant Hebraicarum licentiarum patroni, Hebraicam Linguam Grammaticae legibus tum videri obſequentem, cum Hebraicum codicem, ut ſit Hiſtoricis libris legendis, facile intelligunt. Iidemque ſi quædam ab intelligendo eo quod in prophetis legunt, ipſos retardant, in contrariam partem ſubito abripiuntur, ut ſtatuant Hebr. linguam vagari laxe & libere, at-

que ut locos difficiles licentiarum illarum ſuarum ope, valedictisque legibus interpretentur. Ex quibus quaero, cum id quod legunt, facile intelligunt quid cauſae ſit cur intelligant? Huic meae interrogationi reſpondere aliter non posſunt niſi ſe ea propter facile intelligere, quod facile in oratione deprehendant, quod verbum regat, quod aliud ab eo regatur, quo denique filo ſententia devolvatur, ut per paginam ſacram mens & oculi expedite currant. Neque alium filum habent quod ſequantur, niſi orationis ipſas leges. Quonam igitur fato fieri dicam, ut ſi quando id, quod legunt, minus intelligant, illico ſententiam mutent, & ſibi perſuadeant Hebraicam linguam temere ferri, pronamque devolvi per eos ſolecismos, quos illi honeſto nomine nunc Ellipſes, nunc Enallagas vocant? Vel cui homini perſuadere ſe poſſe putant, Hebraicam linguam tum fuiſſe legibus obſequentem, cum eam nos poſt annos bis millenos, facile eſſemus intellecturi, tum vagam & infrænem, cum difficulter intellecturi?

Argumentum Critici noſtri huc redit: Lingua Hebraica tum legibus grammaticae videri poteſt eſſe obſequens, nec effraeni licentia ferri, cum codex Hebraicus facile intelligitur: intelligitur autem facile, cum nullae in eo dominantur enallagae, nullae ellipſes; ergo cum enallagae et ellipſes, adhibentur, ſermo Hebraicus non intelligitur, nec eſt legibus obſequens, ſed temere atque effraeni licentia fertur, quem homines nulla certa lege interpretari poſſunt.

Majorem propoſitionem paulo ante confutavimus, obſervando noſtrorum hominum, in intelligendo Hebraiſmo et formulis abſtruſis ſacri codicis, non eandem rationem aut conditionem eſſe, atque erat veterum Hebraeorum. Quis enim ſolem incuſavit unquam, cum propter oculorum hebetudinem eum videre non poteſt?

Quod autem adtinet ad *enallagas* et *ellipſes*, de quibus paulo inferius dicemus: intelligi poſſe ſacrum codicem, his figuris nil quidquam obſtantibus, patet ex eo, quod enallagae circa ſingulas partes orationis verſentur, atque adeo ex ejus complexu et rerum περιστάσει ad illud ſubjectum referri poſſint ad quod pertinent; ellipſes autem proprie ſint in verbis, non in ſenſu.

Cum vero libros propheticos et hiſtoricos inter ſe comparat, obſervo, libros propheticos non ideo a nobis minus intelligi quam hiſtoricos, quia enallagis aut ellipſibus abundant; utpote quae in hiſtoricis aeque reperiuntur ac in propheticis: ſed quia breviſſimis ſaepe inciſis conſtant, ad certam menſuram conſtrictis, atque adeo ſermone conciſo et ſaepe abrupto: quia creberrimae in iis occurrunt figurae rhetoricae: quia ſæpe obſcurum eſt, quo reſpiciatur, quove alludatur: quia magna in iis eſt dictionis ſublimitas multique ſenſus reconditi: verbo, quia ea omnia in iis uſu veniunt et quaſi concurrunt, quae in optimis quibusque oratoribus

et

Digitized by Google

et poëtis antiquis interpreti ſolent negotium faceſſere : quo pertinet inprimis difficultas argumenti. Quae quidem librorum propheticorum ratio, cum in cauſa ſit quapropter haud raro nonnulla deſiderentur, quae ad plenam orationem conſtituendam videntur neceſſaria, neque eadem ſit ubique verborum ratio et forma, eccui mirum accidere poteſt, ſi quando plures in propheticis libris a grammaticis deprehendantur enallagae et ellipſes, quam quidem in aliis libris, imo, quam re vera in iis exiſtunt. Crediderim tamen, ſi vel nullae in his libris occurrerent figurae grammaticae, aut rhetoricae, nullae, ut loqui amat Hubigantius, ſoloeciſmi aut barbariſmi, ſed omnia eodem aequabili et ſemper ſibi ſimili dictionis genere in iis abſolverentur, non multum minori difficultati obnoxios futuros quantum ad ſenſum et argumentum adtinet, quam nunc ſunt.

Rem omnem illuſtrat exemplo ex Latinae eruditionis penu depromto, et ſimul quid fieri debeat, docet :

Qualem cenſebimus fore Latinam Linguam, ſi quomodo ex temporum injuria, non plus quam unum haberemus librum Latinum, puta M. Tullium? Statuemusne, ſi quando eo in uno M. Tullii libro quaedam offendamus, quae minus intelligantur & a communi ſcribendi norma recedant, Latinam linguam vagam eſſe ac liberam, atque adeo ope ellipſεων, & enallagων eſſe interpretandam? Atqui M. Tullius intelligitur, etſi ad eum interpretandum ſubſidium non advocas talium ſolecismorum. Utrum igitur iis ſolecismis in iis tantum locis quos tu parum intelligis, utebatur, in ceteris non utebatur? — Aut quis credat vel eum, vel Latinam linguam, contrarias iſtas duas induiſſe perſonas? Enimvero linguae omnes, ſicubi normam ſuam conſuetam deſerunt, habent ea ipſa in re normas alias quasdam ſuas, quae tu cum ſequeris, nihil jam in iis vagum & incertum appareat, nihil ſolecismo foedum. Quid, ſi vero Tulliano eo ipſo in loco, in quo tu haeres, aberratio eſt DESCRIPTORIS? Quid ſi eum tu locum Tullianis ipſis exemplis cum reſtitues; iamque fient omnia plana & Latinae ad Grammaticae leges accommodata; tamenne M. Tullium vage & libere ſcripſiſſe, Latinamque linguam exlegem fuiſſe ſtatues, peccaſſe, aut peccare potuiſſe librarium negabis? Quod ſi haec ſancire ne te homines derideant, non audebis, cur credis Grammaticis novisque interpretibus cum Hebraica de lingua idem ſanciunt, cumque & ellipſes & Enallagas, ut nulla inter ſe concordia, ita nulla certa lege inducunt?

De M. T. Ciceronis exemplo, etſi haud pauca ſint quae poſſint moneri; eſt enim Noſter in exemplis et ſimilibus inveniendis haud parum quidem foecundus, ſed oppido infelix, dicam tamen breviter : ab uſu unius auctoris ad univerſum linguae ambitum concluſionem quidem formari non debere, atque adeo ſtatui non poſſe, ſi quando in uno M. Tullii libro quaedam offendimus quae minus intelliguntur, et a ſcribendi norma recedunt, Latinam linguam ideo vagam eſſe & liberam, atque

adeo

Digitized by Google

adeo ellipſium aut enallagarum ope eſſe interpretandam; ſed tamen non poſſe has aberrationes, vel ſcriptiones extraordinarias, ſpeciatim enallagas & ellipſes, ob id, ſolis deſcriptoribus transſcribi; quia fieri poſſit, ut ipſe Cicero, vel alius quisque auctor Latinus, has loquendi formas, vel his ſimiles, re vera uſurpaverit; etſi hoc fiat praeter morem alibi ab eodem auctore receptum. Sic nemo ſanus, in vitio ponat librarii, cum apud Ciceronem in oratione pro Milone *ad Caſtoris* dicitur, non *ad ædem Caſtoris*; quia et alii auctores ſic loquuntur, (*c*) et quia ipſe Cicero, etſi in illa ipſa oratione pro Milone et in aliis, caſibus et locis plene ſcribit *ad ædem Opis*, tamen ad Attic. lib. VI. epiſt. I. et Philip. II. dixit *ad Opis*, pro *aedem Opis.* Quid ſi etiam in illis exemplis et formulis quae una tantum vice occurrunt, nonnulla ſint quae a conſueto dicendi genere aberrant, nec tamen aberratio ſit deſcriptoris? Huc pertinet, quod A. Gellius (*d*) obſervat a Tullio dictum, oratione in Verrem quinta, *hanc ſibi rem praeſidio ſperant futurum.* Quod igitur fruſtra emendes, more conſueto reſcribi jubens *futuram.* Quid ſi etiam ipſe Cicero ſe dedita opera nonnunquam ſic ſcripſiſſe ſatis indicet: v. g. verba activa paſſive adhibens, *quia antiqui ſic loquebantur*? cujusmodi exempla paſſim obſervant grammatici. (*e*)

Qualem mihi criticum dicam eum, qui cum in formam verbi, aut loquendi formulam aliquam incidit, ſcriptori illi quem explicandum ſumſit, rarius vel nunquam uſitatam, ſed in quam plerique codices conſentiunt, eam illico delendam putet, quia regulis et legibus alibi et ab aliis obſervatis non paret? Quam legem tute tibi in lingua vernacula aut Latina poſitam non vis, videlicet, ut ne hilum a quotidiano et alibi obſervato orationis tramite recedas, eamne tu ab antiquiſſimis auctoribus quam religioſe obſervandam arbitrabere?

Finge etiam auctores ipſos ab hoc genere loquendi in aliis caſibus non eſſe alienos: finge ejuſdem locutionis vel formulae tibi minus intellectae non unum, ſed duo vel tria exempla dari ſibi plane ſimilia, eaque exempla in omnibus codicibus, quos reperias, ſic legi, ut nulla oſcitationis deſcriptoribus admiſſae ſit ſuſpicio, delendane vel ſic tamen ea putabis et librariis tranſcribenda? Utar domeſtico exemplo quod etiam ad hominem ſit: Qui Hubigantii noſtri Prolegomena legunt, in iisque præter alios ſoloeciſmos et barbariſmos, in ipſo ſoloeciſmo elidendo commiſſum ab eo videant eſſe ſoloeciſmum orthographicum, dum *ſolecismum* ſcribit, non ſoloeciſmum, hi male facient, ſi illud vitium ſermonis ad mendas typographicas

(*c*) Terrent. *Adelp.* IV. 2. 43. Salluſt. *Bel. Catil.* c. 49. §. 4.
(*d*) Noct. *Attic.* I. c. 7.
(*e*) Sic lib. XV. epiſt. 18. *Nunc ades ad imperandum*, ait paſſive, pro cui imperetur, i. e. ad parendum, prorſus inverſe et contra quam alibi. Dedita tamen opera ſe ſic ſcripſiſſe ipſe indicat adjiciens: *ad imperandum vel ad parendum potius; ſic enim antiqui loquebantur.*

phicas referrent ; non ſolum quia Hubigantius ſaepiſſime ſic ſcrib't, ſed etiam, quia alibi, *valdictiſque legibus* dixit, et *neque alium filum ha'ent*; eaque exempla in utraque editione prima horum Prolegomenorum ſic inveniuntur.

Sed accedit Noſter ad rem ipſam paulo propius, atque ut periculum ab ellipſibus vocum metuendum, ſi in ſacrum codicem admittantur, uno clariſſimo et ſelectiſſimo ſpecimine manifeſtum faciat, obſervat, ſi quod vellent novi interpretes et grammatici, dentur ellipſes particularum negantium, et ſacer codex aliquando neget nullo adhibito negandi ſigno, poſſe impios in ſacro codice quaerere et invenire ſuae impietatis argumenta, aut ſaltem ſequi ex eo debere multa abſurda.

ET quidem ſuper Ellipſibus *novi Interpretes, & qui cum eis agmen fecēre Grammatici, eo licentiæ proruperunt, ut negandi particulas eas, quæ in Sacrâ Paginâ neque extent, neque ex ejus voluntate naſcantur, velint jubeantque eſſe ſupplendas, Sacrumque adeò Codicem negare, nullo negandi ſigno, ſtatuant; quod cui ſano Hebraicæ Linguæ Candidato placere poſſit? Etenim, ſi Hebraicæ Linguæ natura eſt talis, ea ut aliquandò negare omittat, cùm ſit negandum, Ecquo tandem ſigno certum erit Deum in Sacris Paginis loquentem negare valuiſſe, cum re ipſâ non negaverit? Exempli cauſa, cum Deus ſic jubeat*, diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum ſicut te ipſum, *ſi quis impius, idemque irarum tenax, hæc Dei verba ſic accipi poſſe defendat, tanquam Deus dixerit*, diliges Dominum Deum tuum, proximum autem tuum, non ſicut te ipſum, *propterea quòd negationes Hebraica Lingua ſæpè reticeat, quid relinquetur, quo ejus audacia confutari poſſit? Nam interpretationem impii talem ſi dixeris eſſe divino Verbo apertè contrariam, id jam quæritur, cùm tu particulas negantes interdùm ſuggeras ibi, ubi negandi ſignum prorſus nullum appareat, cur in altero id reprehendas, quod defendere ille poſſit exemplo tuo. Nam cùm tu aliquandò addis* non, *ubi Sacra Pagina non dixit* non, *non minùs tu Sacræ ſententiæ contradicis, quàm divino Verbo Impius. Verùm, ut alio exemplo utar, cùm* Jerem. *cap.* 10. *v.* 7. *ſic legimus*, quis non timebit te, (Domine,) & magnificabit nomen tuum, *nemo eſt qui non videat, quoniam ab hujus orationis membro priori non abeſt particula negans, eam eſſe in poſteriori ſupplendam; Itaque ſic eſſe interpretandum, quaſi ſcriptum fuerit*, quis non timebit, te Dòmine, & non magnificabit nomen tuum. *Contrà verò, ſi Sacra Pagina, particulâ negante, membro in priori, omiſſa, ſic dixiſſet*, Quis timebit te, Domine, & magnificabit nomen tuum, *& ſi quis negationem, quæ abeſſet membro in priori, ſupplere in poſteriori ſic vellet*, quis timebit te, Domine, & non magnificabit nomen tuum, *nùm rectè ea negatio ſuppleretur? Nempè* Jeremias *ſi ſic diceret*, quis timebit te Domine & magnificabit nomen tuum, *hoc vellet dicere, neminem ferè hominem eſſe, qui timeat Deum, nomenque ejus magnificet; cùm contrà, particula* non, *ſi ſic additur*, quis timebit te.... & non magnificabit.... *alia jam ſententia hæc oriatur, neminem eſſe qui Deum timeat*,

meat, qui non etiam nomen ejus magnificet; quod quanquam verè diceretur, tamen falſò Jeremiæ *tribueretur. Huic errori ſimiles errores paſſim inducunt novi Interpretes, cumque iis Grammatici, qui Librariorum menda cum non ſentiant, non aliter ſe ſe expediunt, quàm ſi Sacræ orationi addant nunc particulas, nunc verborum, vel nominativos, vel caſus, imo etiam orationis partes, ut in Notis Criticis dicetur; quæ omnia cur addenda ſint, Sacri ſcriptores nullum ſignum dedère.*

SApienter enim! ſi tamen ex noſtris aut veteribus criticis & grammaticis quiſquam fuit tam emotae mentis, ut ſtatuat Linguae Hebraicae, vel potius dictionis ſacrae, eam naturam eſſe, *ut aliquando negare omittat, cum ſit negandum.* Sed illud diſputo, hoccine cuipiam ſano in mentem venerit. Nec memini Hubigantium ejus rei ullum exemplum producere, niſi quod ſupra Artic. I. claſ. I. in verbis Gen. L. 19. affirmantem ſententiam faciat, quam nos, juxta cum optimis interpretibus, negantem eſſe probavimus; et *ſermonis Hebraici non eſſe exiſtimet, ut* ה *ſic interrogans, ut neget, particulae* כי *ſubjungatur.* Quem ejus errorem diſſertatione altera profligavimus.

Quod ſi jam in ſequentibus omnia reliqua ellipſium exempla ejuſdem furfuris eſſe, nihilque in oratione reticeri, vel a bono interprete ſuppleri poſſe ſtatuit, operam ludit, imo vero ignorantiam et cavillandi ſtudium ſuum quam clariſſime prodit. Ellipſes vocum non ſunt unius generis: non minus quam enallagae. Aliae peculiari linguae genio debentur, verſionibus non imitando, nec aſſequendo. Pleraſque introduxit ſtudium brevitatis, apud Hebraeos hoc magis obſervatum, quia dialectus eorum verbis abundat ampliſſimae ſignificationis, et ſcriptorum ſacrorum conciſus eſt ſtilus. Haud paucae etiam affectui debentur loquentis vel ſcribentis, et facile excuſari poſſunt, cum is ad quem ſermo dirigitur, vel ex verborum ſtructura, vel ex rei de qua ſermo eſt, περιστάσει nullo negotio perſpicere poteſt, quid loquens intendat et in oratione reticeat. Eſtque adeo ellipſis vulgo in verbis, non in ſenſu; atque apud Hebraeos ob eaſdem cauſas admiſſa, ob quas ab optimis quibuſque ſcriptoribus Græcis et Latinis admittitur. Itaque ſi qui grammatici eas minus recte tractarunt, vel *ſacrae orationi addunt nunc particulas, nunc verborum vel nominativos vel caſus, imo etiam orationis partes, ubi ſacri ſcriptores ejus rei nullum ſignum dedere*; (vulgo enim linguam Hebraicam ex illa altera metiuntur, in quam eam vertendo transfundunt) horum ego cauſam tam parum meam facio, quam accedere poſſum Hubigantio, qui cum ellipſes ſemel ad ſoloeciſmos retulit, eo extremitatis, imo deſperationis prolabitur, ut ellipſes et enallagas, quas concoquere non poteſt, quaeque in codice Samaritano aut verſione Græca non leguntur, ad unam omnes mendis librariorum accenſeat, incidatque in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Simi-

Digitized by Google

SImiliter ſentiendum de iis Enallagis quas novi Grammatici pro libidine invexere, cum vellent linguam Hebraicam & genera & numeros & perſonas temere permiſcere, neque ullam ſtabilem habere generis cum genere, numeri cum numero, perſonae denique cum perſona concordiam. (*f*)

PErinde reſpondeo : Si qui ſunt grammatici quos haec dementia cepit, ut ſic ſtatuant, non probo, nec facio meam eorum ſententiam. Quod aliis figuris grammaticis in ſacro codice accidit, ut nempe ultra modum auctae et ſaepe ex eo natae ſint, quia lingua Hebraica magis cum Latino aliove ſermone quo in verſionibus utimur, quam ſecum et ceteris orientalibus confertur, idem ego accidiſſe enallagis aeque ac ellipſibus ſtatuo. Quare his figuris omnibus quas novi grammatici admiſerunt, nec eo modo gratiam facio aut veniam peto quo iſti grammatici ſolent, nec omnes ea ſpongia deleo, in quam eas Noſter jubet incumbere.

Enallagarum aeque ac ellipſium in V. T. non unum eſt genus, non eadem ratio, aut origo. Maxima pars vitio interpretum et grammaticorum debentur, ut diximus, qui linguam Hebraicam ex noſtris Europaeis metiuntur, nec vocum uſum et naturam, genus, ſtatum formamque, nec particularum poteſtatem et vim omnem ſatis cognitam habent et perſpectam. Hae ergo figurae, cum horum interpretum auctoritate ſtent cadantve, ipſis auctoribus Hebraeis transſcribi non poſſunt, nec veniunt in contentionem. Sed aliae deſtinato conſilio ab ipſis ſacris ſcriptoribus adhibitae ſunt; quo pertinent quae vel ipſius linguae genio cuidam debentur, vel quas affectus loquentis poſtulavit, vel quae emphaſin habent, vel denique ad orationis elegantiam et concinnitatem, imo variationem uſurpantur, aut ejuſmodi cauſam aeque idoneam habent atque apud alios ſcriptores, ut ſunt v. gr. permutationes temporum et modorum; de quibus recte Quintilianus, (*g*) *eam eorum eſſe utilitatem, ut quotidiani & ſemper eodem modo formati ſermonis levent faſtidium.* Rurſum alias civitate donavit uſus et conſuetudo, non quidem doctorum hominum, ſed vulgi: ſuntque in ſacris ſcriptoribus tanto magis excuſabiles, quia ſtudium linguae patriae Hebraeos tantopere occupatos non tenuit, quam aut Arabes, aut alias gentes. Geminam hanc enallagarum claſſem qui ex ſacro codice eliminaverit, is ſuam ſibi lucem extinguere et nihil videre, aut, quod quidam ſpurci ſolent, ut ait ille, ſpurcitiem patinae injicere malit, ut ſolus juſculo potiatur.

Itaque Hubigantius, cum ſine diſcrimine de iis ellipſibus et enallagis loquitur quas de Muis, Buxtorfius, Glaſſius, quos paſſim memorat, in ſacro codice repererunt, aut illas, quas diximus loco poſtremo, in oculis non habuit;

(*f*) Cetera quæ hic ſequuntur lectionem vocabuli [illegible] ſpectant, et infra Claſſi I. anſam dante Gen. XXVI. 25. excutientur, quare ea brevitatis cauſa hic omittimus.

(*g*) *Inſt. Orat.* lib. IX. 3.

buit; aut vero de his figuris ita judicium interpoſuit, ut convenire in eum videatur quod apud Dionem Hadriano, per imperitiam contradicenti, reſpondiſſe fertur Apollodorus architectus, *ἄπελθε, καὶ τὰς κολοκύνθας γράφε. τούτων γὰρ οὐδὲν ἐπίστασαι.*

Solae ellipſes et enallagae quas exauctorari oportebit, quaeque adeo in cenſum veniunt, ſunt quae nec cum natura linguae Hebraicae aut ceterarum orientalium et harum gentium uſu vel abuſu, neque cum ſacrorum ſcriptorum intentione et more loquendi, ipſis vel aliis orientalibus alibi recepto, conveniunt; quaeque adeo non aliam ob cauſam quam ob librariorum vel deſcriptorum oſcitationem et ſtuporem in noſtros codices ſunt introductae. Quo in caſu neceſſum erit, vel certe magnum pondus demonſtrationi adferet, ſi ſaltem unius alteriusque codicis bonae notae auctoritate repudientur, non omnium codicum conſenſione firmentur. Cum enim fieri non poſſit, ut omnes omnino librarii in eandem fraudem, eundem errorem conſenſerint, nec demonſtratum ſit codices noſtros omnes ad unam eandemque normam deſcriptos vel ad eandem regulam, a Judaeis procuſam, exactos eſſe, (*b*) apparet conſenſum codicum hic praetermittendum non eſſe.

Ad haec criteria, ad haſce leges, cum enallagas et ellipſes a Noſtro ad ſoloeciſmos et barbariſmos relatas et proſcriptas exegero, apparebit pauciſſimas eſſe quae hanc notam mereantur. Atque erunt forte qui, cum poſt hanc praefationem et iteratas de his figuris auctoris noſtri querelas et voces, turbinem expectent, vel montes parituros, mirabuntur obſervationum mures prodire, hoc magis ridiculos, quia tantum non omnes circa ſolas literas quieſcentes verſantur, nec vel unum nobis locum reſtituunt, antea non intellectum.

Quare etiam cetera Critici noſtri argumenta non moror; quia antecedenti philoſophationi inhaerent, vel grammaticorum abuſus et errores ſectantur, a nobis jam agnitos et alibi confutatos; vel quia enallagas et ellipſes in univerſum ſpectant, ob cauſas longiſſime petitas et ſaepe ridiculas, non admittendas.

Huc pertinet, quod grammatici enallagas et ellipſes nunquam *ad certas normas* revocaverint: quod antiqui interpretes has figuras paſſim ignorent, quia eorum lingua *tales foeditates non prae ſe ferebat*: quod lingua Hebraica ſit orientalium mater, adeoque non potuerit non *legitima in forma lucem primam vidiſſe legibuſque eſſe ſuis ſubjecta:* quod lingua Hebraica *Deum Opt. Max. habuerit magiſtrum & inventorem*, atque adeo non potuerit eſſe legibus ſoluta. Quae quidem cum ad rem praeſentem parum faciant, nolui iis colluſtrandis bonas horas perdere.

(*b*) Vide ſis *Exercit.* noſtram ad cap. I. art. 2.

GLAS-

GLASSIS I. DE SOLECISMIS.

Solecismi ſunt numerorum, generum, perſonarum.

SOLECISMI NUMERORUM. Geneſis, cap. 20. vs. 13. *Abrabam ſic loquitur*, התעו אתי אלהים, *quæ verba Grammatici novi ſic convertunt*, errare fecit me Deus (ab domo patris mei.) *Qui tamen non neſciebant, nomen* אלהים, Elohim, *etſi pluralem in formam deſinit, tamen adjungi ad verbum ſingulare, cum Deum verum babet, tum vero ad verbum plurale, cum falſos Deos; ut nibil tam in promptu eſſet, quam ut viderent ſcriptum fuiſſe ab Scribis Judæis* התעו, *cum* התעה *ſcriptum oportuiſſet. Sed quoniam ſolecifmum coarguere non audebant, præſertim cum* Gen. cap. 35. vs. 7. *ſimilem ſcripturam deprebenderent, placuit illis ſancire exceptione, ut nomen* Elohim, *etiam ſi Dei veri nomen eſt, tamen interdum copulari cum numero plurali liceret. Cui ſanctioni adverſabatur* Sam. Pentateuchus. *Nam utroque in exemplo Samaritani ſcripſere numerum ſingularem, non pluralem. Adverſabatur etiam Chaldæus Interpres, qui, cum legeret* התעו, *ut nunc legimus, ſic eſt interpretatus*, poſtquam aberrarunt populi poſt opera manuum ſuarum. *Quippe ab ſententia toto coelo aberravit potius, quam nomen* Elohim *credidit ibi, ubi Deum verum babet, cum numero plurali fuiſſe copulatum. Imo Exceptioni Grammaticorum tali obſtabat vel ipſa Nota ſatis antiqua* קדש, *quae ad marginem eſt Bibliorum; qua Nota nomen* Elohim *eſſe hoc loco* ſanctum *Lector monetur, quod moneri ſuperfluum fuit, ſi jam olim vigebat ſupra memerata exceptio. Sed ea exceptio novitia cum ſit, ſapienter fuit notatum* קדש, ſanctum, *ne crederet Lector, cum videret nomen* Elohim *ad numerum pluralem contra fas adjunctum, cadere in Abrabamum potuiſſe, ut* Deum *ſuum*, Deos *appellaret.*

Accuſat Emendator noſter librarios Judæos quod התעו ſcripſerint, cum התעה ſcribere eos oportuiſſet; cum tamen horum hominum fidei et ſinceritati hoc debeamus, quod adverſus ſuummet dogma, de Deo ſic ſcripſerint, prout in antiquis codicibus ſcriptum repererant. Aſſumit quidem et pronunciat, *nomen* אלהים, *etſi pluralem in formam deſinit, tamen adjungi ad verbum ſingulare, cum Deum verum babet; tum vero ad verbum plurale, cum falſos Deos &c.* Sed quis neſcit Chriſtianorum aut Judaeorum, hoc nomen, etiam cum verum Deum deſignat, adjungi verbis aliiſque orationis partibus pluralis numeri, non ſolum apud alios ſcriptores, velut Joſ. XXIV. 19 II Sam. VII. 23. Jerem. X. 10. Job. XXXV. 10. Pſalm LVIII. 12. ſed etiam plus vice ſimplici apud Moſen, velut Gen. I. 26. III. 22. Deut. IV. 7. V. 23. Quae loca tanquam genuina in celebratiſſimis commentariis ſuis paſſim agnoſcunt

cunt Judaei. (*i*) Poſtrema etiam ipſe Hubigantius corruptionis non inſimulet, quia tam codex, quam interpres Samaritanus eandem, quam habet Moſes, in iis formam numeri multitudinis retinuerunt. Ex quo ſimul apparet, quod Samaritanum ſuum ob id immerito codici Hebraico praeferat quod is hic, et Gen. XXXV. 7. verbum ſingulare adhibuit, cum deberet plurale. Samaritano hanc ſcriptionem perſuaſerant exempla, in quibus אלהים cum de vero Deo accipitur, ſibi jungit vocabula ſingularis numeri; et contra cum de Diis gentium, de viris principibus et judicibus venit, ſecum habet vocabula pluralia. Itaque bonum factum putabat, formis pluralibus, in locis citatis numerum ſingularem ſubſtituere, contextum Hebraicum, vel potius Abrahamum et Jacobum, ſi Diis placet, hoc modo liberaturus a polytheiſmi ſuſpicione. Sed convincit eum erroris et ſimul in vetuſtiſſimis Judaeorum exemplaribus quid lectum ſit, docet opportune a Noſtro ad partes vocatus Onkeloſus: qui quidem a via non deflexiſſet, nec tantopere ſe torſiſſet, niſi ſcripturam prae oculis habuiſſet, quae ipſi minus arrideret, quippe Judaeo homini. Hujus populares, Judaei ſequioris aevi, cum ſuo judicio animadverterent, ſubeſſe hic aliquid μυςηριῶδες, ſicque ſcriptum in ſuis codicibus et lectum a majoribus viderent, piaculum eſſe crediderunt vel literam mutare, eoque ipſo animum probarunt veritatis et accurationis amantiſſimum.

Reſtat, ut paucis dicam quare nomen אלהים cum verum Deum deſignat, non ſolum verbis ſingularibus adjungitur, ſed etiam pluralibus et quidem longe ampliore jure: ex quo ſimul apparebit quam vere grammatici hanc exceptionem ſanciverint, Noſtro tantopére exagitatam, videlicet *nomen* אלהים *etiamſi Dei veri nomen eſt, tamen interdum copulari cum numero plurali.* Si in cauſas inquirimus, ob quas Hebraei, cum de uno vero Deo loquuntur, adhibere ſolent pluralem eumque adjungunt aliis orationis partibus non ſolum ſingulari, ſed etiam plurali numero venientibus. Apparet abhorrere a linguae genio moribuſque ac ſimplicitate priſcorum mortalium ſermonem habere de pluribus ſuppoſitis vel perſonis, easque non modo nomine multitudinis deſignare, verum et praedicatis ac verbis eodem pertinentibus, et tamen unam duntaxat perſonam mente complecti; niſi dicamus hanc talem loquendi formulam fundari in pluralitate rei ſignificatae: maxime cum Hebraeos nequaquam deficiat nomen אלה ſingulare, quo alias unum Deum ſignificant. Nempe novi mundi hoſpites, juxta nobiſcum a natura edocti, noverant Deum eſſe unicum, quem hinc numero unitatis אלה nuncupabant. Aſt, ſimul ac Deus ſeſe ipſis, ſive jam in ſtatu eorum integro, ſive poſt lapſum, manifeſtaverat tanquam eſſentiam pluribus perſonis ejuſdem deitatis ac ſum-

(*i*) Judaei haec loca ad domum judicii coeleſtis, ex tribus conſtantem, vel familiam Dei referunt. Sic ſane diſputant in Gem. Hieroſ. *Horajoth* fol. 47. col. 1. eamque rem probant ex. II Sam. VII. 23. הלכו אלהים; etſi pro hoc verbo plurali I Chron. XVII. 21. ſubſtituatur ſingulare הלך. Nec diſſentiunt Cabbaliſtae, quorum obſervationes ad Deut. IV. 7. & Job. XXXV. 10. videri merentur in *Zohar* ſuper Geneſi fol. 20. col. 3. & in Exodum fol. 77. col. 2.

Digitized by Google

ſummae poteſtatis conſtantem; imo vero tanquam trinunum, de quo dubitare nos non ſinunt praeter Moſen, ſcriptores ipſum ſecuti, quos in canone habemus; hanc trinitatem non poterant non exprimere forma nominis pluralis אלהים.

Sed vero cum nominum dominii אדנים et בעלים apud Hebraeos ea ratio ſit, ut, licet eorum terminatio pluralis orta ſit ex eo, quod hi qui in ſocietate humana ſuam aliis ſerviendo operam collocabant, his nominibus univerſam familiam herilem complecterentur, mox tamen cum aliis ſingularibus conſtructa, de uno & ſolo hero adhiberentur, quamvis καταχρηστικῶς, (conf. Gen. xxiv. 9. Exod. xxi. 4. 19. xxii. 10.) patet nomen אלהין quando cum ſingularibus conſtruitur, hactenus non differre a nominibus dominii; niſi ex aliis indiciis et praedicatis conſtet reſpici ad pluralitatem perſonarum. Quando itaque ſacri ſcriptores, nomini אלהים adjungunt partes orationis ſub forma plurali venientes, non ſolum jure maximo id faciunt, quod fundatur in origine terminationis pluralis, quam diximus, et pluralitate perſonarum divinarum deſignanda in deitate, ſed etiam loca, in quibus hoc fieri ſolet, ἀναμφισβήτον et irrefragabile ejus rei argumentum prae ſe ferunt: tantum abeſt, ut ſuſpicio ſit ea in mendo cubare.

Exod. cap. 39. ℣. 3. *Hodierni Codices habent* קצץ, incidit (bracteas.) *Tamen ſcribendum fuerat* קצצו, inciderunt; *nam antecedit plurale* עשו, fecerunt, *& Veterum nemo eſt Interpretum, qui talem referat ſolecismum; non ipſe Arabs Erpenianus, cui tamen homini religio eſt non toties facere Arabice ſolecismum, quoties in ſuo Codice habet ſolecismum, quem non ſentit, Hebraicum.*

Quod ſi Noſter non eadem opera plures id genus formas ſingulares, pluralibus permiſtas, in hac et aliis pericopis exauctoraverit, operam ludit. Exempla hujus variationis aliquam multa dabit Glaſſius *Phil. Sacr.* lib. iv. tract. 2. obſ. 18. ſuntque in eodem hoc Exodi capite. Sic ℣. 1. legitur עשו et ויעשו, ſed ℣. 2. ויעש ſingulariter. Rurſus ℣. 6. ſcribitur ויעשו, mox autem ℣. 7. וישם. Denuo ℣. 10. וימלאו, aſt ℣. 8. et 22. ויעש.

Quas quidem formas ſingulares etſi bonam ſui partem in plurales converterit Samaritanus, non potuit id tamen ſuo jure quodam, vel ob cauſam aliquam idoneam feciſſe, niſi forte, ut verba eſſent ὁμοιοτέλευτα; quia in caſu ſimili, nempe capite xxxvi. (ex quo omnis ratio hujus diverſitatis petenda eſt, ut poſt dicemus) eandem lectionem ſequitur, quam prae ſe ferunt codices Judaici, legens ℣. 8. ויעשו et mox עשה, deinde vs. 10. et 16. ויחבר, denique vs. 11. 13. 14. 17. 18. 19. 20. ויעש forma ſingulari: ut nulla ſit differentia. Alibi tamen loco pluralium ſubſtituit ſingularia, etſi praeter conſuetudinem Moſi in iis locis receptam; veluti cum Exod. xxxv. 10. pro יבאו ויעשו, reſcribit יבוא ועשה.

Quod jam ad cauſam adtinet diverſitatis, Exod. xxxix. obſervatae: ea peti de-

Digitized by Google

debet ex Exod. XXXVI. 1. 2. ubi Moſes dicitur *vocaſſe Betzaleëlem & Oholiabum & omnem virum induſtrium, cujus animo dominus indiderat peritiam.* Horum unumquemque propriam ſibi operis partem habuiſſe, eamque, ubi perfecta erat, in commune contuliſſe, patet ex Exod. XXXVI. ℣. 4 coll. ℣. 8. 9. et ſequentibus; quemadmodum et Betzaleëlis ſcientiam in eo diverſam fuiſſe colligitur a ſcientia Oholiabi, ut ille quaecunque auro, argento et aere, nec non ligno et gemmis parari debebant, excogitaverit, hic vero quae ſculptura vel figuris in opere textili, artificioſo et acupicto conſtabant; ita tamen, ut ambo ſociata parte laboris fruerentur et uterque ſui operis haberet ſocios. vid. Exod. XXXV. 30——35. Itaque ſicubi Moſi ſermo eſt ſingulari numero, unus horum artificum ſubauditur; ſin pluraliter effertur, vel de ambobus accipiendus eſt, vel de his quorum opera illi artifices utebantur ad tabernaculum et quae eo pertinebant, fabricandum. Preſſius dico, cum noſtro in loco dicitur וירקעו את פחי הזהב, numero multitudinis, et deinde וקצץ פתילים &c. numero ſingulari, docetur aurum in tenues laminas ab aliis quidam expanſum atque deductum, ab uno vero horum artificum, ejus rei prae ceteris gnaro, et tum temporis inventore, ut fas eſt credere, peritiſſima manu in ejusmodi filamenta diſſectum fuiſſe, quae inſeri, et adhiberi cum filis hyacinthinis, purpureis aliisque byſſinis potuerint. Hoc autem cum minus animadverteret deſcriptor Samaritanus; facile has quas vidimus, ſtrophas dedit, nec ſibi conſtitit.

Num. cap. 9. vs. 6. ויהי אנשים אשר היו טמאים, et fuit homines qui erant impuri (et non potuerunt facere Paſcha.) *Erat ſcribendum* ויהיו, *&* fuerunt, *abſque ſolecismo. Nam ita & Sam. Codex, & plerique Veteres. Tamen Joan. Clerico placebat, eum ut ſolecismum excuſaret, atque ut moneret* ſine cauſa *addidiſſe* ו *Samaritanos. Cui Clerico forte videbatur illud* ויהי *eſſe poſſe* Imperſonale. *Verum hoc eum fallebat, ſi quando verbum* היה *formam habet* Imperſonalem, *huic ſubjici conjunctionem* ו, *in qua velut alterum membrum incboetur, ut hoc ipſo in exemplo, ſi ita eſſet, legeretur,* ויהי ואנשים, & fuit, ut homines, qui erant impuri, *quod* ו *& abeſt, & abeſſe debet. Nam ſi adeſſet, foret ſic convertendum,* & fuit ut homines qui erant impuri, & non poſſent facere Paſcha, *cum tamen legitima interpretatio ſit talis,* & fuerunt homines qui erant impuri, & non potuerunt facere Paſcha. *Ergo, velit nolit Clericus, legendum* ויהיו, *nec aliter legit & interpretatur ipſe Arabs Erpenianus.*

Ut ſimplicioribus prima fronte imponat, ſubſtituit, *& fuit homines qui erant impuri —— & non potuerunt*; cum debuiſſet, *Et fuit*, vel *factum eſt, ut homines qui erant impuri ob cadaver humanum, non poſſent celebrare paſcha*, vel mavis: *Et factum eſt. Homines qui erant impuri ut non poſſent &c.* Nempe dixit Moſes ויהי ולא יכלו אנשים pro ויהי אנשים, verbis pauliſper tranſpoſitis, ſine tamen ullo ſenſus detrimento, et ut ſcrupulum injicere nemini poſſit linguae perito. In cauſa erat, quia ſubjectum integrum praemit-

mittere volebat, mox autem ſubjungere praedicatum. Noſter immerito ob id ſuccenſet J. Clerico, monenti, *ſine cauſa addidiſſe vav Samaritanos*; et quidem eo potiſſimum argumento, quia *ſi quando verbum* היה *formam habet imperſonalem, huic ſubjiciatur conjunctio* ו, *in qua velut alterum membrum inchoetur; ut hoc in exemplo, ſi ita eſſet, legeretur* ויהיואנשים: quod prorſus ingratum, imo inſuetum Hebraeis auribus. Contra ea tenendum, ſi quando *vau* poſt ויהי imperſonale adhibetur, id non ſubjecto praefigi, ſed praedicato. Quemadmodum nec neceſſe eſt, ut iſtud *vau* immediate ſequatur; quia poteſt etiam, ſtilo Hebraico, et quidem eleganter, initio ſequentis membri vel commatis poni; quomodo Exod. XVII. 12. dicitur ויהי ידיו אמונה עד בא השמש *et fuit vel factum eſt, manibus ejus* (Moſis) *vel utraque manu firmata*; ſequiturque ℣. 13. ויחלוש יהושע את עמלק לפי חרב *ut Joſua profligaret Amalekum ore gladii*. Deinde ויהי nonnunquam ſic adhibetur, ut poſt ſe hanc conjunctionem *vau* minime habeat. Exod. XL. 17. Moſes ſic fatur: ויהי בחדש הראשון — הוקם המשכן, quod Graeci reddunt preſſe: καὶ ἐγένετο ἐν τῷ μηνὶ τῷ πρώτῳ —— ἐστάθη ἡ σκηνή. conf. Num. X. 11. Imo verbum ſingulare, jungitur directe nomini plurativo Gen. I. 14. Cum igitur Maſora hunc locum juxta cum IV. aliis notavit, in quibus ויהי ante nomina pluralis numeri ponitur, obviam ire voluit eorum praejudicio qui primo intuitu opinari poſſent, debere vel poſſe aliter legi quam quidem legitur: non voluit indicare locum eſſe corruptum (*k*).

Num. cap. 32. ℣. 25. *ita legitur*, ויאמר בני גד וראובן, et dixit filii Gad et Ruben; *nimirum* dixit, *numero ſingulari*, *quanquam innumeri ſunt*, *qui* dicant. *Eum ſolecismum ſuo in Codice geſtabat Chaldaeus* Onkelos, *quem ſi ſic haberet*, *ut numeri* Enallagen, *non ut ſolecismum*, *non ita flecteret ſermonem*, dixit Tribus filiorum Gad... *Nam ſi Hebraice*, dixit filii, *ſimiliter ſonabat ut*, dixerunt filii, *quid cauſae eſſe potuit*, *cur circuitione uteretur? Sed rem vidit* Onkelos, *nempe iſtud*, ויאמר בני, *eſſe contra normam*, *atque ea re compulſus eſt*, *ut converteret*, dixit Tribus, *ut vocabulum* Tribus *ſingulare*, *ad verbum* יאמר *ſingulare rite adjungeretur*, *et ne eum*, *quem Hebraice legebat*, *Chaldaice faceret ſolecismum. Sic* Levit. cap. 14. ℣. 41. *legitur* ויקצע, *et* radet (domum) *tanquam Sacerdos domum lepra infectam ipſe raderet*, *cum tamen in tota illa expiandarum aedium caerimonia*, *ritus omnes*, *Sacerdote jubente et inſpectante*, *nihil vero agente*, *conficiantur*; *ut manifeſtum ſit ſcribendum fuiſſe* ויקצעו, et radent, *de illis miniſtris dictum*, *qui domum radunt et purgant*; *allucinatumque hoc loco fuiſſe Buxtorfium*, *qui crederet verbum* קצע *eſſe* Hiphil, *ſignificarique*, radere faciet (Sacerdos.) *Nam*, *cum id verbum ſit unum τῶν ἅπαξ λεγομένων*, *audiendi potius erant Veteres*, *qui vocem* Kal *adhibuerunt*, *cum praeſertim anteceſſerit* ישפכו effundent, *et cum Samaritani ſcribant* יקצעו, radent.

Quia

(*k*) Ut patet ex voce סבירין de qua vid. Buxtorf. *Tiber.* p. m. 130. et 257.

Quia in eodem capite plus vice ſimplici, velut ℣. 2. 5. 16. de filiis Ruben et Gad legitur ויאמרו, numero plurali, eamque lectionem et hic prae ſe ferunt haud pauci codices Hebraici, uti docuit Cl. Kennicottus, et ſive ſingularis adhibeatur, ſive pluralis, ſenſus tamen manet bene conſtitutus; facile largior lectionem vulgarem in mendo cubare. Vel ſic tamen pati non poſſum, ut id genus loquendi Hebraeis ceteriſque orientalibus non inſuetum, ad ſoloecismos referatur.

Nempe uſu invaluit apud ſacros ſcriptores, ut ſicubi eis de pluribus ita ſermo eſt, ut vel unanimis plurium ſententia deſcribatur, vel aliquid dictum aut factum eſſe nomine omnium intelligi debeat, praedicatum adhibeant numero ſingulari. Sic Jud. VIII. 6. ויאמר שרי סכות, non quidem, *dixerunt quilibet principum Succoth:* ſed unus ex his principibus dixit, nomine omnium, vel haec fuit communis omnium ſententia. Sic de ſenioribus urbis quorum nomine procul dubio unus loquebatur 1. Sam. XVI. 4. ויאמר שלם בואך *et dixit, anne pax advenienti?* Similiter de nunciis Saulis 1. Sam. XIX. 22. Cujus modi plura loca dabit Buxtorfius *Anticrit.* pag. 966.

Inprimis vero haec differentia obſervatur, cum de quadam gente agitur unum corpus conſtituente. Sic ſane Exod. XIV. 25. de Aegyptiis fugam capientibus ויאמר מצרים dicitur, ubi quidem Samaritanus, more ſuo, ויאמרו legit, ſed perperam; ſequitur enim confeſtim אנוסה מפני ישראל *fugiam a facie Israelis, quia Deus pugnat pro ipſis contra Aegyptios.*

Nec abeunt in diverſum ab Hebraeis Arabes, quorum hiſtoricis et poetis uſitatiſſimum eſt, ut ſicubi de familia quadam vel tribu ſermonem habent, praedicata ipſis veniant ſingulari numero.

Cum vero utrumque non incommode in hunc locum conveniat, ſitque idem loquendi mos Hebraeis etiam aliis in caſibus uſu receptus, velut cum de duabus perſonis vel ſuppoſitis aliquid adfirmant; vid. Exod. IV. 29. Num. XII, 1. 1 Sam. XVII. 34. ecquis ſuam ſibi lucem adeo extinguere velit, ut hanc formam loquendi ad ſoloecismos referat?

Onkeloſum ad manum non habuerit Criticus noſter oportet, cum ait eum ſermonem ita flectere, *dixit tribus filiorum Gad.* Atqui Onkeloſus ſimpliciter ואמרו בני גד, *et dixerunt filii Gad.*

In progreſſu contendit, ſic quoque Levit. XIV. 41. יקצעו legendum eſſe cum Samaritano, non יקצע; quod ipſi futurum eſt ſpeciei vel formae Kal, verti turque *et radet*, cujus inſtituti hanc cauſam reddit, *quod in tota illa expiandarum aedium cerimonia ritus omnes ſacerdote jubente aut inſpectante, nihil vero agente, conficiantur.* Reſpondeo, Judaeos in ſuis codicibus legere יַקְצִעַ, & יַקְצִיעַ (*l*) quae forma eſt futuri Hiphil: ut ſenſus ſit, *radere faciet* ſacerdos, quod idem eſt ac *praecipiet, jubebit ut radatur.* Futurum autem Hiphil, etſi non ſcribitur per Jod, attamen tale tam parum eſſe definit, quam in

(*l*) Poſtrema haec lectio habetur in multis exemplaribus quae ad h. l. notavit Cl. Kennicottus.

in aliis exemplis, quae vel defective ſcribuntur, vel quae *tſere* habent, vel *patach* propter ultimam gutturalem; quo pertinent, Gen. 11. 9. ויצמח *et germinare fecit*, Jud. XVIII. 15. תשמע *audire facies*, aliaque bene multa, quae nemo unquam negavit ad ſpeciem Hiphil eſſe referenda. Itaque ſi vel maxime punctationem hujus verbi, qualis occurrit in quibusdam exemplaribus, ob id improbet Hubigantius, quod deſideretur Jod, mater lectionis; non tamen diffitebitur formam τῆ Hiphil habere, cum legitur יַקְצִעַ, vel יַקְצִיעַ; atque adeo nullam neceſſitatem eſſe quae nos cogit, ut יקצעו legamus, nulla ſenſus differentia. Quod autem interpretes, Graeci et Chaldaeus formis pluralibus hic utuntur, ἀποξύσουσι, יקלבון et ſimilibus, in eo a lectione quam fundunt noſtri codices, quod ad rem ipſam adtinet, nil diſcrepant: niſi quod actionem ad eos ſolos referant qui domum radunt, non ſimul inſinuent, quod indice verſu antecedente diſcere poterant, abraſionem ſacerdote jubente factam eſſe.

Quod ad alteram Critici noſtri obſervationem pertinet: etſi ad rem praeſentem et lectionem noſtrarum editionum repudiandam parum faciat, ſi *ritus omnes ſacerdote jubente, nil vero agente conficiantur*; reſpondeo tamen hoc gratis aſſumi, et pericopam a Noſtro non inſpectam, nec partes muneris ſacerdotalis ipſi cognitas videri, cum haec ſcriberet. Nempe ✝. 49—54. verba ſingularia וחזה, וטבל, ושחט, ולקח aliaque, tam aperte ad ſacerdotem expiantem referuntur, ut intelligi aliter non poſſit, quam ſacerdotem ipſum ea omnia peregiſſe quae ibi memorantur.

Quid? quod nonnulla etiam a ſolo ſacerdote peragi debuerint, quia a nemine alio peragi poterant? Huc pertinet v. gr. introitus in ejusmodi domum leproſam, quae ingredientes polluebat, excepto ſacerdote, conf. ✝. 37. 38. cum 46. 47. Cetera mittimus: cujusmodi eſt illud, quod anteceſſerit ישפכו, quod nuſpiam eſt, niſi forte pro ושפכו quod ſequitur, legerit; piget enim et taedet ineptiarum.

Addimus ſolum modo quod Judaei in codice Negaim cap. XII. et XIV. haud aliter legant atque legitur in editionibus noſtris, et quod cod. cit. cap. XII. §. 6. ex eo quod Levit. XIV 42. legitur ועפר אחר יקח וטח, licet minus recte, tamen colligant unum tantummodo requiri qui pulverem adducat, referentes אחר ad perſonam, non ad rem, quo tamen proprie referri debebat. Unde apparet Judaeorum majores haec verba tanquam in ſingulari poſita legiſſe, quae noſter in notis ad h. l. cum Samaritano legit יקחו וטחו, numero plurali.

SOLECISMI GENERUM. Geneſis cap. 3. ✝. 12. *Adamum hodiernus Codex ſic loquentem inducit*, quam dediſti mihi ſociam, ille dedit mihi de fructu. *Quo in exemplo ſingulare illud eſt, Adamum proxime jungere maſculinum genus* הוא ille, *cum feminino* נתנה, dedit; *ſic tanquam Latine quis diceret*, ille largita eſt mihi. *Itane vero eorum* Enallagen, *quas Grammatici no-*

vi mirifice amplexantur, inde usque ab Adamo erit origo repetenda? Sed eos id latebat, repudiari omnino omnes, non modo ab Samaritanis, quorum Codicem, ut profanum longe averſabantur, ſed ab Hodiernis ipſis bonae notae Codicibus. Exemplo eſt is Codex Orat. 53. de quo dixi, ſacculo duodecimo deſcriptus, et ille alter 42. de quo etiam dixi, ſaeculo decimo tertio, Litteris Hebraico-germanicis exaratus. Nam in priori multa pronomina, quae nunc הוא, *ſcripta ſunt, reperi ſcripta eſſe* היא: *in poſteriori vero fere ſemper* היא, *ibi, ubi generis ratio id poſtulabat. Sed tamen Judaeaſtro cuidam id cum non placeret, ille tranſverſo calamo Litteram* י *ſaepe delevit, quoniam* Maſora *ſic jubebat, ne ille Codex cum* Maſora *concordaret. Verum Hebraicae Linguae indoles ſi erat talis, ut maſculino generi feminini ſpeciem aſſignaret, cur non haec reciprocantur, ut etiam genus femininum* היא *ſpeciem habeat maſculini? Reciprocari Grammatici non ſanxerunt. Quos merito, quanquam ſero, ſuſpectos habuit Clericus, cum ſic moneret:* (*) Obſervant Grammatici genus verbi interdum cum nomine non convenire..... Sed vereor ut Librariis plures ἐναλλαγὰς debeamus.

QUod noſtro Critico haud ſemel accidit, ut fluctus in ſimpulo moveret nil profuturos, idem ei et nunc evenit circa ſoloecismos generis. Nos ei haud difficiles largimur, quod, ſi qua in re apud Judaeorum ſcribas facilis fuit aberratio et codicum obſervatur diſcrepantia, ea nullibi magis obſervetur quam in literis Jod et Vau, quippe natura et ſcriptione ſua facile permutandis; inprimis cum linea perpendicularis τῦ Vav tam exiliter pingitur, ut vulgo ſolet, aut lapſu temporis ita excſa eſt, ut aciem oculorum fugiat. Cum ergo hae literae in Samaritano codice non tam frequenter permutatae ſunt quam in codicibus Judaicis factum videmus, id non majori ejus accurationi deputandum, ſed diverſiſſimae harum literarum figurae; quae diverſitas tanta eſt, ut haud facile quenquam in errorem poſſit inducere. (*m*)

Interim bene habet, quod non deſint codices bonae notae Judaici, qui legunt היא cum Jod ſcriptum; e quibus ergo verum genus pronominis poteſt cognoſci: ut neceſſe non habuiſſet ideo ad Samaritanum, tanquam ad ſacram anchoram confugere. Et, quid dico? melius habet, quod qui modo ſenſu communi gaudent, ex verbo נתנה quod foeminini generis eſt, colligere poſſint, cujus generis eſſe debeat pronomen הוא, ſi punctis ſit deſtitutum. Ut adeo eatenus par ratio ſit hujus loci atque eſt illius qui occurrit in eodem capite ℣. 15. ubi ex genere maſculino verbi ישופך, et pronominis aſſixi in verbo תשופנו facile intelligitur, non de foemina aliqua, aut muliere, multo minus de Eccleſia ſermonem eſſe, ſed de ſemine mulieris, id eſt Chriſto, atque adeo legendum eſſe הוא, non היא.

Sed

(*) In Exod. I: 16.

(*m*) Samaritanorum ࠉ *Jod*, licet non toto coelo diſcrepet a *Jod* Judaico (י) et eandem originem agnoſcat, tamen a longiſſimo tempore ſic pingitur, ut vel primo intuitu dignoſcatur. Jod Judaicum eſt minima litera alphabeti, Matth. V. 18. Samaritanum non item.

Sed exiſtimo, nec Samaritanum, nec codices Oratorienſes Noſtro memoratos, neque alios quos laudat ad hunc locum Kennicottus, (*n*) priſcam et veram hujus pronominis ſcriptionem exhibere, quod aevo Moſis procul dubio ſcriptum fuit cum vav, ut differentia ab הוא maſculino a ſola pronunciatione, aut ſigno vocalis appoſito penderet. Ecqui enim fieri potuiſſet, ut et alibi in hoc capite, et in toto quidem Moſis Pentateucho toties, imo tantum non ſemper, eundem errorem committerent deſcriptores, non item in aliis libris aetate huic multum inferioribus ?

Quod autem pronomen foem. gen. olim aeque cum vau ſcriptum ſit, atque pronomen maſculinum, ejus rei ratio procul dubio fuit, quod utrumque deſcendit ab antiquo themate הוא, Syris cum vau ſcripto ܗܘܐ, Arabibus vero هوي exarato quod *exiſtentiam* infert, unde exempla הוא apud Job. XXXVII. 12. et יהוא Eccl. XI. 3. aliaque. Hoc autem ſi verum eſt, jam nihil obſtat quo minus הוא ſcriptum ſit in foeminino genere, aeque ac in maſculino; differentia vero penderit a ſigno vocalis. Ab hac veteri ſcriptura quam ſecutus fuit Moſes, uti in ceteris dialectis orientalibus, ita apud Hebraeos facile tranſitum fuit ad היא, ſcriptionem in qua litera heterogenea vocali antecedenti facta eſt homogenea; quod apud Arabes fieri ſolet quotidie. Quicquid ſit, apparet Hubigantium noſtrum laureolam in muſtacco quaerere, cum lectionem הוא tanto conatu repudiat; nec Samaritano codici ob id palmam tribuendam eſſe quia היא legit, more ſcriptoribus Hebraeis ſequioris aevi conſueto; minime vero omnium hic reperiri ſoloecismum.

S*Imilia exempla ſunt ſolecismorum in* affixis *quam plurimorum, quale erat* Gen. cap. 26. ℣. 25. *illud* אהלה, tentorium ejus, *pro* אהלו, *ſcriptum, in quo dixerat* Morinus *craſſum cubare ſolecismum; quo audito excanduiſſe* Simeonem de Muis *ſupra narravimus; qui quidem neſciebat in Veneta Editione ad marginem notari*, legitur אהלו, in quibusdam Exemplaribus. *Nec non eundem urgebat* Morinus *Rabbinorum atque ipſa* Maſorae *autoritate; quorum ſuperiorum quidam in ſuis Codicibus legebant* אהלו; *haec poſtrema verbum* אהלו *iis verbis, quae in* ה *deſinunt, non annumeravit. Ex illa vero* Morini *animadverſione hunc fructum cepere Editores ii, qui poſt* Morinum *fuerunt, ut in ſuis Impreſſis ponerent* אהלו; *atque ea cauſa eſt cur iis in Impreſſis, quae ante annos centum lucem aſpexerunt, legatur* אהלה, *in poſterioribus*, אהלו.

TAmetſi non nova aut nudius tertius inventa ſit haec criminatio, ut ex J. Morini *Exerc. Sam.* IV. cap 8. et S. de Muis ad eum locum *Cenſuris* in *Aſſert. verit. Hebr.* I. p. 173—176. et *Caſtig. Animadv.* p. 117. colligitur; miror tamen, qui Noſter in animum induxerit, ut eam hic loci recoqueret. Primo enim legitur non ſolum in plerisque libris impreſſis, ſed etiam

(*n*) *The ſtate of the printed Hebrew text.* Diſſ. I. pag. 343—347. et in *Vet. Teſt. Hebr.* pag 5.

etiam in manuſcriptis, quo referri merentur codex Bibl. publ. Daventrienſis, et Colonienſis quem ſervat bibliotheca P. P. S. J. non אהלה, ſed אהלו. (o) Deinde, ſi vel maxime hoc vocabulum cum He legeretur, quis tam iniquus eſt harum rerum arbiter, ut ob id ſoloecismum commiſſum eſſe velit, cum non ſolum Judaei huic He vocalem *o* praemittant (et quis neget veteres Hebraeos praemiſiſſe?) ſed etiam, antecedat ויט, *et extendit*, quod nemo pro foeminino habebit; ipſumque illud He in אהלה manifeſto referatur ad Iſaacum, ut appareat ſubſtitutum eſſe in vicem et locum pronominis maſc. gen. ſine ullo erroris periculo.

Quia tamen praeter hoc exemplum dantur et alia nonnulla, quae in fine hoc He habent, velut Gen. IX. 21. Exod. XXXII. 17. 25. Num. XXIII. 8. Pſalm. XLII. 9. atque adeo intelligi poteſt Hebraeis hanc formam pronominis affixi non fuiſſe incognitam, aut inſuetam, quaeritur unde eam acceperint? Si Simeonem de Muis audimus, loco ſuperius laudato, He ſubſtituitur pro Vav, *quia literae* אהוי *invicem ſunt permutabiles*. Sed eſt tamen hujus mutationis certus modus, ſunt certi denique fines. Quid ſi igitur hoc He, ut multa alia, quae plenis modiis dabunt grammatici, acceptum ſit ab Arabibus aut Aramaeis? quid ſi animatum ſit eadem vocali *o* qua Arabes utuntur, atque adeo quo ſingularibus jungitur affixum tertiae perſonae maſculini generis? vel ſi quis mavelit, ſi praemiſſum ei fuerit ſignum vocalis *e*, quod faciunt Syri; quid quaeſo huic ſcriptioni ineſt vitii?

SOLECISMI PERSONARUM. Geneſis cap. 33. ℣. 11. accipe, quaeſo, benedictionem quam attuli tibi. *Haec Jacob, dum fratrem Eſaü muneribus placat; ex ſcriptura* הבאתי, attuli, *quam Veteres omnes prae ſe ferunt. Sed Hodierno in Codice legitur* הבאת, *quod quidam vertêre*, allata eſt, *quibus videbatur* הבאת *idem valere atque* הובאת, Praet. Hophal, *quanquam orationis filum iſtud* Hophal *implicabat. Alii quidam non tergiverſantur. Nam ſtatuunt,* הבאת *ſic eſſe, ut* הבאתי, *atque ex eo mendo* Canonem *talem fecêre; moris eſſe apud Hebraeos, tollere* י *primae perſonae, quod cum fiat, perſonae ſecundae eſſe ſimilem primam. Quibus cum* Morino *erat potius ſanciendum, eſſe in eo* י *ſublato* craſſum ſolecismum. *Nam eorum* Canon *et nulla bona autoritate firmatur, et oritur ex Orientalium Scribarum non animadverſo errore, apud quos abeſt* י *prima in perſona, et perſonae eorum ſecundae prima eſt ſaepe omnino ſimilis.*

HAud paulo melioris farinae ſunt quae diſputantur de ſoloecismis perſonarum, quo retulit Gen. XXXIII. 11. Primo enim non ſequitur: veteres interpretes ſic expreſſerunt, ergo ſic legerunt in ſuis codicibus; quippe qui, ut alibi, ſententiam orationis reddunt, non verba eorumque formam. Dein-

(o) Mirum ergo lectiorem אהלה confirmare ad minimum XVIII. codices MSS. laudatos Cl. Kennicotto in animadverſionibus criticis ad h. l. lectionem אהלו, nullum.

Deinde, filum orationis tam parum iſtud Hophal implicat, ut potius ad amuſſim reſpondeat et conveniat his quae dicuntur in antecedentibus. Nempe cap. XXXII 14——23. Jacobus in mandatis dederat ſervis ſuis, ut munus Eſavo deſtinatum ad eum deducerent, ante quam ipſe eum accederet. Nil itaque magis ad rem erat appoſitum, quam hoc Jacobi ad Eſavum, *accipe meam benedictionem, quae tibi adducta eſt*, non vero *quam ego adduxi* vel *attuli tibi*; inprimis, quia his verbis ſimul inſinuat, aequum eſſe, ut quae, divino beneficio ſibi non merenti obtigiſſent, frater, tanquam a divina providentia ſibi oblata, non repudiaret.

Quaeritur tantummodo de forma tertiae perſonae praeteriti foem gen. tanquam paulo inſolentiore, num ferri ea poſſit pro הֻבָאת; quod dubium movit Noſter in notis ad h. l. Reſpondeo, non deficere exempla quae iſtud ת pariter in 3. perſ. foem gen. agnoſcant; quo pertinet ועשת *et facit*, Levit. XXV. 21. et קראת *obveniat*, Deut. XXXI. 29. Jeſ. VII. 14. et ſi vel maxime deſint, (negabit enim noſter duo priora in Samaritano codice ſic legi) incommoditatem pronunciationis et hiatum oris in pronunciando הבאה, quin imo, imitationem ceterorum orientalium Hebraeis hanc formam hic illic perſuaſiſſe, indeque factum eſſe, ut הובאת in codicibus plerisque, הבאתי autem in pauciſſimis, et forte tantum in uno legatur. (p)

LEvit. cap. 25. ℣. 14. *poſtquam dictum fuit*, cum vendideris venditionem proximo tuo (תמכר, vendideris) *addit Hod. Codex*, או קנה מיר עמיתך, *quod alii vertunt*, acquiſivit; *quod quam in loco ſit*, *poſt* vendideris, *ipſi viderint. Alii* acquirere; *ſic Arias*, cum vendideris .... aut acquirere, *neque Grammaticis quibusdam diſplicuit uſurpari infinitum Modum*, acquirere *pro finito*, acquiſieris. *Quid, quod etiam quibusdam placuit id* Aben-Ezrae *pronuntiatum*, קנה, acquiſitionem, *idem valere atque* קניתם קנה, acquiſieritis acquiſitionem? *Quantum laboris fuit, animadvertere* קנה *fuiſſe per imprudentiam, pro* קנת, *deſcriptum; atque hanc perſonam ſecundam alteri* תמכר, *reſpondere? Id docebant Veteres Intt. quos planum eſt legiſſe*, קנת *in Praeterito Tempore, vel* תקנה, *in Futuro.*

VErba quae in quaeſtionem veniunt, ſunt iſta: וכי תמכרו ממכר לעמיתך או קנה מיד עמיתך אל תונו איש את אחיו. Vertimus ad vim vocum: *Quum vendideritis, tu vel tu, rem venalem proximo tuo, aut emerit aliquis e manu proximi tui, ne opprimite alter alterum.* Nempe verbum תמכרו plurali numero poſitum refertur ad affixum ſingulare, quia partitionem notat, vel diſtributionem. Noſter cum Samaritano ſuo legit תמכר numero unitatis, tametſi Moſes hoc et praecedenti verſu verbis pluralibus תשובו et תונו utatur, ab Samaritano in dubium non vocatis: ut facile appareat affixum ſingulare ſic haberi, tanquam ſi ſcriptum fuiſſet תמכרו איש.

Dein-

p) Vid. Kennicott opere laudato.

Digitized by Google

te, duabus vicibus למו, *eis*, quod, ipſo Hubigantio fatente, etiam agnoſcunt codices Samaritici, et ſive ſingulare eſt, ſive plurale, tertiam perſonam indicat. Pronomen illud eodem refertur quo verbum ישא, *tollat*, nempe ad Iſraelitas, vel populum Iſraeliticum, cujus mentio fit ℣. 1. et qui hoc verſu tertio implicite עם, *populus* adpellatur, ut patet haud obſcure ex praecedenti vocabulo עמים, *populi*. Simile exemplum extat Deut. XXI: 10. Suſpicatur quidem in notis ad h. l., lectum eſſe a Syro, Chaldaeo, LXX. et Vulgato לנו *nobis*, ſed fallitur. Syrus enim pro אש דת למו reponit ܠܗܘܢ ܠܟܘܢ ܒܗܘܢ, quod in noſtris editionibus vulgo ad verſum tertium referri ſolet, Graeci autem tertiam perſonam ſingularis adoptarunt et reddiderunt μετ' ἀυτῦ, et ſic quoque Vulgatus: omnes, ut partim verba, partim ſenſum exprimere eos voluiſſe appareat. Speciatim in verſione Sam. duabus vicibus legitur לנב pro לנהב, *eis*: ut nemo dubitare poſſit, quin lectio למו ſit genuina.

Praeclarum vero acumen quo vidit et nos docuit qua terebra librarii, ex קדשיך, ut putat, fecerint קדשיו. Judaeorum ſcribae antiqui verba dimidiata vel inchoata omnino in fine lineae relinquebant, contra quam faciunt recentiores, nec literas et literarum ductus in arctum cogebant, uti norunt qui harum rerum aliquem uſum habent.

Caeterum, quod ad enallagen adtinet quam nemo hic agnoſcit grammaticus: qui textum Moſis vel lippis oculis inſpiciunt, et in arte poetica Hebraeorum intelligenda paulo magis ſunt exercitati, iis obſcurum eſſe non poteſt, diverſitatem perſonarum et numeri ſingularis cum plurali ſubitam mutationem in hoc et aliis Moſis poematibus ſubinde recurrentem, ſi non aliunde, ſaltem ex animoſo et abrupto illo, imo vehementi et vario dicendi genere ortam eſſe quo Moſes prae caeteris Hebraeorum poetis delectatur. Qua de re qui dubitant, eos convincet elegantiſſimus poeſeos Hebraicae aeſtimator et exemplorum promus condus Rob. Lowth *De ſacra poeſi*, praelectione XV Noſter cum tam inauſpicato in hunc aliosque locos incidit, et quibusdam verborum formis tantopere iraſcitur, novo et manifeſto exemplo probatum dedit, quam parum ad haec rite curanda nati ſint nonnulli diobolares grammatici et literarum aucupes inſiceti, qui ex Heliconis jugo, non ſenſum pulchritudinis et ſublimitatis, ſed glaciem et aeternas nives adferunt. (*r*)

(*r*) Recte Celeber. Michaëlis alicubi de Noſtro his verbis uſus eſt: Zu erklärung der gedichte bringet er von dem Helicon gar nichts mit / als einiges eis. vid. Critiſches Collegium in Pſalm XVI. XL. & CX. — Praefat.

L CLAS.

CLASSIS II. DE BARBARISMIS.

Barbariſmi naſcuntur ex litteris inprudenter mutatis, omiſſis, additis.

BARBARISMI EX LITTERIS MUTATIS. Geneſis cap. 11. v. 30. *legitur* ואין לה ולד, & non erat illi filius. *Vocabulum* ולד *eſt Arabicum, quod tamen Buxtorfius pater in ſuis Concordantiis, tum hic loci, tum* 2. Sam cap. 6. v. 23. *recenſuit, tanquam eſſet Hebraicum; prudentius facturus, ſi utroque eo exemplo ſuperſediſſet. Nam & hoc* Geneſis *loco Samaritani ſcribunt* ילד, *&* 2. Sam. cap. 6. v. 23. *habetur ſimiliter* ילד *in bonae notae Codicibus. Monet quidem* Maſora, *eodem Samuelis loco, legendum eſſe* ילד; *ſed cum ad illius ipſius loci marginem in quibuſdam Codicibus notetur, legi apud Orientales* ולד, *apud Occidentales* ילד, *ſatis monebatur ea ipſa re Buxtorfius, eſſe* ולד, *Arabiſmum ab Scribis Orientalibus invectum; non igitur* Maſorae *fuiſſe obtemperandum: quod quidem ſapienter* Aben-Ezra *judicavit, qui vocabulum* ולד *memorat, non ut legendum, ſed ut Codicibus in quibuſdam ſcriptum.*

Mirum, hac literarum luce, qua nemo dubitat, quin dialectus Hebraeorum cum caeteris orientalibus eadem ſtirpe coorta ſit, multaque adeo communia habeat, ad barbarismos referri ſcriptiones quibus Hebraei cum Arabibus et Chaldæis conveniunt. Eſto ולד ſit Arabicum: quis vero ea propter negaverit, id eſſe quoque Hebraicum? cum apud Hebraeos aeque dentur verba inchoata a Vau, ac apud Arabes; et in hoc ipſo verbo ejusque derivatis, iſtud Vau non ſimplici vice recurrat, lectionemque ולד II Sam. l. l. confirment ad minimum XL. codices Kenicottiani. Quis denique hinc collegerit hunc Arabismum eſſe a Scribis orientalibus profectum? cum Moſes plura vocabula Arabica frequentet, et hanc lectionem præ ſe ferant libri in Hiſpania, Germania, Gallia aliisque regionibus, minime vero in Oriente exarati.

Sed, quod ſpeciatim ad Scribas orientales adtinet: Quando Judaei de *Scribis orientalibus* et *occidentalibus* loquuntur, non hoc volunt, quod Hubigantius praeſumit, nec ea ſenſus amplitudine haec vocabula accipiunt, qua noſmet vulgo ea accipimus, ſed anguſtiore. Per illos enim intelligunt Judaeos in Babylonia habitantes, per hos vero Palaeſtinos; (*s*) non multum diſpari diſtinctione, qua Chriſtiani orientales, eos qui ultra Meſopotamian degebant, *orientales*, qui vero citra Chaldæam, *occidentales* dixere. (*t*) Quis vero credat hos orientales magis Arabismum voluiſſe introducere, quam hos occi-

(*s*) Vid. Buxtorf *Tiber.* in *Clav. Maſorae* Cap. IX.

(*t*) Confer ſis Steph. Evod. Aſſemanii Præfat. ad *Acta Martyrum orient. et occident.* pag. XLII.

Digitized by Google

occidentales? cum utriſque ex aequo commercia cum Arabibus interceſſerint.

Undecunque igitur factum ſit, ut in quibuſdam exemplaribus Judaicis aeque legatur ילר, atque in codice Samaritano, certum eſt, eam lectionem nec magis puram et defaecatam eſſe, quam eſt lectio ולר, nec majori accurationi librariorum deputandam.

Num. cap. 24. v. 6. *Tabernacula Jacob dicuntur à Balaamo eſſe* ſicut valles נטיו. *Sententia eſt*, ſicut valles plantatæ, *ex ſcripturâ* נטעי. *quæ eſt Samaritanorum, vel* נטעים, *in ſtatu abſoluto. Et* נטיו, extenduntur, *ſine addito, cùm ſententiâ ferè nullâ ſit, liquet radicem non eſſe* נטה, *ſed* נטיו. *ex* נטעו, *per mendum deviaſſe. Vide Notam Criticam. Simile eſt* שיו, *quod habetur* Deut. cap. 22. v. 1. *ubi rectè Samaritani* שהו, ovis illius. *Itaque etiam* Maſora *monet non alibi legi* שיו, *quo admonitu innuit inſolitam eſſe τῶ* ה *in τὸ* י *mutationem & tantùm non declarat* שיו *eſſe barbariſmum.*

Ut appareat quam inauſpicato conſilio, et invito Apolline Criticus noſter hic et in notis ad h. l. Samaritanos ſecutus ſit, pro נטיו, *extenſi ſunt*, legentes נטעי vel נטעו, *plantatae*, et pro נטע, *plantavit*, נטה, *extendit*; deinde vero vocabulum נחלים, *torrentes*, *rivos* vel *canales* denotans, acceperit de *vallibus*, juvat tibi, Lector, inſignem hunc locum, et propter jucundiſſimam quae in eo regnat imaginem, nec non ſingularem verborum ſelectum et luſum maximopere notabilem, totum hic repraeſentare, et eo ordine deſcribere quo *ςίχοι* ſe excipiunt, et ſibi invicem reſpondent.

Poſtquam dixerat Bileamus ♰. 5. *Quam jucunda ſunt* אהליך, *tentoria tua, Jacob! habitacula tua, Iſraël!* ſubjungit ♰. 6.

כנחלים נטו, כגנות עלי נהר
כאהלים נטע יהוה, כארזים עלי מים:

Sicut חלים *extenſa ſunt, ſicut horti ad fluvium.*
Sicut אהלים (quos) *plantavit Deus, ſicut cedri quas* (plantavit) *ad aquam*, ſequiturque ♰. 7.

יזל מים מדליו, וזרע (ט) כמים רבים

Profluet aqua ex ſitula ejus, et ſemen ejus ſicut aquae multae.

Samaritani, cum veram ſententiam hujus loci, et ſingulare artificium poeticum quo cum conceptus eſt, non intelligerent, nec ipſam imaginem quae hic expin-

(ט) Sic puto eſſe legendum pro כמים, ob uſum particulae כ in antecedentibus, et ſententiae perſpicuitatem.

pingitur, recte cognitam haberent et perſpectam, pro forma paulo inſolentiore נטין, ſubſtituerunt נטעי, vel ut ſuſpicatur Noſter, נטעו (w), atque adeo ſequens in ſecundo hemiſticho verbum נטע ad prius retulerunt. Deinde cum vocabulum אהלים apud Moſen, et verſu quidem antecedenti, non niſi de *tentoriis* adhiberi obſervarent, imo frequenter conſtrui viderent cum נטה, *tendere*, in poſteriore hemiſtichio pro אהלים נטע ſubſtituerunt כהלים נטה. Hubigantius vero illud כנחלים נטעי vertit, *ſicut valles plantatae*, ſecutus quaſi auctoritatem Graecorum, qui tamen, longe alio conſilio, ſubſtituerunt νάπαι σκιάζουσαι.

Sed multa ſunt quae obſtant, quo minus has lectiones Samaritanorum in textum recipiamus, et verſionem Critici noſtri amplectamur.

Principio enim patet ex verſu antecedenti, quod ſubjectum orationis אהליך, *tentoria tua*, ante כנחלים ſit ſubaudiendum, ut verba iſta כנחלים נטין, aequipolleant iſtis, אהליך כנחלים נטין, *tentoria tua ſicut* נחלים *extenſa ſunt*. Non igitur, quando נטין vertitur *extenſa ſunt* vel, ſi mavelis cum Noſtro, *extenduntur*, deſideratur ſubiectum orationis; ſed quidem cum ſubſtituitur *valles plantatae*, nec additur quibus rebus plantatae.

Secundo, נחלים, uti alias fere ſemper apud Moſen, hic non ſunt *valles*, *ſed* vel *torrentes*, vel *rivi*, vel *canales*; quia hoc vocabulum permutatur cum נהר et מים, *flumen* et *aquam* denotantibus: atque in pictura quae hic exhibetur, qua caſtra Iſraelitarum cum arboribus ad rivos aquarum plantatis comparantur, aqua praecipuos ductus efficit.

Tertio, verbum נטה *tendere*, *extendere*, ſive ad אהלים *tentoria*, ſive ad נחלים *torrentes* referatur, huic loco eſt admodum appoſitum, nec Moſi inſuetum; occurrit enim priore modo apud eum ſaepius, poſteriore Num. XXI. 15. in fragmento quodam *libri bellorum Domini*. Dici ergo non poteſt נטין ex נטעי vel נטעו *per mendum deviaſſe.*

Quarto, pro כאהלים נטע in initio membri vel hemiſtichii poſterioris non legi poteſt כאהלים נטה, et verti, *ſicut tentoria quae tetendit Deus*; quia vocabulum אהלים alternat cum ארזים *cedros* vel *pinus* denotante, et per hoc vocabulum clarius exponitur, atque adeo aliquid analogum his arboribus, non *tentoria* ſignificare debet. (x) Haec cum ita ſint, apparet lectionem

(w) Non immerito: vide notas ad h. l. Erat enim נטעו, ob uſum literae ע pro vocali a penes Samaritanos, ad formam נטעו imitandam per quam appoſitum.

(x) Quam arborum ſpeciem deſignet אהלים, et אהלות, ut legitur alibi, num *Xylaloën*, vel *Agallochum*, ut O. Celſius, ſimilitudine nominis et praejudicio Interpretum veterum huc inductus, deſinire quidem non auſim: quod tamen ad reſiniferas referri debeat, patet, quia jungitur τῷ ארזים, quod ſive *pinus* deſignet, ſive *cedros*, arbores ex hoc genere notat; quia inter ſpecies aromaticas recenſetur Prov. VII. 17. Cant. IV. 14. Pſalm. XLV. 9. Ut autem, aeque ac tentoria hae arbores אהלים dicerentur, facere potuit ſimilitudo formae; videntur enim, ut pinus et cedri, ab imo fuiſſe latiores i. e. habuiſſe ramos latius porrectos, ſuperius autem in arctum coiviſſe et acuminatae fuiſſe, ut tentoria. Ex quo apparet quam venuſte et eleganter quantoque cum delectu Bileamus hoc vocabulo uſus ſit.

Digitized by Google

nem quam fundunt hic loci codices Judaici non eſſe repudiandam. Cauſatur quidem Hubigantius in notis ad h. l. quod נחלים non poſſint eſſe *torrentes*; quia *torrentes qui praecipitant, nec uſpiam conſiſtunt, nihil ſimile habeant cum tentoriis ſolo fixis et immotis*, atque ea propter in J. Clericum invehitur, *torrentes accipientem, ceu alveos torrentium longe exporrectos, ut Balaam ſimiles eſſe dicat longos ordines tentoriorum longitudini torrentium*, vel *comparet torrentibus vias caſtrorum inter tentoria porrectas*. Sed quis ignorat vocabulum נחלים generale eſſe, et de quibusvis fluentis uſurpari? Quis neſcit apud Moſen vocabulum iſtud de Nilo et Arnone adhiberi Num. XXXIV. 5. Deut. II. 36? imo *rivum* et *canalem* deſignare, quoties jungitur cum נהר? quo modo Jeſ. XI. 15. brachia Nili hoc nomine veniunt, et ab ipſo נהר, *fluvio* diſtinguuntur. Itaque recte quidem Clericus vocabulum נחלים non de *vallibus* explicuit: majori tamen jure ſubſtituiſſet aut *flumina* aut *rivos*, vel *canales*, ſi occaſionem qua hoc carmen a Bileamo recitatum eſt, et quid huic pulcerrimae comparationi, qua tentoria Iſraelitarum et caſtra cum arboribus hortisque ad flumina et rivos ſitis conferuntur, anſam dederit, paulo melius et rectius habuiſſet perſpectum. Nempe, niſi me fallunt omnia, Bileamus cum Iſraelitas in campis Moabiticis cis vadum Jerichuntinum ad ripam Jordanis, atque adeo ſecus flumen caſtra metantes, Num. XXII. 1. e vertice montis conſpiceret, miratus elegantiſſimum ordinem tentoriorum, quo ſingulae tribus et familiae, velut areae in hortis, diſtinguebantur Num. XXIV. 2. ſibi in memoriam revocavit hortos ad Euphratem, vel prope Damaſcum ad ripas et canales fluviorum Parphar et Amanac ſitos, ac pinis aliisque arboribus reſiniferis conſitos, eosque cum caſtris Iſraelitarum juxta Jordanem ſtructis et ſe longe lateque extendentibus comparavit; idque eo magis, quia viae caſtrorum, quibus tentoria ſingularum tribuum dividebantur, inſtar habebant canalium quibus paradyſi, ob quos in Oriente adeo celebris eſt Damaſcus, jam olim diſtinguebantur. (y)

Dilutum eſt, nec ſeria refutatione dignum, quod monet de שהו in שיו mutato. Quamquam enim nomina in ה finita ament affixa ſyllabica recipere, ſolent tamen etiam aſyllaba ſibi aptare: eſtque hoc, in monoſyllabis contractis quorum media eſt Jod, ut פֶּה, *os*, pro פֶּיֶה, per quam vulgatum, ut eam literam ante pronomen retineant. Itaque ex שה pro שיה aeque commode et regulariter oritur שיו, ac שהו; et quando Maſora monet non alibi legi שיו, formam quidem notat inſolentiorem, pro more, non autem declarat שיו eſſe barbariſmum.

Gen. cap. 27. v. 29. *Iſaac Jacob benedicens ſic ait*, eſto Dominus fratrum tuorum, הוה, eſto; *cùm tamen Hodierni ipſi Grammatici habeant* הוה, *non* הוה, *ut Imperandi Modum. Verum in Samaritano Pentateucho ſemper legitur* הוי, eſto,

(y) Orientales agrum Damaſcenum ob hanc hortorum amoenitatem inter quatuor paradyſos referunt. Vid. d'Herbelot, *Biblioth. Orient.* voc. *Gautia*, vel *Goutha*, غوطة.

Digitized by Google

eſto; *quæ forma etiam apud Iſaiam Hodiernis in Codicibus ſemel adhibetur. Et apud eundem Pentateuchum omnia verba* לה, *ubi imperant, ſimiliter deſinunt in* לי, *ut* גלוי, revela, *ex* גלה, revelare; *quæ forma tametſi novis indicta Grammaticis, tamen videtur eſſe legitima, eademque Chaldaicæ formæ ſimilis, atque inde eſt, quòd Modum Imperativum Chaldæi vocant* צוי, *ex* צוה, imperare.

Quia Hebraei et היה dixerunt, et הוה pro *eſſe*, more Arabum et Aramaeorum, ut patet ex hujus verbi derivatis, palam eſt eos in imperativo et היה ſcribere potuiſſe, et הוה; atque adeo cum הוה ſcribunt, non admiſiſſe barbariſmum: imo potius hanc dicam Samaritanis ſcribendam eſſe, cum ſubſtituunt הוי, quae forma mere Chaldaica eſt, et niſi in uno loco Jeſaiae XVI. 4. nec in multis exemplaribus, occurrit. Riſum vero meretur, non ſeriam refutationem, quod ait modum imperativum Chaldaeos vocare צוי, quo modo ex גלה Samaritae ſonant גלוי *revela.* Volebat dicere Judaeorum grammaticos modum illum vocare צִוּוּי.

BARBARISMI EX LITTERIS OMISSIS. Reperiuntur Hodierno in Codice ſatis multa nomina, ſine litterâ penultima, maſculinâ pluralia, ut צדיקם, *pro* צדיקים, juſti; נשִׂאִם, *pro* נשיאים, principes; תומם, *pro* תומים, gemelli; *etiam plurima, ſine literâ* ו, *pluralia feminina, ut* מאורת, *pro* מאורות, luminaria; בהמת, *pro* בהמות, animalia; *non aliam quidem ob cauſam, quàm quòd Judæi cùm in pronuntiandis* אהוי *litteris hæſitarent*, Puncta *ſua* vocalia *earum in locum ſupplevêre. Sed Samaritani Litteras eas* אהוי, *quæ ad ſententiam pertinent, non omittunt, iidemque ſemper ſcribunt in ſuis Codicibus*, צדיקים, נשיאים, מאורות, בהמות, *&c.*

De ſcriptionibus defectivis quas Hubigantius, novo exemplo, ad barbariſmos refert, diximus ad Cap. I. art. 1. Nunc id unum monere liceat, hos barbariſmos ipſa varietate lectionis codicum paſſim confutari, indeque ſatis manifeſtum eſſe, *eam labem*, ut ſupra eam vocat, (z) non a Judaeis Maſorethis, multo minus eo conſilio eſſe invectam, ut locum facerent punctis vocalibus, ſed potius inde ortam eſſe, quod mos fuerit Hebraeis, terminationes pluralium in ים et ות modo defective, modo plene ſcribere, quippe ex ipſo contextu facile diſtinguendas. Saltem Maſorethis id criminis imputari non poſſe patet ex eo, quod Maſorethae has ſcriptiones defectivas paſſim notent, et plenas in margine iis ſubſtituant; id quod ab iis expectari non poterat, ſi tamen ipſi literas Jod et Vau, deſtinato conſilio, et ut locum facerent punctis vocalibus, eliminasſent. Quis autem credat Judaeos cum has ſcriptiones defectivas adhibebant, in pronunciandis literis אהוי haeſitaſſe; atque adeo cum צדיקם et מאורת ſcriberetur, dubios haeſiſſe an hae formae ſint plurales? Niſi forte hoc velit, eos

(z) Vid. pag. 6.

eos uſum harum literarum, tanquam vocalium, id eſt, qualem eum declaravit Maſclefius, auctor *Grammaticae a punctis liberae* cognitum non habuiſſe, quod ipſi facile largimur. (*a*)

Aliæ verò multæ ſunt per imprudentiam Scribarum, non ſine barbarie, omiſſæ litteræ. Sic Gen. cap. 42. v. 11. *legitur* נחנו, nos, *non* אנחנו, *ut alibi paſſim. Tres ſunt tantùm hodierno in Codice loci, in quibus legatur* נחנו, *quorum duo ſunt* Pentateuchi, *in quo utroque Samaritanus Codex habet* אנחנו. *Eos tres locos notat* Edm. Caſtellus *in ſuo Heptaglotto; & defectum τῶ* א *vocat* Aphæreſin. *Quippe Grammaticis non diffidebat, qui, quot litteras Scribæ omiſerunt, tot ſanxerunt* Aphæreſes. *Monet idem* Caſtellus *Jerem.* cap. 42. 6. legi אנו, *quem barbariſmum reſtabat ut Grammatici nominarent* Aphæreſin. *Sed eos, opinor, deterruit Nota vetus ad* Jeremiæ *adſcripta marginem, in qua monemur legendum eſſe* אנחנו. *Quòd ſi ab marginibus ea Nota abfuiſſet, nullus dubita, Erudite Lector, quin Barbariſmus* אנו *nomine decoro* Aphæreſis, *fuiſſet nobilitatus. Sed id* נחנו, *de quo mox, ortum fuit ex Scribis Orientalibus: Quippe Chaldæi & Arabes ſcribunt* נחנו, nos.

Cum litera א in אנחנו vocalem non habens in hoc pronomine adeo exiliter pronunciata ſit, ut eapropter in dialectis Aramaea et Arabica penitus exciderit, mirum non eſt apud Hebræos in quotidiano ſermone ſaepius נחנו ſonatum eſſe pro אנחנו, indeque factum eſſe, ut Hebraei et נחנו et אנחנו ſcripſerint, נחנו vero, quando id pronomen cum ſequenti vocabulo arctius conjungitur. Cumque ſeriore aevo, et tempore quidem Jeremiae, apud vulgus hominum etiam חנו ſonaretur, et literae gutturales paſſim confunderentur, (*b*) nil facilius fuit, quam ut prò חנו ſubſtitueretur אנו, idque adeo ſcribentibus aliquando excideret. Fortaſſis etiam אנו illa ipſa forma obſoleta eſt, ex qua אנחנו eſt procuſum, velut אנכי ex אני. (*c*) Quidquid ſit, neceſſe non eſt hanc lectionem a Scribis orientalibus repetere. Maſorethae, quando poſtremam lectionem tanquam inſolentiorem notant, morem ſuum ſequuntur, ac in hoc uno culpandi erant, quod אנחנו in ejus locum ſubſtituerint, nec animadverterint אנו aeque ſcribi potuiſſe, ac נחנו, et אנחנו.

Geneſis cap. 20. v. 5. *legitur* נקין, pro נקיון, munditia, & cap. 31. v. 39. אחטנה, pro אחטאנה, expiabam eas. *Quos barbariſmos, alioſque multos* Maſora *vocat* defectus, *etſi eos* defectus *meliores Codices non præ ſe ferunt. Sed per-*

(*a*) Conf. ſupra pag. 7.
(*b*) Ut videre eſt in particulis על et אל quæ apud neminem frequentius, quam apud Jeremiam permutantur.
(*c*) Conf. Schult. *Gram. Hebr.* §. 93. et Venema ad Jerem. l. l.

perpaucorum, ut dixi, Codicum lectores fuerunt Maſoretæ, *& quanquam* Maſora *vult* נקין *eſſe* defectivum, *ego id tamen duobus in Codicibus reperi* plenum. *Imò non conſentit ſecum eo in verbo* Maſora. *Nam poſtquàm* Gen. cap. 20. v. 5. *ſic monuit* ל׳ וחס; *id eſt*, non ampliùs reperitur, & eſt defectivum, *eadem monet in* Oſee cap. 8. v. 5. *non alibi eſſe* defectivum.

Quia Maſorethae non omnibus vocibus quae defective ſcribuntur tales notas adjecerunt, ſed iis quae ex communi ſcribarum conſuetudine ſolebant ſcribi plene, rarius defective, (*d*) ac plerique codices quorum ſat magnum numerum recenſet Kennicottus, vocabulum נקיון plene ſcriptum exhibent, non video quare dici poſſit eos paucorum codicum fuiſſe poſſeſſores ideoque eos voluiſſe נקיון eſſe *defectivum.*

In אתננה *expiabam* vel *luebam eam*, non *eas*, inſertio literae נ epentheticae, et quidem (ut in ſequenti תבקשנה,) duplicandae, abjectionem literae א facile perſuaſit. Cum tamen id eſſet ſingulare, Maſorethae bonum factum autumarunt hanc lectionem notare. Agnoſcunt eam cum Judaeis Samaritani, manifeſto indicio, eam a Maſorethis demum introductam non eſſe.

Exod. cap. 22. v. 8. *legimus*, אשר ירשיען אלהים, quem Deus reum fecerit. *Barbarè* ירשיען; *ritè Samaritani* ירשיענו, quem Deus damnaverit eum, *affixo, ut mos eſt, poſt relativum addito. Et credo equidem bujus barbariſmi occaſionem fuiſſe oblatam ex ſimilitudine litterarum* ו *&* נ, *antequàm uſu venirent Litteræ finales. Nam cùm deſcriptor aliquis verbi* ירשענו *litteram* ו, *ſimilitudine litterarum* ו *&* נ *conturbatus, omiſiſſet, reſtaretque* ירשיענ, *facillimum fuit, ut Litteris finalibus inventis, alii deinde ſcripſerint* ירשיען, *ne littera* נ, *non finalis, verbum finiret.*

Qui locum hunc vel obiter inſpexerint, eis obſcurum eſſe non poterit agi in eo non de Deo, ſed de magiſtratibus, ſenſumque eſſe: *is quem condemnabunt magiſtratus rependet duplum proximo.* Itaque nil ineptius eſt hac Samaritanorum et Critici noſtri emendatione, et legendum ירשיען vel ירשיעון *condemnabunt*, ut in pleriſque codicibus legitur, non ירשיענו *damnaverit eum.*

Exod. cap. 18. v. 40. (docebitis) אתהם, illos. *quæ ſcribendi barbaries uno eo exemplo venit, & ſine exemplo eſt apud* Sam. Pentateuchum.

Exodi capite laudato, quod XXII. ſolum inciſis conſtat, nil hujus rei invenio. Oportet igitur, ut aut error typographo ſubrepſerit, aut falſus memoria fuerit Criticus noſter, et alius menti ejus locus obverſatus fuerit nempe Deut. XI. 19. Sed ibi vulgo ולמדתם אותם legitur, non אתהם: et ſi vel maxime אתהם legeretur, nil admiſſum eſſet vitii; ſcribitur enim et alibi אתהם, velut Gen. XXXII: 2.

Num.

(*d*) Vid. Buxtorf. *Tiber. p.* 125

Num. cap. 9. v. 15. *legitur* הקים, (in die quo) erexit (Tabernaculum) *cum tamen in oratione nemo ſit, qui* erigat, *et ſeries vult*, in die quo erectum eſt... הוקם. *Itaque, ut fuit* ו *perperàm ſublatum, ita* י *fuit perperàm intromiſſum; cujus vitii probabilem cauſam mox aſſeret* Morinus.

Reſpondeo, הָקִים, ut legitur in noſtris editionibus, non eſſe praeteritum, ſed infinitivum formae Hiphil: et verbis ביום הקים את המשכן *in die erectionis tabernaculi*, id ipſum deſignari quod Noſter quaerit, nempe *cum erigeretur*, vel *in die, quo erectum eſt*; adeoque nil opus eſſe, ut הקים in הוקם permutetur. Sic ſane Jerem. XLI. 4. ביום להמית את גדליהו, *in die interfectionis Gedaljae*, nil aliud ſibi vult, quam *die quo interfectus eſt*.

Exod. cap. 25. v. 31. *de Candelabro aureo dicitur*, תיעשה, *vel* fiet, *vel* facies, *vel quidquid allubebit. Nam* תיעשה *nullius formae eſt, nulliusque interpretationis. Quem barbariſmum ſi quis tuebitur, nae ille dignus erit, qui Magiſtro* Salomoni Jarrhi *credat, ſic narranti; barbariem talem deditâ operâ Moſen adhibuiſſe, eò ut rem ſtupendam notaret. Quam illam autem? Cum Moyſes vehementer aeſtuaret, apud ſe cogitans, quonam tandem pacto Candelabri difficile opus conficeret, ſponte ſuâ confectum illicò apparuiſſe Candelabrum, atque hoc illud eſſe, cur in verbo* תיעשה *vox Paſſiva cum Activâ copuletur? Fatetur* Aben-Ezra *geſtare* תעשה, *ſine* י, *Codices veteres Gallorum et Hiſpanorum, etſi* Codicibus in quibusdam, *inquit*, legitur, quos Sapientes Tiberiadis examinârunt; *idemque addit, ſi cum* י *legitur, eſſe verbum peregrinum. Ea verò peregrinitas non alios habuiſſe autores videtur, quàm Judaeos quosdam Magiſtros, qui crederent verbum* תעשה, *eſſe Paſſivâ voce enuntiandum, atque ut id fieret, litteram* י *addiderint. Nam docet* Morinus *litteram* י, *antequàm* Puncta vocalia *eſſent, uſurpâſſe Judaeos, ut vocem Paſſivam indicarent.*

Cum infinita ſint exemplaria quae legunt תעשה, ſine Jod, neſcio quid Critico noſtro in mentem venerit, ut lectionem תיעשה, a paucis admiſſam, tantopere exagitaret; niſi forte id fecerit eo conſilio, ut Morino ſciſcitanti, *literam Jod, antequam* puncta vocalia *eſſent, uſurpaſſe Judaeos, ut vocem paſſivam indicarent*, pollicem premeret. Quia tamen Onkeloſus ſubſtituit תתעביד, ſequiturque מנורה, foemininum, et in fine verſus legitur יהיו, patet jam olim non תַּעֲשֶׂה *facies*, ut alibi in hoc contextu, ſed תֵּעָשֶׂה, *fiat*, lectum eſſe, eamque formam paſſivam, ut ab activa diſtingueretur, a quibusdam deſcriptoribus plenius exaratam eſſe per Jod, ut תיעשה; atque adeo eam lectionem in rationes Magiſtrorum transſcribendam non eſſe. Communiſſima ſcriptio fert תעשה; in quo verbo legendo cum

mul-

multum interſit, utrum adhibeantur haec puncta תַעֲשֶׂה, an vero iſta, תַעֲשֵׂה; optandum fuiſſet, ut Cl. Kennicottus hanc differentiam ſcriptionis adnotaſſet.

Gen. cap. I. v. 24. exire faciat terra חיתו. beſtias, *etſi omninò abhorret ab Hebraicâ Linguâ illa in ו concluſio, quae orta eſt ex Scribis Chaldaeis aut Arabibus. tùm hic, tum duobus, vel tribus aliis locis. Itaque habent Samaritani vel* חית, *vel* חיות. *ibi, ubi barbariſmum* חיתו *Hodierno in Codice offendimus. Idem exiſtimandum de verbo* גנבתי, *quod legitur* Gen. cap. 31. v. 39. *cujusque vera ſcriptio eſt* גנובת, Hophal, *quae apud Samaritanos habetur, ut ſit* furto ablatum. *Nam quòd docet*, Salomone Jarrhi *praeeunte*, *Buxtorfius*, τὸ י *eſſe* Paragogicum. *id nullo alio in exemplo firmamentum habet*; et Paragogen *talem facilis error invexit Litterae* י *perperàm duplicatae. cùm legeretur anteà* גנובת יום. *quod deinde Librarius fecerit eſſe* גנבתי יום, *nec non poſteà*, גנבתי לילה.

Quidquid ſit de his lectionibus, quae non ſunt ejusdem generis, aut naturae: Si ſcribae Chaldaei aut Arabes eorum auctores fuerunt, mirum videri debet, quare non in ſolis codicibus inveniantur in Oriente exaratis, ſed ab omnibus ex aequo agnoſcantur. Oportet igitur, ut huic ſcribendi modo alia ſubſit ratio. Nempe nonnulla exempla, in quibus Vau admiſſum eſt, vel id habent tanquam pronomen pleonaſticum, vel quia vulgus hominum in quibusdam vocabulis in ſtatu conſtructo venientibus, articulum ה, facilioris pronunciationis ergo, mutavit in ו, praeſertim poſt literam ת, vel denique, quia deſcriptores antiqui, minus periti, ex ה negligentius picto vau fecerunt. Tali aliquo modo ex חית היער. חית השדי, Pſalm. CIV. 11. 20. factum videtur, חיתו שדי et חיתו יער. In חיתו ארץ Gen. I. 24. nec pleonasmum pronominis, nec uſum vulgi, nec vitium librarii poſſum agnoſcere; legitur enim ℣. 25. nec non 30. חית הארץ, ſoletque ארץ vulgo non maſculini, ſed foeminini generis eſſe. Quare, licet eam lectionem, quae recurrit Pſal. LXXIX. 2. tanquam, vindice dignam in medio relinquo, tamen certiſſime perſuaſum habeo, eam a Scribis Chaldaeis, aut Arabibus profectam non eſſe. In aliis, velut מעינו מים Pſalm. CXIV. 8, litera ו ex י paulo longius diducto originem traxiſſe videtur.

Quod attinet ad vocabulum גנבתי Gen. XXXI. 39. id non ſignificat ſimpliciter *furto ablatum*, nec pertinet ad formam Hophal, ut Noſter ἀκυρολόγως et parum Grammatice ſtatuit, ſed eſt participium in Kal, junctum pronomini adfixo primae perſonae, ſignificatque *furto ablatum mihi*, velut Gen. XLIX. 11. אסרי *ligans mihi*, et Jerem. XLIX, 16. nec non Obad. 3. שכני *habitans mihi*; ſolent enim Hebraei pronomina ſaepe per ellipſin particulae ל verbis adjungere, cujus rei exempla dabunt Grammatici: eſtque de hac origine hujus ſcriptionis eo minus dubitandum, quia גנבתי non ſolum ante יום, atque adeo non ob Jod ſequens duplicatum, ſed etiam ante לילה ſic ſcribitur.

CLAS-

Digitized by Google

CLASSIS III. DE FALSIS SCRIBENDI FORMIS.

Reſtant animadvertendae falſae ſcribendi formae, quae quidem eâ re à barbariſmis diſcrepant quòd in barbariſmis verba ſingula, litteris malè poſitis, deturpantur, in falſis verò ſcribendi formis, ſeries orationis ipſa deformatur, quod quidem exemplis planum fiet.

Primum genus eſto eorum locorum in quibus conjunctio ו, *quae orationem continuaret, fuit perperàm ſublata. Eſt enim* ו *apud Hebraeos continuationis nodus perpetuus ac ferè unus. quorum mos, niſi orationem redintegrarent, nunquam fuit, fracta et amputata loqui. Cùm igitur* Gen. cap. I. v. 11 *ſic legatur*, producat terra herbam virentem, fructum pomiferum (עץ פרי) *nemo eſt Hebraicâ in Linguâ exercitatus quin libenter amplectatur id* ועץ, et lignum, *quod non ſine* ו *Samaritani ſcribunt. Ad cujus loci normam, multi alii ſupplendi veniunt, ab quibus* ו *cùm abſit, fit Sacri Scriptoris diſſoluta et fracta oratio. Caeterùm hoc* Geneſis *loco non omnes illud* ו *Codices omiſêre. Nam id non omiſit Arabs Erpenianus.*

Cum uſus particulae Vau adeo frequens ſit apud Hebraeos in oratione connectenda, mirum non eſt multam in ea paſſim obſervari lectionis varietatem. Singulare autem eſt et obſervatione dignum quod nulla litera ſit, in cujus uſu Samaritani ab Judaeis in Pentateucho ſuo magis diſcrepent, quam in hac. Samaritani hanc ſibi legem videntur dixiſſe, ut ubi modo fieri poſſet, eam literam abhiberent, quo hoc frequentius Judaeos ejus abolitae poſſent accuſare, adeo quidem, ut etiam ſolius ornatus cauſa eam adhiberent. Contra ea apparet Judaeos eam non citra neceſſitatem voluiſſe admittere: cujus rei teſtis eſt notiſſima obſervatio Maſorethica עיטור סופרים *ablatio ſcribarum* dicta, qua vocibus quibusdam, quibus vulgus hominum inter legendum praeficere ſolebat Vau, id detraxerunt.

De verbis Gen. I. 11. non immerito dubium videri poterat, num ante עץ פרי Vau eſſet collocandum, cum ſine ea particula ſententia eorum ſatis bene ſit conſtituta, et in ſequentibus iſtud Vau in caſu ſimili vel omittatur, vel admittatur: velut ℣. 24. 25. ubi primo בהמה ſimpliciter, deinde ואת הבהמה ſcribitur. Itaque alii quidem deſcriptores illam particulam omiſere, alii vero eam admiſerunt; praeeuntibus, ut videtur, Chaldaeis interpretibus.

Secundum genus eſto eorum locorum, in quibus eadem conjunctio ו *ſuperfluit. Nam, quanquam* ו *non rarò πλεονάζει, eſt tamen quatenùs liceat eſſe ſuperfluum. Sic* Deut. cap. 3. v. 16. *ubi, poſtquàm dictum eſt*, dedi filiis Ruben et Gad regionem quae eſt ab Galaad usque ad torrentem Arnon, *ita ſubditur,*

tur, וגבל ועד יבק הנחל, et terminum et usque ad torrentem Jaboc; *di-* *eſſe* ו *ante* עד, *ſupervacaneum. Nam etſi quidam id tuentur, cum dicant, illius* ו *frequentem eſſe apud Hebraeos* Pleonasmum, *tamen nego eum eſſe in loco* Pleonasmum. *Quippe, in limitibus deſcribendis, tum demùm* ו Pleonasmus *eſt, cùm tranſitur ab termino* à quo *ad terminum* ad quem. *Itaque hoc eodem verſu* 16. *incipiente, ubi ſic legitur*, ומן הגלעד ועד הנחל ארנן, et ab Galaad usque ad torrentem Arnon, *appoſitè venit inter utrumque terminum conjunctionis* ו Pleonasmus, *quoniam in* ועד *tranſitus notatur ab termino* Galaad *ad terminum* torrentis Arnon; *quod contrà eſt his in verbis*, et terminum et usque ad torrentem Jaboc, *in quibus terminus idem agitur, qui* terminus *eſt* ipſe torrens Jaboc. *Ergò* ו *ante* עד *eſſe conjunctionem falſè creditur, et veriùs Samaritani ſcribunt* וגבלו עד, et terminus ejus (eſt, *vel* pertinet) ad torrentem Jaboc.

Conjungit Criticus noſter verba וגבול ועד יבק הנחל quae cum Judaeis ſic erant diſtinguenda, ut גבול referatur non ad ועד, ſed ad vocabulum הנחל quod antecedit, hac ſententia: *Et dedi Rubenitis et Gaditis* מן הגלעד *a Gilead usque ad fluvium Arnon* תך הנחל וגבול *medium fluvii & termini*, vel *terminum*, id eſt, omne illud quod eſt inter fluvium et hunc terminum, vel, ut Sal. Jarchius, fluvium et aliquid amplius pro termino; ועד יבק הנחל גבול בני עמון *et usque ad Jaboc fluvium, terminum filiorum Ammon.* Quibus verbis poſtremis, cum alius terminus deſcribatur, intelligitur particulam Vau in ועד omitti non potuiſſe; idque eo minus, quia iſtud ועד aeque relationem habet ad praecedens מן, ac ועד antecedens, et particula ו in ſequentibus tam frequenter adhibetur, ut etiam abundare videatur. Argumento ſunt verba ♈. 17. והערבה והירדן וגבל מכנרת ועד ים הערבה. Accedit, quod iſtud Vau in ועד agnoscant omnes verſiones antiquae. Cetera Critici noſtri philoſophemata non moror. Unum illud praeterire non poſſum: videlicet de nihilo eſſe quod docet incunte ♈. 16. *appoſite venire inter utrumque terminum conjunctionis* ו *pleonasmum;* neque enim ומן legitur, ſed מן, ſimpliciter.

Tertium genus eſto eorum locorum, et quidem paucorum, in quibus nominationes quaedam ſunt, quae ipſis ex rebus cùm ducantur, tamen cum nomine ejus rei, ex quâ ducitur, parùm conveniunt. Nam, cùm filium ſuum nominat Lamech נח, **N**oe, *quod nomen* quietem *ſonat, expectatur ut deindè dicat*, quia iſte quietem dabit nobis, *non autem*, quia iſte conſolabitur nos. *Nam ſi de conſolatione per filium affuturâ Lamech filio ſuo nomen facit, nomen factum debuit eſſe* נחם, conſolatio, *non* נח quies. *Quòd ſi igitur filii Lamech verum nomen eſt* Noe, *ut certe eſt, quis dubitabit legere, non* ינחמנו, conſolabitur nos, *ſed*, יניחנו, quietem dabit nobis, *quomodò legunt* Graeci Intt. *ne originatio nominis* Noe *falſa eſſe deprehendatur? Similis exempli eſt nomen* Benjamin,

jamin, *ſive* filius dexterae. *Etenim* Benjamin, *Jacobi* dexterae filius *quonam pacto vel natus, vel conceptus, extiterit, nullibi Sacri docent Códices. Sed iidem Codices narrant, decem Benjamini fratres Joſepho dixiſſe, fratrem juniorem ſe habere patris ipſorum in ſenectute progenitum; quo ipſo declarant nomen* בנימים, filium dierum, *vel* ſenectutis, *nomen eſſe* Benjamin *germanum, quod etiam Samaritani retinuère. Et in promptu eſt falſam appellationem*, filium dexterae, *ex Chaldaiſmo* בנימין, *pro* בנימים; *facto, fuiſſe natam.*

Quanquam in reddenda nominum propriorum ratione primi mortales, et patriarchae gentis Hebraicae vulgo eum modum tenuiſſe videantur, ut eadem verba adhiberent e quibus iſta nomina ſunt derivata; tamen non deſunt exempla bene multa, in quibus non etymi, ſed boni ominis cauſa, et per meram alliterationem nonnulla verba uſurpata eſſe leguntur, quae cum iis, e quibus haec nomina propria derivata ſunt, nullam habent connexionem. Sic quando Gen. IV. 1. cum naſceretur קין, *Kain*, Eva dixiſſe legitur, קניתי איש את יהוה, *acquiſivi virum Deum*, vel ut Hubigantius, *poſſedi hominem per Deum*, non eſt etymologica hujus nominis derivatio, quod deſcendit non a קנה *acquirere, poſſidere*, ſed a כון, vel קין *cudere, fabricare.* Similiter cum Lea Gen. XXIX. 32. peperiſſet majorem natu filium ſuum, dicitur eum adpellaſſe ראובן, et dixiſſe: כי ראה יהוה בעניו, *nam videt Deus adflictionem meam*, licet vocabuli עני nec vola, nec veſtigium in illo nomine reperiatur. Sic quoque Moſes Exod. II. 22. filium ſuum גרשם vocaſſe traditur כי גר הייתי בארץ נכריה *quia peregrinus fui in terra extranea*, nulla ratione habita poſtremae ſyllabae vel partis hujus nominis. Imo ipſe Moſes ℣. 10. ejuſdem capitis משה dictus eſſe narratur, כי מן המים משיתיהו: *quia ex aqua extraxi eum*, cum tamen, hac ſtante hujus nominis etymologia, potius משוי, quam משה dicendus fuiſſet. Suntque complura id genus exempla in antiqua patriarcharum hiſtoria quae manifeſto probant quod ait Buxtorfius, diſputans contra Capellum (*e*), *in cauſis nominum propriorum in ſcriptura memoratis, ſæpe tantum alluſionem obtinere, non propriam etymologiae explicationem*, eumque luſum in verbis ab ingenio et moribus illius aevi non fuiſſe alienum.

Haec cum ita ſint, mirum videri non debet, ſi etiam Gen. V. 29. in reddenda nominis Noachi ratione, adhibeatur verbum נחם, literis et ſignificatione a נוח non multum diverſum, magis, quia in ינחמנו major obſervatur aptitudo ad illum rhytmum efficiendum, quem conſtituunt verba Lamechi, quam in ינחנו, quod cum ſequenti ממעשנו non adeo convenit. Eſt enim hic ipſe locus ex eorum genere carminum vel mavis cantionum, quae paſſim in Geneſi inveniuntur, nec ab editoribus et interpretibus ſatis ſunt obſervatae, quarumque artifex et conditor, ex parte, videtur ille ipſe Lamechus:

(*e*) *Anticrit.* pag. 627.

chus fuiſſe (*f*), a quo haec verba ſunt profecta. Ut hoc intelligatur, verba ejus eo modo et ordine diſponam quo ſe excipiunt, et ſibi invicem reſpondent:

זה ינחמנו
ממעשנו
ומעצבון ידינו
מן האדמה
אשר אררה
יהוה׃

Obſerva hic, quod in זה ינחמנו non ſolum ſint totidem ſyllabae ac in ממעשנו, ſed etiam ſub literis quinque poſtremis eadem puncta, eaedem vocales.

Hoc certiſſimum eſt, ſi Graeci interpretes verba priora hujus cantici reddunt ὗτος διαναπαύσει ἡμᾶς, inde non inferri poſſe, in eorum codice יניחנו lectum fuiſſe. Potuerunt enim illi, ut ſaepe alibi, propriam verbi נחם poteſtatem reſpexiſſe, quae, ut in Arab. نفس, ſita eſt in *reſpiratione*. Reſpiratio autem ſubjuncta laboribus et dolori manuum, naturaliter deſignat quietem.

Quod ad nomen *Benjamini*, בנימין adtinet, id quando ob eam cauſam in בנימים mutandum eſſe cenſet, quia non *filius dexterae*, ſed *dierum*, vel *ſenectutis* adpellatus ſit, operam ludit. Cum enim id nomen ab origine gentis et in hunc uſque diem a Judaeis conſtanter Benjamin pronunciatum ſit, in eamque ejus formam conſentiant omnes verſiones antiquae, ſequitur, quidquid ſit de origine hujus vocabuli, quod ex בן et ימים compoſitis derivandum eſſe facile concedimus, tamen id ſolicitandum non eſſe. Quis credat Judaeos tam negligentes nominis patriarchae ſui cuſtodes fuiſſe, ut illud ad Chaldaicae habitum linguae mutaverint? et ſi vel maxime id fecerint in vita communi et ſermone vulgari, id etiam voluiſſe in deſcribendo ſacro codice facere, idque in omnibus libris V. T. omnibusque exemplaribus (*g*)? Quis credat denique Samaritanos id nomen rectius conſervaſſe quam Judaeos? cum Judaei Benjaminitis a longiſſimo tempore juncti fuerint, unamque cum iis gentem conſtituerint, non item Samaritani.

Nil reſtat igitur, quam ut dicamus, nomen Benjamini ab antiquiſſima memoria haud aliter pronunciatum et ſcriptum eſſe, quam nunc ſcribitur in codi-

(*f*) Vid. Gen. IV. 23. 24.

(*g*) Aſſertum hoc Critici noſtri mihi in memoriam revocat immanem ſcepticiſmum cujusdam linguarum orientalium Profeſſoris Pontificii, qui aſſerere non dubitabat, Judaeos ſacrum codicem adeo corrupiſſe, ut utrum clariſſimum regis Davidis nomen דוד *David*, an *Deed* legendum ſit, nunc neſciamus cum ignariſſimis.

dicibus Judaicis, nempe בנימין: ad eamque formam huic nomini dandam Hebraeos, ipſumque Jacobum invitaſſe cum facilitatem et ſuavitatem pronunciationis, tum etiam uſum terminationis in ין, Hebraeis nec incognitae, nec peregrinae; Samaritanos vero ſolo corrigendi et Judaeos reprehendendi ſtudio hanc formam nominis immutaſſe.

Q*uartum genus eſto eorum locorum, in quibus orationis complexio vel manca, vel incondita eſſe reperitur. Exemplo eſt id quod legitur* Gen. cap. 27. v. 5. *Eſaü iviſſe in campum*, לצוד ציד להביא, ad venandum venationem, ad adducendum. *Nam cui exercitato Lectori placere poteſt, non jam dico id*, ad adducendum *cum gerundio priori*, ad venandum, *nullo nexu copulatum, ſed illud ipſum* Hiphil להביא, *nullo caſu ſubnixum? Legebant* לאביו, patri ſuo, Graeci Intt. *quâ in ſcripturâ nihil non planum, nihil inuſitatum. Simile eſt id, quod habetur* Gen. Cap. 24. v. 62. ויצחק בא מבוא באר, *quod Arias vertit*, veniebat à veniendo puteum; *barbarè, ut ſolet, non culpâ tamen ſuâ. Nam quod inuſitatè ſcriptum legatur, quomodò id tu planè ac humane convertas? Suſpicioſam fecerant eam ſcripturam Veteres, in quorum Verſionibus nihil planum hic, nihil unum reperias. Et cùm Samaritani, pro* מבוא באר, *ſcribant* במדבר, in deſerto, *cùmque* Graeci Intt. *ſic convertant, quis Lector non boni conſulat, cùm eos ita legiſſe et convertiſſe deprehendat, neque eam inhumanam ſcribendi formam*, veniebat à veniendo, *non longè averſetur?*

Iſaacus in duobus inciſis antecedentibus, videlicet ℣. 3. et 4. Eſavo tria haec in mandatis dederat, unum, ut feram venaretur, alterum, ut carnem venatione quaeſitam eo modo ſapidam et palato reſpondentem pararet, atque in deliciis habebat, tertium, ut ipſe eam adferret, eaque occaſione benedictionem acciperet: *Sume arma tua, pharetram et arcum, et egredere in agrum* וצודה לי ציר *et venare mihi venationem. Et para mihi cupedias, ſic ut in delicus habeo*, והביאה לי ואוכלה *et adfer mihi ut comedam, quo bene dicat tibi anima mea antequam moriar*. Haec cum ita ſint, apparet in להביא *ad adducendum*, ℣. 5. ſitam eſſe peculiarem vim ad conſilium et ſpem Eſavi (quam eludere volebat Rebecca) deſignandam per quam idoneam, atque adeo illud verbum, ſi natura linguae id patiatur, non eſſe repudiandum. Reſpicit enim ad mandatum Iſaaci tertium et praecipuum, deſignatque eam ipſam *adductionem*, in qua cardo totius rei vertebatur, i. e., quam benedictio promiſſa debebat excipere. Quod autem in hac loquendi formula, cum dicitur לצוד ציד להביא, nihil ſit a natura et ingenio linguae Hebraicae alienum, facile ſentiet qui norit, Hebraeos, cum finis et deſtinatio alicujus rei deſcribenda eſt, infinitivum cum nomine frequenter conjungere: quo modo שער לסגור eſt *porta claudenda* Joſ. II. 5. שעיר לעזאזל *hircus ad abituriendum deſtinatus* Levit. XVI. 10. Praeterea infinitivos in Hiphil paſſim ſic adhibere, ut nullum nomen poſt ſe habeant; qua ratione במות להכעים *excelſa ad exacerbandum* II. Reg. XXIII.

19. dicitur pro excelſis ad irritandum Jehovam deſtinatis. Pari modo igitur ציד להביא eſt caro venatione quaeſita ad adferendum deſtinata: et tota phraſis וילך עשו השדה לצוד ציד להביא, nil aliud ſignificat, quam hoc, *et ivit Eſau in agrum ad venandam venationem quam adduceret*, nempe patri ſuo, quod unusquisque ex antecedentibus facile poteſt colligere. Jam, ſi Graeci interpretes pro להביא ſubſtituerunt τῶ πατρὶ αὐτῦ, id factum, vel quia ſono et ſimilitudine vocum decepti ſunt, ut alibi, vel quia putabant id nomen in hunc contextum melius convenire, nec ſequitur eos לאביו legiſſe; Graeci quippe id ſoli fecerunt, nemine veterum interpretum eorum exemplum ſequente, ipſoque refragante codice Samaritano.

Gen. XXIV. 62. מבוא non deſignat *a veniendo*, ſed quod nos dicimus van buiten, proprie *a foris*, *ab extus*, et opponitur τῶ מבית *ab intus*, vide Jeſai XXIII. 1. eſtque adeo idem ac מחוץ Exod. XXV. 11. alibi. Quando itaque l. l. de Iſaaco dicitur quod venerit מבוא באר לחי ראי, ſenſus eſt, eum veniſſe *ab extus*, ubi erat puteus *viventis videntis me*, de quo Gen. XVI. 4. nec opus erit, ut pro מבוא legamus במדבר cum Samaritanis. Conf. not. ad h. l.

Quintum genus eſto verborum perperàm geminatorum, ut Exod. cap. 39. v. 9. *ubi ſic legitur*, fecerant pectorale duplici texturâ, (*vel* duplex) palmus longitudo ejus, et palmus latitudo ejus duplex. *Iterationem eam* כפול, duplex, *ex Hebraicae Linguae indole eſſe natam, nemo Hebraicè doctus cenſebit. Quam etiam nos in Notâ Criticâ docemus, apud quorumdam Veterum Codices non extitiſſe. Eſt quidem Hebraeis familiare, ut verba quaedam iterent, rei augendae cauſa*, valde, valde, *et ſimilia. Verum nihil quicquam Hebraicae linguae magis alienum, quam unum aliquod verbum ſententiâ inchoante collocare, idem vero deſinente, ac longo intervallo, iterare; ut non mirum ſit id* כפול duplex, *Sam. in Pentateucho non iterari.*

Ego vero non dubito quin כפול, quidquid Noſter de indole linguae Hebraicae disputet, aeque in fine verſus debeat retineri, quam in ejus initio. Primo enim hae repetitiones Moſi non ſunt inſolitae, vide Exod. II. 23. praeſertim quando modum, formam et menſuras rerum ſacrarum deſcribit, velut Exod. XXV. 11. 19. 26. 37. Lev. VII. 19. et in hoc ipſo capite XXXIX. 14. 25. atque alibi. Deinde ratio perſpicuitatis hanc iterationem flagitavit: finge enim כפול in fine verſus abeſſe, poterat facile alicui in mentem venire, pectorale, quod complicandum erat, totum non niſi ſpithamam longum latumque fuiſſe. Optimo igitur conſilio poſt זרת ארכו וזרת רחבו, *ſpithama longitudo ejus et ſpithama latitudo ejus*, additur כפול *duplicatum*, ut intelligatur, pectorale hanc menſuram impleſſe non totum, ſed complicatum, atque adeo duas ſpithamas longum fuiſſe.

Cauſatur quidem in nota ad hunc locum, quod in loco parallelo Exod. XXVIII.

Digitized by Google

XXVIII. 16. id כפול in fine abſit. Sed non videtur meminiſſe, quod Exod. l. l. pectorale tantum confici jubeatur, Exod. XXXIX. 9. vero tradatur modus illud conficiendi, et qua ratione illud mandatum exſecutioni datum ſit. Poſtremo in caſu non ſufficiebat dicere pectorale quadratum factum et complicatum habuiſſe longitudinem et latitudinem ſpithamae, ſed etiam referebat adjungere, quod hanc menſuram habuerit duplicatum, atque adeo duas ſpithamas longum fuerit.

Sextum genus eſto Ellipſεων *illarum, de quibus ſuprà diximus (h), verborum eorum, quae neque in ante-dictis compareant, neque ex illis, quae antea leguntur, ſupplenda eſſe intelligantur. Et certum ſignum eſt Contextum aliquem non tàm ſupplendum eſſe, quàm reſarciendum, cùm omninò incertum eſt quid ſuppleri oporteat, cùmque verba quaelibet, nullâ Interpretum concordiâ ſuppleantur. Quippe de ejusmodi* Ellipſibus *Grammaticis novis nimiùm confidebant novi Interpretes. Cujus generis ſingulare et maximè notandum illud eſt, quod* Levit. Cap. 23. v. 17. *poſt haec verba*, afferetis de domibus veſtris panem oblâtionis, *ita ſubditur*, שתים שני עשרנים סלת, duo duabus decimis ſimilae *Grammatici docent eſſe ibi* Ellipſim *vocabuli* חלות, placentas, *ſententiamque eſſe talem*, שתים חלות, duas placentas duarum decimarum ſimilae. *Quòd ſi admirabere quamobrem id verbum*, חלות, *ſuppleant, quod neque in ſuperioribus legatur, neque legendum eſſe innuatur, iidem urgent, et volunt jubentque id verbum Lectoribus eſſe ſupplendum, etſi ab Librariis non fuerit ſcribendum; nam Hebraicam Linguam talibus omiſſis mirificè delectari. Rem ſane ridiculam!* Placentas *eâ in membranâ ſignificari, in quâ de* placentis *ne* γρὺ *quidem. Perſuadebunt, credo, ſi eis dudùm auſcultamus, Hebraeorum, ut in membranis, ſic in clibanis* placentas *olim ſponte ſuâ naſci ſolitas. Quòd ſi iidem capitis ſequentis verſum* 5. *adiiſſent, vidiſſent, quo verbo reticendo mirificè delectari Hebraicam Linguam dicunt, illud ipſum verbum in ſimili ſententiâ non taceri, ſed planè ac plenè ſic legi*, שתים עשרה חלות שני עשרנים, duodecim placentas duarum decimarum..... *Quo ultimo loco, ſi verbum* חלות *Scribae omiſiſſent, non profectò vituperandus eſſet is Lector, qui quidem praetermiſſum id fuiſſe crederet, reſtituendumque affirmaret. Nùm igitur culpandus erit idem Lector, qui verbum idem* חלות *capite ſuperiori, & ferè parallelo in loco, fuiſſe omiſſum judicabit, et propterea non jam ſupplendum, ſed reſtituendum eſſe affirmabit? Certè hujus affirmationis duces ac magiſtros habemus, non modo Samaritanos, ſed omnes omninò Veteres Interpretes. Vide notam in hunc locum.*

Ut commodiorem et magis promtam occaſionem inferciendi vocabuli חלות habeat, jungit, ut alibi, quae erant disjungenda. Verba Moſis Levit. l. l. ſunt iſta: ממשבותיכם תביאו להם תנופה שתים שני עשרנים סלת תהיינה quae

(h) *Vid. ſupra pag.* 73.

quae nemo Hebraice peritus negabit hanc verſionem recipere: *Adferetis ex habitationibus veſtris panes agitationis duos, duarum decimarum e ſimila ſunto.* Pertinet itaque שתים non ad שני עשרנים סלת, ſed ad לחם תנופה Jam, ſi qui ſunt Grammatici qui hic loci חלות ſubaudiunt, quia Levit. XXIV. 5. id vocabulum adhibitum legitur, eorum ego partibus tam parum accedo, quam ſententiae Critici noſtri, qui vocabulum iſtud non ſubaudiendum, ſed in textum re vera inmittendum eſſe contendit. Eſt enim horum locorum plane diſpar ratio: Levit. XXIII. 17. ſermo eſt de duobus panibus pentecoſtalibus, ſed Levit. XXIV. 5. de duodecim panibus menſae ſacrae imponendis: Illi, quia ſpecimina erant panis ordinarii apud Iſraëlitas adhibendi, fermentati erant, hinc לחם adpellandi; hi non item, quare חלות, placentae, vocantur.

Eſt una Ellipſis in Pentateucho nominis יהוה, *quam Judaeorum ex ſuperſtitione natam fuiſſe maxima veriſimilitudo eſt.* Levit. cap. 24. v. 11. *ſic habetur*, filius mulieris Iſraelitidis blaſphemavit nomen. *Quaeritur cujus nomen? Nam ſi dicas eſſe* nomen יהוה, *reſpondetur nullibi Sacrorum Codicum* nomen *ſolitariè poſitum reperiri, nomen ut* Jehova *ſignificetur; et verſu* 16. *nomen Dei* יהוה *cum verbo* blaſphemare *conjunctum legitur. Quippe Hebraeorum de blaſphemiâ quid narrantium antiqua religio erat, non Dei nomen omittere, ſed verbum*, blaſphemare, *alio verbo commutare; ut in libro Jobi legimus*, benedic Deo et morere. *Sed ſciunt omnes Judaeorum recentium de nomine* Jehova, *aut ſcribendo, aut pronuntiando, quàm fuerit vana ſuperſtitio. Ut maximè credibile eſſe videatur, hoc Levitici loco* יהוה *fuiſſe olim ſcriptum, poſterioribus verò temporibus deditâ operâ praetermiſſum. Quòd verò idem nomen Scribae verſu* 16. *non omiſerint, omiſerint verſu* 11. *id eò factum fuiſſe opinamur, quod verſu* 16. *de Deo non blaſphemando ſancitur, contrà verſu* 11. *narratur nomen Dei fuiſſe ab Semi-Judaeo blaſphematum, quam blaſphemiam calamo exarare horrebat ſuperſtitioſorum Scribarum mens et animus.*

Sunt multa quae ad hunc Critici noſtri locum obſervari poſſent, ſi forct tanti. Cujus modi eſt, v. c., quod, ſi Judaei ex ſuperſtitione nomen יהוה omiſerunt, mirum ſit, quare id non omiſerint ℣. 16., in cujus fine, uti et Deut. XXVIII. 58. vocabulum השם manifeſto ſic uſurpatur, ut *Jehovam* deſignet; eſt enim, ut dicam quod res eſt, nimis diluta, et vix caſſa nuce digna ea ratio, ob quam *verſu* 16. *id nomen non omiſerint, omiſerint vero verſu* 11. Accedit, quod nec Graeci id legerint, nec Onkeloſus, nec aliquis alius veterum interpretum; imo, ipſi Samaritani id non adhibuerint.

Sed mutavit ſententiam in notis ad hunc verſum 11., putans, hominem Aegyptium, cujus in eo fit mentio, aliquod nomen Deorum ſuorum protuliſſe, eique maledixiſſe. Cui obſervationi hoc tantum repono: debuiſſe illum maledicum eadem poena adfici, qua adfici debebat blaſphemus in Deum Israëlis

℣.

Digitized by Google

ỽ. 14. et 16., ideoque vel Diis gentilium eundem honorem haberi, qui haberi debebat Deo Iſraelitarum, quod abſurdum, vel de Deo quodam Aegyptio ſermonem eſſe non poſſe. Accedit, quod ỽ. 15. et 16. manifeſto opponantur איש איש כי יקלל אלהיו *quicunque, ſive extraneus ſit, ſive Iſraelita, blaſphemaverit nomen Dei ſui*; et ונקב שם יהוה *et qui protulerit hac occaſione nomen Jehovae*: huic poena lapidationis proponitur, ille ex arbitratu judicum erat corrigendus (*i*).

Denique ad ſuprà-dicta genera vocari poſſunt quaecunque Hodiernis in Codicibus leguntur, ſeu vocabula ad ſententiam parùm accommodata, et contortè aut parum pudenter tranſlata, ſeu orationis membra mutila, caeca, obſcura, quae habitum non habent, neque colorem referunt Hebraicae perſpicuitatis atque ſimplicitatis. Quorum vitiorum exempla multa in Notis noſtris animadverſa cùm ſint, talibus exemplis nunc ſuperſedemus. Unâ tantummodò argumentatione Articulos hujus Capitis duos concludimus.

Etenim animadverſionibus his noſtris, aliisque generis ejusdem, quas noſtrae Notae Criticae multas habent, quid verum ſolidumque opponi poſſit, id jam quaeritur. Nam quòd multi dubitant, utrùm nos hâc ultimâ, in quâ vivimus, mundi aetate Hebr. de Linguae indole quidquam certum habere poſſimus, ex quo efficiunt, ut hodierno in Codice quamvis mendoſo, tamen nihil ſit mutandum, quoniam nobis, quomodò emendandus ſit, non ſatis eſt exploratum; eos nos unum rogatos eſſe volumus, ut quod ab ipſis adverſùs Criticam Sacram, idem adverſum ſe ipſos ab Criticâ Sacrâ dictum putent (1). *Nam, ſi nos, ultimae hujus aetatis homines, nihil jam potis ſumus de Hebr. Linguae naturâ dijudicare, nan igitur idem et illi poſſunt, cùm eâdem conditione temporum vivant; neque etiam eosdem licet Criticas noſtras Cenſuras vituperare, quoniam, quid de illis ſtatuant, nihil habent ſatis exploratum. Ex quo ſequitur à Criticâ Sacrâ, non ſine juſtâ cauſâ, negligi tales vituperatores. Quòd ſi adduci quidam non poſſunt, ut credant, in tàm multis, quàm ſuprà vidimus, erraſſe Librarios Judaeos; nos iis, quae de Scribarum imperitiâ jam diximus, illud addimus, fateri Judaeos ipſos, ipſorum Scribas non fuiſſe ἀναμαρτήτους, ut non fuerunt Chriſtianorum, neque meliore eſſe conditione Veteris, quam Novi, Teſtamenti Codices. Quapropter, quoniam in deſcribendo Novo Chriſtiani Scribae ſaepè lapſi ſunt, non eſſe recuſandum, quin Veteri deſcribendo ſaepè caeſpitarint Scribae Judaeorum. Lapſos eos fuiſſe non prorſus negant Hodiernorum Codicum ipſi laudatores:*

(*i*) Conf. Cl. Michaelis *Jur. Mos.* part. V. § 251.

(1) Nam ſi nos... nihil jam potis ſumus..... *Haec* ad hominem *dicuntur. Si tu Hebr. Linguae indolem non habes ſatis exploratam, non tu igitur noſtrarum curarum judex idoneus es. Neque haec argumentatio talis eſt, ut regeri adverſùm nos, qui haec ſcribimus, poſſit, quique ab eo longè abſumus, ut Hebr. Linguae indolem, hâc noſtrâ aetate, cognoſci poſſe dubitemus.* Nota Hubig.

ret: eſſet id hominum nimis pertinacium. Sed iidem Criticam Sacram ita in anguſtum cogunt, ut propè idem faciant, quaſi Hod. Codices corrigi planè vetent. Atque iidem negant Criticae Arti de Sacris Libris, idem quod de profanis, licere. Quod quidem faciunt religioſè plusquàm verè. Nam trahit nos ipſa Veritas in contrariam ſententiam. Enimverò, quò indignius eſt rem ſanctam fuiſſe ab hominibus violatam, eo citiùs violata expiari debent, et in antiquam ſuam reſtitui majeſtatem. Ergò Criticae Arti maximè eſt elaborandum, ut quae Scribae in Sacrum Codicem menda intulerunt, ea diligenter animadvertantur, et curâ, quantâ maximâ corrigantur. Quòd ſi magnam utilitatem Profanis Litteris illi afferunt, qui Ethnicorum veterum Libros in vulgus edunt diligenter emendatos, cur negamus de Sacris Litteris optimè eos mereri, qui Sacri Codicis multos locos temporum ſitu atque rubigine ſqualidos factos expurgant, et primum ſuum ad nitorem, quantum in ipſis eſt, revocant? Aut quae ſapientia eſt, cùm Scribae culpam coarguere non audeas, committere, ut quae ab ejus imprudentiâ proficiſcuntur, ſic tanquam Dei verbum excipere videaris, et ſanctè venerari? Si reviviſceret M. Tullius, non profectò illos vituperaret, quos in eo occupatos videret, ut ſua Opera omnia diligenter inſpicerent, et in antiquum ſuum ſtatum reſtituere conarentur. Eodem igitur modo Sacri Scriptores, ſi nunc reviviſcerent, affecti eſſent. Faverent profectò Artis Criticae ſapientibus curis ac laboribus. Quid ſi autem, inquies, Ars illa Critica nihil minùs erit, quàm ſapiens? Atque eâ Arte quàm multi abutentur, ſi eam in Sacros Libros impunè exercebunt? Meum jus eſt reſpondere; quid, ſi erit ſapiens? Nam ſapientem eſſe poſſe negare non potes. Artem-ne ipſam tu, quae ritè adhibeatur, propter quosdam homines, eâ qui abutuntur, vituperabis, tuque intereà menda plurima, quae Sacras Scripturas deturpant, tueberis? Nam tuetur, ſi quis Artem repudiat, quâ Arte corrigi poſſint. Quòd ſi tu id, quod in M. Tullio rectè factum laudas, in Sacris Libris etiam prudenter adhibitum vituperas, vide tu tibi ipſi quàm conſtes; vide etiam Religionem quàm ſapienter interponas. Quippe Libri Sacri emendantur, non quà Sacri, ſed Scribarum vitio quà deformati. Quòd ſi quis autem in iis emendandis Criticam parùm ſapientem adhibebit (nam labi humanum eſt) ne ſic quidem confici poteſt fore, ut Sacris Libris Critici impunè abutantur. Quippe non deerunt viri docti, qui emendationes malè factas coarguant, alias meliores Lectoribus proponant; neque in majus periculum veniet Hebr. Codex quàm quantum ſubiit non ſemel M. Tullius, cùm ejus libri Criticos nacti ſunt imperitos. Etenim eos alii ſapientiores Critici confutârunt, neque in M. Tullii paginas quidquam inferri paſſi ſunt, niſi ſi quid Sanâ Criticâ fuiſſet animadverſum. Et emendatiores profectò M. Tullii libros nunc habemus, etſi iis in caſtigandis quidam viri docti aberrarunt, quàm ſi nemo unquam Tullianae Criticae operam navaſſet. Criminationes tales jam diluerat Lud. Cappellus, adversùs Buxtorſium ſcribens. Nam, quanquam Buxtorſius multùm repugnabat, et palàm vociferabatur, qui Criticam Sacram exercerent, temerarios eſſe ac audaces, qui Dei verbum corrigere cùm vellent, Sacri Codicis ſtatum convulſum irent, tamen illis ſuis clamoribus neminem

pe-

pepulit cordatum virum; neque perfecit, ut non poſt ipſum Criticam Sacram multi viri docti uſurparent; quorum ea ſuffragiis roborata, è calumniis ſemidoctorum emerſit tandem, orbique Chriſtiano multam multarum in Sacros Libros animadverſionum lucem porrexit; ut nihil retardare nos debeat, quominùs Emendationis bonae adjumenta, ſi qua ſunt, conquiramus, Lectoribusque noſtris proponamus.

Quae Hubigantius hic multis verbis diſputat, et tanquam ex his praemiſſis concludit, ea ad nos nil pertinent. Quanquam enim longiſſime ab ea ejus ſententia abſimus, qua ſtatuit, codices noſtros a Judaeis multis modis corruptos et depravatos, *tantaque incuria editum eſſe ſacrum Hebraicum volumen, quanta vix ullus codex typographiae luce cohoneſtatus* (*k*), tamen haud difficiles largimur, librarios Judaicos in deſcribendo V. T. ſaepius ceſpitaſſe, atque adeo criticam in hunc codicem aeque exerceri poſſe, atque in codicem N. T., ſi modo haec critica ſapienti manu regatur et adminiſtretur.

Sed apparuit, niſi me fallunt omnia, ex his quae diximus, haud pauca eſſe, quae animadverſionibus ejus cum ratione poſſunt opponi. Num vera et ſolida ſint, quae adtulimus, eorum judicium eſto, qui genium linguae Hebraicae et dictionem ſacrorum ſcriptorum paulo magis cognitam habent, et in critica V. T. ſunt exercitatiores.

Id unum diſſimulare non poſſum; ſi inter eas emendationes, quas Hubigantius, tanquam ſpecimina peritiae ſuae criticae et grammaticae, hactenus in his prolegomenis adtulit, et eo quidem nomine adtulit, ut ex iis, tanquam exemplis palmariis et omni exceptione majoribus, appareat, quo modo cum ſacro codice ſit agendum, quid certo certius in eo ſit emendandum, vix una aut altera ſit, quae locum ſuum tueri et excuſari poſſit, de ejus arte critica et grammatica, nec non de ceteris emendationibus ejus, quas in notis ad libros V. T. vel ſaltem ad Pentateuchum propoſuit, non admodum praeclare eſſe ſentiendum; quin imo, optandum eſſe, ne alii ejus ſimiles, nec magis ab his rebus parati, quam fuit Noſter, falcem in hanc meſſem facile immittant.

(*k*) Vid. Diſſ. I.

Digitized by Google

EXERCITATIO QUARTA

AD

CAR. FR. HUBIGANTII PROLEGOMENA

CAPUT TERTIUM

QUOD INSCRIBITUR

Editionis bonae parandae adjumenta unde ſint conquirenda.

Editionis bonae parandae quae adjumenta vocamus, ea ſunt emendationis ipſi fontes, hoc eſt tum eae membranae, ex quibus promere emendationes poſſis, quales ſunt Codices et Samaritici et Hebraici Hodierni, veterumque Interpretum Verſiones, tum Regulae ipſae Critices, quas cum ſequaris, Hodiernorum Impreſſorum menda corrigere rite poſſis. De ſingulis ordine dicendum.

Inter editionis bonae parandae ſubſidia cum refert Hubigantius ex aequo codices *et Samariticos et Hebraicos hodiernos*, videri poterat, eum utrosque eodem loco habere, atque adeo dubitari illisne palmam deferat, an his. Quare, antequam ulterius progredior, paulo enucleatius docendum et in memoriam revocandum erit, quem auctoritatis gradum tribuat codici Hebraeo Samaritico, vel mavis, illi lectioni quam fundunt codices Samaritani, qui contextum Hebraicum Pentateuchi Hebraicis quidem verbis, ſed literis Samaritanis nobis repraeſentant. Quod ſi enim codex Samariticus cum his quos Hebraicos hodiernos vocat, pari paſſu ambulet, neque lectiones hujus codicis aliam aut majorem auctoritatem habeant, quam habent apud ipſum lectiones quas fundunt codices Hebraici Judaeorum, vel quisque alius codex Hebraicus a Judaeis profectus, aetate ſuppar, non deerunt forte qui hanc diſputationem inutilem et minus neceſſariam putent: neque ego facile eam operam ſuſcepiſſem, ut quae de codice Samaritico a noſtro Critico proferuntur, ad incudem vocarem.

Itaque tenendum eſt, Hubigantium, poſtquam horum Prolegomenorum ca-

capite I. codices Judaicos, non antiquos, nec conformes veteribus, neque accurate deſcriptos pronunciaverat, atque etiam capite II. fontes errorum in iis reperiundorum nominaverat et confirmaverat, (quibus rebus ſingulatim examinandis tres priores diſſertationes impendimus) tandem hoc capite III. defenſionem codicis Samaritani ſic ſuſcipere, ut Hebraicum multis modis deprimat; denique vero capite IV, ubi haec adjumenta inter ſe invicem contendit, comparationem, ſpeciatim inter Judaicos et Samaritanos, ſic inſtituere, ut *hos plerumque lucidos eſſe ac perſpicuos* pronunciet, *illos ambiguos & obſcuros; hos viam ſcribendi rectam, planam, aequabilem ſequi, illos per abrupta Solecismorum et Barbarismorum non ſemel ferri atque devolvi; denique in his Moſen eſſe ſui ipſius ſemper ſimilem, in illis ſaepe alio atque alio ſcribendi colore utentem.* (l)

Quae quidem omnia cum eo tendant quam clariſſime, ut demonſtret, editiones, quae ad fidem et amuſſim codicum Judaicorum factae ſunt, non ex codicibus optimae notae Judaicis, ſed ex Samaritanis, corrigendas, et ad eorum imaginem refingendas eſſe, hosque adeo codices Samaritanos, quantum ad Moſis pentateuchum adtinet, principium emendationis optimum et tutiſſimum eſſe; operae pretium erit, quae Noſter de origine et auctoritate Pentateuchi Hebraeo Samaritani in medium protulit, paulo curatius luſtrasſe: ut tandem appareat, quod diſſertatione II. et III. per inductionem exemplorum ab Hubigantio ſelectorum ex parte jam confecimus, videlicet, antiquiſſimos codices Samaritanos et optimos quosque ab ipſo laudatos, etſi variae lectiones ex iis depromi poſſint, tamen ex tam limpido fonte non profluxiſſe, ſed ſimplicitate et accuratione ſua multum infra Judaicos ſubſiſtere, imo multis ineptis acceſſionibus et depravationibus auctos; atque adeo, licet in optima forma conſideratos, (quatenus cum verſione Samaritana maxime conveniunt) primum et perpetuum emendationis principium conſtituere non poſſe.

(l) Vid. haec Proleg. edit A. p. 138. B. p. 276. C. p. 104. Ibid A. p 140. B. p. 281. C. p. 106. ubi inquit.: *Emendationis alterum fontem diximus eſſe hodiernos ipſos codices, ex quibus ſi magnas utilitates ad me pertinuiſſe dicerem, parum mihi ipſe conſtarem, poſtquam eos, quales ſunt generatim deſcripſi, et vero eos bene multae ſingulatim inſpectos in magnis vitiis ſimiles eſſe vidi, in levibus diſſimiles. Quippe omnes ſcatent iis mendis, quae cum ſententiam orationis ipſam labefactant, tum Grammaticae leges perrumpunt.*

A R.

ARTICULUS PRIMUS.

Primus fons Emendationis, Codex Hebraeo Samaritanus.

SAMARITANI, *inquit Hieronymus*, (1) Pentateuchum Moſis totidem litteris ſcriptitant, figuris tantum et apicibus diſcrepantes. *Quod de ſuae aetatis Sam. codicibus narrat Hieronymus, idem nunc videmus eſſe in iis ejusdem codicis exemplaribus, quae ſeculo ultimo Europa recuperavit; ut ab Hod. Hebr. Codicibus eo tantum genere diſcrepent, quod Hebr. Codices litteris Chaldaicis exarati ſint, Samaritici autem Samariticis. Nimirum Esdras Sacros Codices, quos renovabat, Chaldaicis litteris, quibus captivi Judaei adſueverant, transſcribi fecit. Samaritani contra ſuas litteras retinuere, quas cur mutarent nullam cauſam habuere, quoniam in nullam cum Judaeis venêre ſocietatem. Eae autem Samaritanorum litterae melius Hebraicae vocentur, utpote cum eae ſint illae ipſae litterae, quibus ſcribendâ lege, Moyſes utebatur. Veruntamen Samariticae nunc vocantur, ut eo nomine ab Hebraicis hodiernis diſtinguantur, quae veteres ſunt Chaldaicae. Eas res Brianus Waltonus in ſuis* Prolegomenis *ediſſeruit.*

Etſi ad rem praeſentem parum facit, ſintne literae quibus Samaritanorum codices exarati ſunt, veri nominis Hebraicae, an vero eae, quibus in libris ſacris deſcribendis utuntur Judaei; cum non de literis, ſed verbis quaeſtio ſit, et utrorumque codices ſint recentioris aetatis, quam ut in cauſa ejusmodi adferri poſſint; tamen, quia Hubigantius hanc controverſiam ſuam fecit, a multis quidem agitatam, ſed a paucis recte diſputatam, et a nemine, quod ſciam, ad liquidum perductam, lubet, ne ἀσύμβολος eſſe videar, eam data opera diſcutere, et judicium interponere. Equidem diffiteri non poſſum, ſaepe mihi mirum accidiſſe qui factum ſit, ut viri eruditi et in philologia principes hanc ſententiam foverent de mutatis ab Eſra literis Hebraicis, quippe nullo ipſius Eſrae, vel aliorum ſacrorum ſcriptorum, niſi quorundam Eccleſiae patrum et Judaeorum ambiguo teſtimonio nixam, et multis incommodis preſſam.

Nemo neſcit quam ſint diſſimiles literae, quae in numis, quos vocant, Samaritanis et quae in codicibus MSS. viſuntur; et tamen nemini in mentem venit, eam rem certis auctoribus vel tempori transſcribere, multo minus publicae cuidam auctoritati. Deinde, quis unquam probavit, Chaldaeorum literas fuiſſe ab Hebraicis multum diverſas? cum Hebraeorum majores Chaldaeo de ſanguine creti ſint, et utrorumque dialecti apprime conveniant. Eſto etiam

(1) *Praefat. in Libros Regum.*

etiam diverſas fuiſſe, nec qui Chaldaice callebant, potuiſſe literas Hebraicas legere; nonne parum ſapiens et conſultum Eſrae factum videri debet, ſi, quod volunt hujus ſententiae patroni, ſi, inquam, literas veteres Hebraicas, quibus antiqui Hebraei, quibus ſcriptores ſacri usque ad captivitatem Babylonicam uſi fuerant, in alias mutaviſſet, et ſimul veterum exemplarium et tabularum genealogicarum uſum fidemque ſuſtuliſſet, characterem avitum relinquens Samaritanis, infenſiſſimis Judaeorum hoſtibus; cum hujus tantae novationis nulla poſſit allegari cauſa, nullum teſtimonium fide dignum? (*m*) Sed, inquiunt, *captivos Judaeos his literis tum adſueviſſe.* Quis vero credat, Judaeos in captivitate LXX. annorum ſuae linguae et literarum usque adeo obliviſci potuiſſe, ut codices Hebraicos legere et intelligere non amplius poſſent: vel magis obliviſci potuiſſe, quam eorum majores in ſervitute quadringentorum, et quod excedit, annorum in Aegypto?

Quod ſi autem in exilio, et converſatione cum aliis gentibus cauſa quaerenda eſt ob quam literas mutarent Judaei, ſequitur Samaritanos plus cauſae habuiſſe ut eas mutarent, quam habuerunt Judaei. Primo enim in captivitatem Aſſyriacam longe graviorem, et magis diuturnam, locaque remotiſſima deducti ſunt, II. Reg. XVII. 18, 24. adeo, ut non deſint, qui negant quemquam rediiſſe. (*n*) Deinde, qui reſidui facti erant in Samaria pauci coloni, aliis gentibus, veluti Syris Phoenicibus et Cuthaeis, qui interea temporis in Iſraeliticas provincias introducti ſunt, ibid. ỳ. 24—31. usque adeo permixti fuerunt, ut cum his poſtremis in ſocietatem coirent in qua Iſraelitas merito deſideres. (*o*)

Ni-

(*m*) Quare etiam Guil. Wiſtonus in *Tentamine reſtaurandi genuinum textum V. T. Propoſ.* V. pag. 145. maluit illam veteris Hebraici cum charactere Chaldaeo permutationem ad initium ſeculi II. a C. N. referre. Vid. Carpzov. *Crit* pag. 918 ſeq.

(*n*) Quod ſi etiam aliqui reverſi ſunt, ut fas eſt credere, eorum plerique videntur non Samaritanis, ſed Judaeis adhaeſiſſe, indeque factum eſſe, ut in dedicatione templi, hirci lactentes XII, pro totidem tribubus Iſraelis, oblati ſint Eſr. VI. 17. VIII. 35.

(*o*) Recte igitur Joſ. Scaliger, *de Emend temp.* lib. VII. pag. 620 notis in annum Samaritanum, *Samaritanis*, ait, *convenarum gentium colluviem eſſe ſatis conſtat ex poſterioris Reg.* XVII; *quod neque ipſi olim negabant.* Sane vero ipſi Samaritani apud Joſephum Ant XII. c. 7. §. 5. Medorum Perſarumque colonias ſe eſſe profitentur, et in epiſtola ad Antiochum Epiphanem ſe Sidonios appellant. Quod poſtremum, etſi avertendae vexationis, et aucupandae benevolentiae ergo apud Antiochum factum ſit, tamen usque adeo in dubium vocari non debebit a Basnagio *Hiſt. Jud.* lib. II. cap. 6. ut miretur, cur ſibi tam imponi paſſus fuerit Antiochus, cum Samaritani coloni fuerint exterorum Sed tenendum eſt, Sidonios perſaepe adpellari, qui ſunt Phoenices, ut videre eſt apud Heſychium, voce Σιδών; (unde et Graeci Joſ. XXIII. 2. pro [illegible] ſubſtituerunt μετὰ Φοινίκης), nec facile intelligi poſſe, qui fidem apud Antiochum impetraverint Samaritani, ni conſtitiſſet, eos eſſe coloniam Phoenicum, multosque Phoenices, ubertate ſoli allectos, ſua ſponte in Galilaeam et Samariam conceſſiſſe, indeque creditum eſſe, quod ait Strabo lib. XVI. pag. 1106, Samariam a Phoenicibus habitari. Ipſe etiam Joſephus, niſi de origine eorum Phoenicia fuiſſet perſuaſus, eos, ut ſaepe alibi, ob eam rem mendacii arguiſſet; ſed ait mentitos eſſe, cum ſibi Judaicam originem tribuant, contra autem vera loqui, cum negent Judaeos eſſe ſuos cognatos.

O

Nihil vero magis abſurdum atque ab hac literarum apud Judaeos mutatione abhorrens, quam temporis et rerum [illegible] illa, qua haec literarum cataſtrophe accidiſſe creditur. Qui capita extrema ſecundi Regum libri legunt, iis obſcurum eſſe nequit, non omnes et ſingulos Júdaeos ita in exilium actos eſſe, ut nulli in patria relicti ſint coloni, non plebs, non ruſtici, qui terram colerent, quibusque adeo praefectus conſtitueretur primarius, aliique minores *II.* Reg. XXV. 22—24 Jerem. XL. 7. XLI. 11—16. Sed norunt omnes, praecipuos cives tantum et principes populi, qui res novas moliri poſſent, juxta cum fabris et militibus, II. Reg. XXIV. 16. 18. hoc eſt, omnibus iis a quibus aliquid timeri poſſet, deportatos eſſe. Nempe ſi numerum ineas eorum, qui prima et item altera Nebucadneſaris in Judaeam expeditione in Babyloniam abducti ſunt, vix XX. millia efficient; imo, ſecundum calculum Celeberrimi Michaëlis, qui *II.* Reg. XXIV. 14. 15. 16. et Jerem. LII. 28—30. inter ſe contulit, (*p*) numerum XII. millium non excedent. Qui apud patrios lares relicti ſunt, aeque atque illi qui in Babyloniam migravere, non ſolum lingua, verum etiam literis Hebraicis utebantur, ut res et ratio docent. Reverſi ſunt deinde poſt elapſos LXX. annos Judaei fere *quinquagies mille*, Eſrae II. 64. 65., qui cum his qui remanſerant, in commune bonum conſulentes, ſtructuram templi non ſolum inchoarunt, ſed intermiſſam abſolverunt, feſta agitarunt, cultum publicum reſtituerunt ad praeſcriptum Moſis, Eſrae VI. 15. 16. atque adeo ſine lege divina eſſe non potuerunt. Tandem in Judaeam venit Eſras, comitantibus circiter MDCC. viris, *anno VII. Artaxerxis regis* Eſr. VII. 7. 8. XIII. 1—21;, qui ſi Longimanus fuit, volvebatur tunc annus LXXIX., ſi autem Mnemon, (*q*) fere annus CC. poſt reverſionem Judaeorum, quos Cyrus dimiſerat. Eo temporis ſpatio non ſolum reſpublica et cultus ſacer fuit conſtitutus, et reduces cum his qui in Judaea remanſerant, denuo coaluerunt; ſed etiam plurimi eorum qui Babylone venerant, vita exceſſerunt: ceteris in Judaea natis. Quis vero credat, aut ſibi perſuadere patiatur, potuiſſe Eſrae ea tempeſtate in mentem venire, ut poſthabitis rebus omnibus de quibus diximus: poſthabitis, inquam, iis multis qui Babylonem nunquam viderant, adeoque uſum priſci characteris non amiſerant, ſolorum in gratiam paucorum quos ſecum adduxerat, priſcam ſcribendi rationem e manibus populi et ſacerdotum excuteret, ſubſtitutis literis novis quibus nemo indigebat? (*r*)

Appa-

(*p*) *Obſervatione de exilio decem Tribuum, epimetro ad* §. 11.

(*q*) Uti Petrus Allixius in Epiſtola ad Ezech. Spanhemium *De praeſtantia et uſu numiſm.* ſſ II. pag. 70.

(*r*) Quare ego quidem in eam inducor opinionem, ut credam fabulam iſtam de mutatis ab Eſra literis Judaeorum, inde natam eſſe, quod Judaei formam literarum rudiorem in magis politam cum tempore mutaverint, easque ex una quaſi linea ſuſpenderint; eoque fine a Judaeis inventam eſſe, ut huic literas ſcribendi rationi auctoritatem quaererent.

Digitized by Google

Apparuit, niſi me fallunt omnia, quam parum cauſae Eſras habuerit, ut *ſacros codices, quos renovabat, Chaldaicis litteris*, (s) *quibus captivi Judaei aſſueviſſent, tranſſcribi curaret.* Quaeritur jam, quaenam ante captivitatem Babyloniçam apud Hebraeos literae obtinuerint, Samariticae quas vocamus, an vero Judaicae? vel, ut Hubigantius ſtatum controverſiae proponit, *ſintne Samaritanorum litterae illae ipſae quibus ſcribenda lege Moyſes utebatur, an vero Judaicae?* (t) Et paulo plenius Buxtorfius. (u) *Utrum figura ea literarum Hebraicarum, qua hodie vulgo ſacra Biblia Hebraica deſcripta et impreſſa videmus, eadem ſit, quam Moſes in tabulis a Deo accepit, et inde ab eo tempore inter Judaeos extiterit?*

Ad quaeſtionem hoc modo conceptam, ſi quod res eſt fateri et judicium interponere debeam, reſpondeo, neutrum mihi verum videri. Habent ſua fata literae aeque ac linguae; et nemo neſcit quam figurae literarum ſucceſſu temporis mutentur. Quod Judaicarum aliquae olim formam multo rudiorem, ſubinde etiam aliam aliamque σχῆμα et habitum habuerint, quam nunc habent, ni fallor, Exercitatione II. pag. 30. 31. confecimus. De Samaritanis vero nemo ambigat, qui vel inſcriptiones ſiclorum, et codices Samaritanos, inter ſe invicem velit contendere. Quae cum ita ſint, non immerito videri poterat, inde a Moſis tempore literis Hebraicis mutationem longe majorem illatam eſſe, atque adeo literas illas, quibus Judaei et Samaritani, praeſertim tamen illi, hodie utuntur, multum quantum ab iis antiquis differre debere, quibus Moſes in ſcribenda lege uſus eſt. Hinc ſane nonnulli Viri Docti in eam venerunt opinionem, literas, quibus Moſes et Iſraelitae olim uſu ſunt, a Judaicis toto coelo diverſas, et vel Hieroglyphicas, vel ſaltem ex Aegyptiis et Phoeniciis conflatas fuiſſe. Et Cl. Kennicottus quidem eos in inſcriptionibus montibus inciſis, quae in deſerto Sinaitico inveniuntur, (x) Cl. Eichhorn autem in faſciis mumiarum in Aegypto re-

(s) Mirum videri poterat, quare Criticus noſter has literas Chaldaicas vocet; cum tamen Waltonus, quem ſequitur, cum aliis de Aſſyriacis loquatur. *Prolegom* III. § 19 ubi inquit: *Sententia eſt plerorumque linguarum peritia inſignium, literas, quas Samaritanas dicimus, quibus Pent. Sam. in hac Bibliorum editione excudimus, Hebraeorum primaevas fuiſſe quibus Lex et Prophetae primum ſcripti; easque Judaeis et Samaritanis, communes fuiſſe ante deportationem Babylonicam. Eſram vero, qui poſt reditum codices ſacros recenſuit, et inſtauravit eosdem literis Aſſyriis, populo Judaico magis notis (qui durante captivitate linguae et literarum oblitі ſunt) deſcripſiſſe, et priores Samaritanis, quos cane pejus et angue oderunt, reliquiſſe.* Id quod et magis convenit cum ſententia Judaeorum, de qua infra dicemus. Sed non conſtant ſibi hac in re hujus ſententiae patroni.

(t) Cum Waltono in Praefatione ad *Introductionem in lectionem Linguarum Orient.* fol. A. pag. 8.

(u) Differt. Philol. Theol. IV. *de literarum Hebraicarum antiquitate* pag. 169

(x) Conf. *The State of the printed Hebrew Text* etc. Diſſ. II. p. 147 ſeq. Quo magis tamen has literas attente conſidero, hoc magis eas potius opus otioſorum hominum ſequio-

O 2 ris

repertis quaerendas eſſe haud ita pridem contendit. (y) Neutrum ut ſtat mihi opus eſſe videtur. Mea ſententia dubitandum non eſt, quin ars ſcribendi jam ante Moſen Hebraeis fuerit cognita, et literae, quibus uſus eſt Moſes, illae ipſae fuerint, aut ſaltem non multum diverſae ab his quibus Hebraeorum majores, ante adventum in Aegyptum, uſi fuerant; quia Moſes ea, quae in Geneſi leguntur, ex antiquiſſimis eorum monumentis contexuit. (z) Qualis autem ille character fuerit, quis ejus habitus, quae ratio et forma, id quidem accurate definiri non poterit: vel ſic tamen haud difficile erit de ejus ſubſtantia et natura conjicere et judicium interponere. Videntur ſane

I. admodum ſimplices fuiſſe, nec multis calami ductibus et lineis conſtitiſſe; quia Moſes, qui tot leges et commentarios exaravit, tam tardum et difficile ſcribendi genus, quo nonnullae gentes antiquae, et ſpeciatim Aegyptii utebantur, adhibere non potuit.

II. Cumque jam ante Moſen et temporibus Patriarcharum extiterint, (a) ut diximus, intelliguntur antiquiſſimae Orientis literae fuiſſe, quae initio quidem in continente apud Chaldaeos et Syros, deinde a Tyriis et Sidoniis

ris aevi eſſe credo, quam Iſraelitarum. Nempe illi ipſi Monachi, qui a temporibus Conſtantini in hoc deſerto et monte quidem Sina verſati ſunt, et ab aevo Juſtiniani coenobium habuerunt, uti plura alia ficta vetuſtatis et rerum ibi geſtarum monumenta quae impoſturam manifeſto produnt, ita etiam monſtroſos hos characteres procul dubio invenerunt, et rupibus inſcalpſerunt, ut quam plurimos periegetas ad haec loca viſenda invitarent eorumque ſuperſtitioni et credulitati illuderent. Paucae quippe literae in iis ſibi ſimiles ſunt et antiquae, plures vero Judaicae male pictae, Graecae, Nabathaeae, Copticae et Arabicae: ſi tamen, quod ſpero, Pocokius qui eas in Deſcriptione Orientis, (*Deſcription of the Eaſt*,) tom. I. exhibuit, eas ipſe viderit; nec Niebuhrius, qui earum aliquas Itinerario ſuo in Arabiam, tom. I. inſeruit a feſtinantibus Arabibus impeditus fuerit, quo minus eas accurate deſcriberet. Provocat quidem Kennicottus ad teſtimonium Coſmae, qui medio ſec. VI vixit, et inſcriptiones illas ipſe ſuis oculis luſtraverit. Sed ne dicam, quod Neſtorianus fuerit, quod genus hominum ad quidlibet fingendum ſemper fuit admodum proclive, eſt quoque ipſum Coſmae teſtimonium ita comparatum, ut manifeſta non ſolum erroris, ſed et fraudis indicia ſecum ferat.

(y) Vide ejus introductionem in V. T. (*Einleitung ins alte Teſtament*) part. I. §. 65. 66, ubi contendit, Jacobum et familiam ejus artem ſcribendi in terram Goſen non intuliſſe, ſed demum ab Aegyptiis didiciſſe; quod tamen minus probabile, ob cauſas quas in ſequentibus adtulimus. Deinde exiſtimat Aegyptios, jam eo tempore quo vivebat Moſes, literas Phoenicum una cum Aegyptiacis adhibuiſſe, indeque natam eſſe ſcripturam veterum Hebraeorum, provocans eo fine ad faſcias quaſdam mumiarum vix legendas, in quibus Comes de Caylus et Cl. Buttnerus quaſdam literas Phoenicum detexerint. Verum id quoque caſu evenire potuit, ut in aliis linguis, nec aliquam vim habet ad probandum, niſi demonſtretur, has literas eandem poteſtatem apud Aegyptios habuiſſe, quam earum ſimiles habuerunt apud Phoenices.

(z) Qua de re plura dabit C. Vitring. *Obſ. Sacr.* lib. I. cap. IV. edit. ult. pag. 37. ſeq et P. Brouwer Diſſ. *qua disquiritur unde Moſes res in libro Geneſeos deſcriptas didicerit.* Lugd. Bat 1753

(a) Quamobrem etiam plerique Judaei et Chriſtiani earum inventorem Abrahamum fuiſſe crediderunt.

Digitized by Google

niis (*b*) et in inſulis maris mediterranei, mox etiam a ceteris orientalibus, velut Arabibus, adhibitae fuerunt. (*c*)

Quod ſi nunc quaeratur, uterne horum characterum, quos nunc tenemus, antiquior ſit et ad priſcum illum characterem Hebraeorum, quo uſus eſt Moſes, proxime accedat, Judaicus an Samaritanus? non dubito hanc palmam Judaico deferre. Simplex eſt ſigillum veri et antiqui. Quae literae pauco ornatu, pauciſſimis lineis et calami ductibus conſtruuntur: ad quarum ſimplicitatem et gravitatem caeterorum, et antiquiſſimorum quidem orientalium quorum dialecti cum Hebraica ſororiam adfinitatem habent, literae poſſunt reduci atque reſolvi, eae jure merito earum antiquiſſimae debent haberi. Sed ad ſimplicitatem literarum quibus optimi et antiquiſſimi codices Judaici exarati ſunt, non ſolum literae antiquiſſimae Syrorum, ut ſunt Palmyrenae et Eſtrangelicae, itemque Arabicae quae Cuſienſes dicuntur, verum etiam hodiernae, nec non Samaritanae pleraeque, ipſorumque Phoenicum literae, bonam ſui partem, tanquam ad primum exemplar et originem poſſunt reduci; ergo non injuria pro antiquiſſimis habentur.

Veritatem propoſitionis nemo in dubium vocabit, qui norit literaturam orientalium ex uno velut fonte progreſſam (*d*) commune inter ſe vinculum habere et cognatione quadam contineri; nec ſolum vocabula paſſim iisdem literis ſcribi, ſed etiam has literas numero totidem eſſe, atque apud Hebraeos. Eam igitur cum ſuo judicio animadverteret Edvardus Bernardus, vir doctiſſimus, *Tabulam* (*e*) vulgavit, *qua orbis eruditi literaturam* ad unum principium revocare ſtuduit, ſed vero literas Judaeorum, Arabum et Syrorum aliorumque *e charactere Samaritico* ad eum modum deduxit, ut idem ipſi accidiſſe exiſtimandum ſit, quod Leoni Allatio *de Eccleſiae occidentalis et orientalis perpe-*

ius

(*b*) Sic ſane veteres exiſtimaſſe auctor eſt Diod. Sic. lib. V. c. 74. Qui locus cum ad memoriam ſit perquam notabilis, et ab Euſebio confirmatus *Praep. Evang.* X. 5. dignus eſt, qui hic legatur: Πρὸς δὲ τοὺς λέγοντας, ὅτι Σύροι μὲν εὑρεταὶ τῶν γραμμάτων εἰσί, παρὰ δὲ τούτων Φοίνικες μαθόντες τοῖς Ἕλλησι παραδεδώκασι —— φασὶ τοὺς Φοίνικας οὐκ ἐξ ἀρχῆς εὑρεῖν, ἀλλὰ τοὺς τύπους τῶν γραμμάτων μεταθεῖναι. *Quod vero ad eos adtinet, qui dicunt Syros literarum inventores eſſe, a quibus Phoenices eas didicerint et cum Graecis communicaverint —— his reſpondent, Phoenices nequaquam primos earum eſſe inventores, ſed formas tantum elementorum mutaſſe.* Conf. P. Weſſelingii ad eum adnotatio.

(*c*) Ea tamen cum differentia, ut Tyrii et Sidonii, aliam earum figuram adhiberent atque ceteri orientales. Saltem quod diverſitas quaedam obtinuerit in charactere Phoenicio, et qui in continente habitabant, aliter literas exaraverint quam in inſulis maris mediterranei fieri ſolebat, clariſſime intelligi poteſt, ſi inſcriptiones Palmyrenae cum inſcriptionibus in his inſulis repertis et numis Samaritanis conferantur.

(*d*) Vid Steph. Morini *Exercitationes de Lingua primaeva* part. II. et Vitring. *Obſ. Sacr.* Lib. I c. 1 — 5. aliosque

(*e*) Tabula haec A. 1689 et 1700. Oxonii vulgata, atque ab Ezech. Spanhemio *de Praeſt. et uſu numiſm.* Diſſ. II. repetita, ſupplementis et acceſſionibus egregiis aucta, denuo in lucem emiſſa eſt a Carolo Morton M. D. Soc. Londinenſi a ſecretis. 1759.

Vidimus literas veterum Hebraeorum ab Eſra non eſſe repudiatas et Samaritanis relictas, nec in deſerto Sinaitico aut Aegypto inveniendas, neque Judaicas ex Samaritanis per ταχυγραφίαν formatas, ſed ſimplicitate ſua ceterorum orientalium literas ita ſuperare, ut pleraeque ex illis, tanquam ἀρχετύποις poſſint derivari. Reſtat ut demonſtremus Samaritanas non eſſe veteres Hebraicas. Ut hoc efficiamus, lubet in anteceſſum notare quod facile in oculos incurrit, et patroni hujus ſententiae non difficiles largiuntur, videlicet, literas Samaritanas ex Phoeniciis eſſe procuſas.

Quemadmodum vero literae Phoenicum non omni tempore, nec omnibus in locis eaedem fuerunt, ſed aliae in Syria ceteroque Oriente, aliae vero apud Tyrios et Sidonios et in inſulis maris mediterranei adhibitae eſſe deprehenduntur, ita probe tenendum eſt, non omnes Phoenicum literas cum Samaritanis, ſaltem eadem facilitate poſſe comparari. (*l*) Huc pertinent, praeter literas quae in nummis quos vocant Samaritanis viſuntur, inprimis inſcriptiones Citiaeae, quae hac noſtra memoria e ruderibus antiquae urbis Citii in inſula Cypro erutae ſunt, et a Pocockio, Portero, et Swintono (*m*) deſcriptae et vulgatae; nec non Melitenſis, quam illuſtrarunt Barthelemius et Swintonus. (*n*) Ad has inſcriptiones, praeſertim vero Citiaeas, ut credam literas Samaritanorum exigendas eſſe, duo ſunt quae mihi perſuadent, convenientia cum Samaritanis, et Cyprus inſula in qua ſunt repertae. Nam cum Salmanaſſar Phoenicen bello caperet, Tyrii, regnante Elulaeo, Cyprum occupaverant, et Citiaeos, qui ab eorum imperio defecerant, ad obſequium reduxerant. (*o*) Quibus rebus ſuperveniens Salmanaſſar, eam inſulam ſibi vindicavit, tum temporis, ut videtur, *Hamath* adpellatam; (*p*) atque ex ea, quemadmodum ex aliis Phoenicum ditionibus, colonos in Samariam deduxit, II Reg. XVII. 24. Ad haec dubitandum non eſt, quin Samaritani, uti cum Tyriis et Sidoniis, ita ſub Perſarum et Graecorum imperio, ob proximitatem

Samaritanis antiquis tachygraphicae formari debuerint, per naturam rei, non Judaicas, ſed potius quaſcumque alias, imo Graecas debuiſſe prodire. Mitto alia: velut quod, hac poſita D. Bianconi hypotheſi, haud facile intelligas, qui Chriſtus Soſpitator noſter Matth. V. 18. potuerit Ἰῶτα minimam ſacri codicis literam vocare, cum in Sam. alphabetho non ſit minima. Doctiſſimo Bianconi praecluſerat Conringius in *Paradoxis de Numis Hebr.* Cap. V. pag. 42.

(*l*) Conf. Barthelemy *Reflexions ſur quelques monuments Pheniciens*, in *Memoires de l'Acad. des inſcript.* tom. XXX. pag. 405. ſeq.

(*m*) Vide R. Pococke *Deſcription of the Eaſt*, tom. II. pag. 213. tab. XXXIII. et J. Swinton *Inſcriptiones Citieae*, Oxonii editae 1750.

(*n*) Barthelemy loco ſupra laud. et Swinton in *Philoſophical Tranſactions*, vol. LIV. num. XXII.

(*o*) Teſte Menandro in fragmento apud Joſephum Ant. IX 14. § 2.

(*p*) Ab *Hamatheis*, populis Cananaeis quorum mentio fit Gen. X. 18. Unde urbs non abſimilis nominis memorata Plinio *Hiſt. Nat.* V. 31. et Straboni *Geogr.* XIV. p. 1001. cujus incolae ἀμαθουσιοι dicti apud Scylacem Caryand. *Peripl.* pag. 39. edit. Voſſii, et cujus mentio fit in quadam inſcriptione Citicena, quam explicavit Swinton in noviſſima *Marmorum Oxonienſium* editione part. II. n. 8. Quod autem nomen inſulae fuerit *Hamath*, non obſcure colligitur ex Jeſ. X. 9. XI. 11. ubi cum inſulis, *Arphad* aliisque componitur.

tum loci, et fertilitatem ſoli, cum Cypriis, amicitiam coluerint, et commercia inſtituerint; atque ea propter, praeſertim calamitoſis reipublicae temporibus, in Citium, velut aſylum quoddam libertatis, ſubinde ſe receperint. (*q*)

Quaeritur nunc, anne character ille Phoenicius, ex quo Samaritanus procuſus eſt, fuerit antiquiſſimus character Hebraeorum? Video enim patronos ejus ſententiae quam defendit Hubigantius, de literis his Phoenicum ſic loqui, ut eas ipſiſſimas literas veterum Hebraeorum eſſe putent. Joſephus ille Scaliger, illuſtre et ſuſpiciendum in republica literaria nomen, *Animadverſionibus in Chronica Euſebii* pag. 103. *Phoenicum literis e quibus Graecae natae ſunt, olim et Chananaeos et Hebraeos uſos eſſe, et adhuc Samaritanos uti* contendit, *nec alios in uſu fuiſſe a temporibus Moſis ad excidium templi.* Scaligerum magna animorum conſenſione ſecuti ſunt Waltonus, Capellus, Chishul aliique. Sed aeſtimabat ille literas Phoenicum ex ſolis Ionicis antiquis, (*r*) nec videtur aliquas inſcriptiones Phoenicias oculis luſtraſſe; neque de antiquis eorum literis judicaſſe, niſi ex nummis Samaritanis, quos antiquiſſimos eſſe putabat, et florente Hebraeorum republica cuſos. De charactere autem Samaritanorum hodierno judicium non poterat interponere; quia paucas, nec genuinas eorum literas viderat: et Samaritanorum monumenta literaria, codex et verſio, eorumque epiſtolae demum poſt obitum ejus in Europam pervenerunt.

Negari quidem non poteſt literas Phoenicum quae hodie ſuperſunt, eſſe antiquiſſimas orientalium: qui tamen inde collegerit eas e quibus Samaritanae coortae ſunt, has ipſas eſſe, quibus Hebraei a temporibus Moſis usque ad captivitatem Babylonicam uſi ſunt, falleretur vehementer. Vidimus enim ſupra, et probabimus in progreſſu, in charactere Phoenicio haud exiguam obſervari differentiam, aliamque ejus formam in Oriente frequentatam eſſe, aliam in Occidente et in inſulis maris mediterranei. Quae differentia longe major evadit, ſi literas, quae in iis regionibus repertae ſunt, in quas Phoenices colonias duxerunt, ut ſunt Africanae et Hiſpanicae, cum orientalibus et Palmyrenis conferantur. In tanta vero characteris Phoenicii diverſitate, quis dicat Samaritanos veterem et genuinum characterem Hebraicum conſervaſſe, aut magis conſervaſſe quam eum conſervarunt Judaei ceterique orientales?

Accedit quod in alphabetho Phoenicio quod Graecis communicatum fuit, non eae, nec totidem literae fuerint, quot habuerunt Hebraei, erantque neces-

(*q*) Teſtimonia ejus rei collegit Swinton in *Inſcript. Citicis* cap. 1. §. 2. et in Diſſ. *de nummis quibusdam Samaritanis et Phoeniciis*, pag. 82.

(*r*) Cum quibus tamen minimam convenientiam habent Samaritanae hodiernae: et ſi quam habent, ea procul dubio inde nata eſt, quod character Phoenicum quo in inſulis maris mediterranei uſi ſunt, ſucceſſu temporis ex Graeco fuit mutatus.

ceſſariae ad differentiam verborum apud Hebraeos definiendam: (s) et quod eae literae quae olim defeciſſe intelliguntur, ut ſunt quinque iſtae ࠆ, ࠈ, ࠎ, ࠑ, ࠒ, tam vere et indubitanter ex Judaicis, ז, ט, ס, צ, ק, tanquam ἀρχετύποις ſint expreſſae, ut ambigi de hac earum origine non poſſit. (t) Oportet igitur, ut ſaltem hae quinque literae Judaeorum ſint Phoenicibus et Samaritanis origine priores.

Aliud diſceſſionis et novitatis in alphabetho illo Phoenicio, unde Samaritani ſuum derivarunt, praebent literae quaedam e conſonantibus in vocales converſae, more Graecorum. Tales ſunt literae ࠀ, ࠄ, ࠅ, ࠉ, ࠏ, quibus Graeci ſuas vocales α, ε, υ, ι, ο, ſubſtituerunt. Quod Samaritani juxta cum Phoenicibus, his literis paſſim pro vocalibus utantur, certiſſimum eſt. (u) Quare etiam Franc. Maſclefius, auctor *Grammaticae a punctis vocalibus liberae* has ipſas literas, nec non ſextam, ࠇ, a Graecis pariter in vocalem Η converſam, Hebraeis aſſignavit. (y) Sed uſus ille literarum vocalium a natura linguae Hebraicae eſt prorſus alienus, ut patet exemplo ceterarum orientalium quae cum illa ſororiam affinitatem colunt. Sunt igitur hae literae vocales novitiae et invita analogia linguae a Samaritanis admiſſae.

His adjungi poteſt argumentum, non quidem omni exceptione majus, nec ta-

(s) Phoenices olim, ut tradunt Plinius *Hiſt. Nat.* VII. 56. Plutarchus Sympoſ. VIII. Quaeſt. 3. non niſi XVI., vel XVII. literas habuerunt. Alias cum tempore Graeci adjecerunt de quibus Scaliger loco ſuperius laudato, et Chiſhul *Ant. Aſiat.* pag. 26.; alias a Syris et Judaeis acceperunt.

(t) Hoc cum luce clarius ſit, mire ſe torquet Edm. Chiſhul l. l. docens: fuiſſe quidem „ Hebraeis aeque ac Phoenicibus ab omni tempore ante transmigrationem Babylonicam duas „ et viginti literas: in eo autem numero cum א, ה, ו, י, ע et conſonae fuerint et vocales, „ eas pro decem habitas fuiſſe. (atque adeo habuiſſe tantum XVII. literas figura diverſas) „ Verum quia poſt reditum a Babylone introducta ſint puncta vocalia, ablatum ab his quin„ que literis fuiſſe vocalium officium: excidiſſe igitur priſco Hebraeorum alphabetho quin„ que literarum numerum: proinde, ut facer ille et antiquior earum numerus in integrum „ reſtitueretur, Inductas fuiſſe quinque ſecundarias ז, ט, ס, צ, ק. Quo vero melius ſanciretur „ novum hocce et magnum, ut adpellatum fuit, alphabethum, Maſorethas illud Pſalmis al„ phabethicis, ob id ipſum paululum mutatis, intertexuiſſe " Obſtat, praeter id quod diximus de natura et ingenio dialecti Hebraicae, quae non pauciores quam XXII. literas figura et poteſtate diverſas admittit, quod in Pſalmis illis alphabethicis, quorum aliqui non poſt, ſed longiſſime ante Capt. Babyl. compoſiti ſunt, velut Pſalmus XXXIV. et CXLV. literae alphabethi, et in his quinque illae ז, ט, ס, צ, ק, ipſis primis pericoparum vel στίχων vocabulis adeo innexae et intextae ſint, et ad eorum naturam et ſubſtantiam adeo pertineant, ut, niſi ab ipſis horum Pſalmorum auctoribus profectae ſint, apponi a Maſorethis, niſi per maximam vim et deſtructionem ſententiae inferendam, non potuerint.

(u) Sic ࠌࠀࠆࠉࠋ ſcribunt pro מֵאזֵל *ire*, ࠒࠅࠌ pro קָם vel ܩܡ *ſurrexit*, ࠃࠅࠓ pro דָר *habitavit.* In ceteris morem Judaeorum ſequuntur.

(y) Grammaticae laudatae cap. I.

P 2

Digitized by Google

tamen ſpernendum, quo jam Euſebius ex parte uſus eſt, *Praepar. Evang.* lib. X. c. 5. Hic, ut doceret Graecos etiam literas a barbaris accepiſſe, profert nomina literarum a Phoenicibus ad Graecos tranſmiſſa, eaque obſervat ab Hebraeis vel Syris profecta et ſingulis elementis ea ſignificationis poteſtate tributa eſſe, quam habent apud Hebraeos. Addimus, quod haec nomina ſint per quam antiqua; quippe a Phoenicibus ad Graecos tranſmiſſa, eoque fine inventa, ut vel ſonum et poteſtatem literarum, vel formam, vel utramque ſimul deſcribant. Quod ſi jam in iis nominibus quae formam literarum reſpiciunt, nulla reperiantur quae literis Phoeniciis et Samaritanis magis conveniant, quam Judaicis; aliqua vero Judaicis ita conveniant, ut Phoeniciis et Samaritanis adplicari nullo modo poſſint, ſequetur ſaltem formas illas literarum Judaicarum de quibus hoc obſervari poteſt, eſſe genuinas orientales et formis earundem literarum apud Phoenices et Samaritanos uſitatis antiquiores. Tales autem ſunt v. c. literae *vau*, *zain* et *caph*. Quis quaeſo in figura literae ࠅ *vau* apud Phoenices et Samaritanos, agnoſcat ſimilitudinem aut convenientiam aliquam, quae primos horum nominum inventores impulerit, ut literam eam hoc nomine inſignirent? aut Moſen, ut uncos adpellaret ווים in deſcriptione tabernaculi Exod. XXVII. 17. XXXVII. 35. 37.? Quis literam ࠆ *zain*, qualem eam Phoenices et Samaritani deformarunt, conferat cum gladiolo aut pugione? Quis denique in antiquiſſima eorum figura literae *caph* requirat volam manus, aut manum incurvam? nemo certe. Apparet ergo figuram harum literarum, qualis a Judaeis adhibetur, cum nominibus earum apprime convenire atque adeo antiquiſſimam eſſe. (z)

Quod ſpeciatim ad literas Samaritanas adtinet, quales eas in codicibus MSS. adhibent, et quales eas Blanchinius (*a*) et Morton (*b*) aeri incidi curarunt: has nemo viderit oportet, qui n agnoſcat eas ex Phoeniciis quidem profectas, ſed tamen multis modis auctas et depravatas eſſe; adeo quidem, ut, ſi cum literis Phoenicum et Graecis antiquis conferantur, ultro profiteri debeat, eas multum quantum ab illis mutatas eſſe. Mutatio autem illa, recentiori aetate ſuſcepta, cum literas Phoenicum non ad majorem ſimplicitatem reduxerit, ſed contra eas auctiores fecerit, argumento eſſe poteſt, Judaicas non ideo pro novis habendas eſſe, cum Cl. Kennicotto (*c*) quia Samaritanis ſunt ſimpliciores.

Haec

(z) Argumentum hoc pluribus exemplis illuſtravit Jac. Rhenferdius in Diſſ. *De antiquitate literar. Judaicar.* Operum Philol. pag. 225. ſeq. ſed modum exceſſit. Non minore tamen in exceſſu peccarunt illi qui nomina literarum omnia technica eſſe ajunt et meros ſonos, nec ullam cum figura elementi convenientiam habere, niſi ἀπὸ τύχης, quo pertinet Dav. Clericus *Quaeſt. ſacr.* pag. 59. quem hac in re ſequitur A. Schultenſius *Inſtit. ad fund. ling. Hebr.* pag. 10—12.

(*a*) In Appendice ad *Evangeliar. quadrup.* pag. DCIV. tab. II.

(*b*) In nova editione Tabulae Bernardi.

(*c*) *The ſtate of the printed text* Diſſ. II. pag. 156.

Haec cum ita ſint, et character ille Phoenicius ex quo Samaritani ſuum derivarunt, fuerit character quidam ſpecialis, multaque indicia mutationis et novitatis ſecum ferat, non immerito concludimus literas iſtas Phoenicias, e quibus Samaritanae procuſae ſunt, ipſasque adeo Samaritanas non poſſe pro Hebraicis antiquis haberi.

Quod ſi tamen in literis Phoenicum reliquiae quaedam et antiquiſſimae formae literarum Hebraicarum inveniendae ſunt, ut ſane fas eſt credere, et res et ratio jubent, non dubito eas potius in Oriente et continente, quam in Occidente quaerendas eſſe. Phoenices enim, obſervante Diodoro Siculo, (*d*) literas didicerunt a Syris, et formas earum mutarunt. Nec dubitandum eſt, quin character ille ex quo Judaei juxta cum ceteris orientalibus, Syris et Arabibus, ſuas literas derivarunt, potius fuerit in Oriente et continente adhibitus, quam in Occidente et in inſulis maris mediterranei. Huc ergo, ſi quae aliae, referendae ſunt literae Palmyrenae, quae in receſſu illo Syriae, in ruderibus et monumentis urbis quondam florentiſſimae, nunc penitus deſertae, ſed vaſto arenarum ambitu incluſae, hac noſtra memoria demum ex inſcriptionibus erutae et recte deſcriptae ſunt. (*e*) Hae literae non ſolum numero totidem ſunt, quot Judaicae, ſed etiam omnes conſonantes; nec literarum quieſcentium alia ratio aliusque in iis uſus eſt, quam apud Hebraeos. Quo magis autem has literas adtente conſidero, easque comparo cum Judaicis, hoc magis obſervo, eas cum his mirifice convenire, imo magis convenire quam Samaritanae conveniunt cum illis Phoeniciis e quibus originem ducunt. Nam non ſolum literae iſtae תעסטירבא quas jam Cl. Kennicottus agnoverat Judaicis ſimiliores eſſe, quam Samaritanis, (*f*) ſed etiam hae צכלטחזו et ש majorem convenientiam cum Judaicis habent, quam cum Samaritanis, uti cuilibet has inſcriptiones et literas inſpicienti palam eſſe debet. Sunt itaque etiam literae Judaicae ſimiles Phoenicibus; adeoque in tantum Hebraicae, in quantum Phoenices dici poſſunt veteres Hebraicas expreſſiſſe.

Quod ſi jam ea quae ſuperius dicta ſunt, cum his poſtremis in ſummam conferimus: ſi perpendimus literas Samaritanas ex talibus ἀρχετυποις deductas eſſe quae pro antiquis Hebraeorum literis haberi non poſſunt, imo ita deductas eſſe, ut multis modis ſint mutatae, Judaicas vero cum talibus Phoenicum literis convenire quarum uſus fuit in Oriente: atque in ſimplicitatem figurae earum vel ſtantis vel inverſae vel in latus reclinatae pleraſque literas orientalium, Syrorum et Arabum reſolvi, quotus quiſque eſt, quin videat literas Judaicas non adeo muſteas et novas eſſe ac Joſ. Scaliger aliique viri docti ſibi perſuaſerunt; Samaritanas vero Hebraicas veteres, quibus Mo-

ſes

(*d*) Vide ſupra pag. 117. not. b.
(*e*) Vid. Swinton. et Barthelemi locis ſupra laudatis pag. 118. not. h.
(*f*) Diſſ. laud. pag. 155.

Digitized by Google

ſes ceterique ſcriptores ſacri usque ad captivitatem Babylonicam uſi ſunt eſſe non poſſe? nec potius confiteatur eam palmam majori jure Judaicis tribui debere?

Reſtat, ut Briano Waltono reſpondeamus. Ad eum quando provocat Hubigantius, tanquam ſuae ſententiae vindicem, (*g*) non videtur ſuas merces ſatis exploraſſe. Argumenta, quibus Waltonus, poſt alios, (*h*) pro antiquitate characteris Samaritici hodierni militat, partim deſumta ſunt a nummis, quos vocant, Samaritanis, partim a quorundam Eccleſiae patrum et Judaeorum ambiguo teſtimonio. Quid ad haec reſponderint nonnulli ex noſtris, non vacat hic repetere. Sunt enim, ut verum fatear, haud paucae earum rationum, quibus utrinque pugnatur, vix caſſa nuce dignae. Hoc monere adtinet: pleroſque eorum nummorum qui Samaritani dicuntur, poſt ſolutam demum captivitatem ſignatos eſſe, quo tempore jus monetae cudendae Judaeis primum eſt permiſſum; idque ex pondere eorum (*i*) et titulo libertatis (*k*) aliisque rebus (*l*) adeo manifeſtum eſſe, ut, hac literarum luce, in dubium vocari non poſſit. Quod ſi ergo aliqui in iis reperiantur, qui nulla hujus temporis nota ſunt inſignes, ſtatuendum erit, eos vel ſpurios eſſe, (*m*) vel eodem pertinere; vel ſi captivitatem Babylonicam re vera antevertant, argumentum ab iis deſumptum plus probare, quam quidem erat probandum. Quando enim Judaei in his et illis nummis, iisdem et plane ſimilibus literis utuntur, nec unquam geminum characterem habuerunt, uti docet Waltonus, (*n*) ſequitur, ſi illae literae ſint veteres Hebraicae, quod Judaei literis Hebraicis aeque poſt reverſionem, Eſraeque aetatem, uſi ſint, quam ante, atque adeo uſum characteris aviti, tum temporis non abjecerint, ſequiturque utriusque generis nummos vel eodem pertinere, vel alterutros certe ſpurios eſſe. Sed tenendum eſt principes Haſmonaeos jus monetae cudendae a regibus Syriacis obtinuiſſe 1 Maccab. XIII. 41. 42. XV. 6. ea quidem tempeſtate qua Judaei amabant *Iſraelitae* vocari 1 Maccab. III. 35. IV. 11. 30. 31. Unde haud difficile eſt ad intelligendum, cur non ſolum hos nummos Iſraeliticos vocare voluerint, ſed etiam literis Phoenicum in iis ſignandis, potius quam ſuis, uti: ma-

(*g*) In *Prolegom.* III. §. 29——38. Vide ſupra pag. 112.

(*h*) Huc pertinet in primis L. Capellus *Diatriba de veris et antiquis Ebraeorum literis, oppoſita D. Joh. Buxtorfii de eodem argumento diſſertationi*, Amſt. 1645.

(*i*) Eam rem extra dubium collocavit Cl. J. D. Michaëlis. Comm. *de Siclo ante exilium Babylonicum* quae habetur in *Comment. Societ. Gotting.* tom. II. p. 63. ſeq.

(*k*) Conf. Ez. Spanhemius *De uſu et praeſt. num.* Diſſ. II. et Reland de *Nummis Samaritanis* Diſſ. I. II

(*l*) Quas vide apud Deilingium *Obſ. Sacr.* Part. III. p. 224. ſeq.

(*m*) Ut ſunt ſane plerique eorum qui Davidis et Salomonis nomina praeferunt, vid. Deiling pag. 228 —229.

(*n*) Prolegom. III. §. 34.

magis, quia nummi et literae Phoenicum in regionibus mari mediterraneo vicinis et olim, et tum temporis longe lateque valebant, nec ab Judaeis ignorabantur; et Tyrii atque Sidonii, uti multarum artium inventione et uſu, ita etiam aere ſignando, ejusque praeſtantia ceteris gentibus palmam praeripiebant. (*o*) Quod autem Phoenicum literis hi nummi ſignati ſint, patet quam clariſſime, ſi cum Tyriis et Sidoniis conferantur. Quemadmodum, nec abhorruiſſe principes Judaeos ab uſu characteris peregrini, colligitur exemplo Herodianorum, qui ſuos nummos literis Graecis notarunt. (*p*)

Tantam vero eſſe in re hujusmodi, quae ad remotiſſimam antiquitatem ſpectat, Eccleſiae patrum, Euſebii et Hieronymi, aut venerabilis Bedae auctoritatem, ut ea propter vadimonium deferam, nemo harum rerum peritus poſtulabit. Euſebii teſtimonium, quod extare ait in Chronico ad A. M. 4740. ſed refertur ad A. M. 3508. vel ad annum Abrahami 1558. jam labefactavit Spanhemius, (*q*) utpote in melioribus ejus codicibus non reperiundum. Nec patet obſcure auctorem ejus, quicunque demum fuerit, imponi ſibi paſſum eſſe a nugivendulo auctore librorum Eſrae Apocryphorum, (*r*) qui ſub finem ſeculi I. vel initium II. vixit.

De Hieronymo autem obſervo, in eo exiguam admodum fuiſſe notitiam literaturae orientalis, et (ſi vera ſunt quae, ſui oblitus, de ejus teſtimonio obſervat noſter), vel Pentateuchum Sam. cum Hebraico nunquam contuliſſe, (*s*) vel ſi rem hanc prorſus exploratam habuerit, eum de literis, quibus noſtri codices Samaritani exarati ſunt, non loqui. Obſervat enim in Com. ad Ezech. IX. antiquis Hebraeorum literis, quibus ejus tempore utantur

(*o*) Qua de re digna ſunt quae legantur verba Alcidamantis, quae laudavit Cel. Michaëlis in Comment. *de Siclo ante exilium Babylonicum* §. II. l. l. p. 44. 45. Νομίσματα δὲ οὐ Φοίνικες ἐξεῦρον; λογιώτατοι ϰ̀ σοφώτατοι ὄντες τ̃ βαρβάρων. Ἐξ ὁλοσφύρου γὰρ ἴσον μερισμὸν διείλοντο πρῶτοι χαράξαντες: ἵναδον εἰς τ̃ σταθμὸν τὸ πλεῖον ϰ̀ τὸ ἔλαττον. *Numismata vero nonne Phoenices invenerunt? ex barbaris ſapientiſſimi illi et prudentiſſimi? Ex maſſa enim aequalem menſuram diſtribuerunt, primique characterem addiderunt ponderi, ex quo quid plus minusve eſſet intelligeretur.*

(*p*) Vide illuſtriſſimi Comitis de Khevenhuller *Regum veterum numismata anecdota aut per rara, notis illuſtrata.* Viennae Auſt. 1752. pag. 60 ſeq. ubi talium numorum agmen quoddam recenſetur.

(*q*) Diſſ. cit. pag. 62 — 64. Poſtremam et praecipuam teſtimonii partem quam laudat Conringius *Paradoxis de Num. Hebr.* cap. VI. pag. 49. omiſit Joſ. Scaliger, non ſolum in *Chronicorum* Euſebii lib. I. pag 32. et lib. II. pag. 131. nec non in *animadverſionibus*, ſed etiam in Graecis Euſebianis, quae collegit e Syncello: manifeſto indicio quod aut penitus illam ignoraverit, aut non nimium ei tribuerit.

(*r*) Vide eum lib. II. qui vulgo quartus adpellatur, et confer cap. IV. 23. cum. XIV. 21. ſeq.

(*s*) Hoc probatur ex conceſſis: quod ſi enim utrosque codices contuliſſet, vix intelligitur qui affirmare potuiſſet a *Samaritanis pentateuchum Moſis tot literis ſcriptum eſſe, quot Hebraeus*, nempe eo ſenſu quo vult Hubigantius: *ut ab Hebr. codicibus eo tantum genere diſcrepent, quod Hebr. Codices litteris Chaldaicis exarati ſint, Samaritani autem Samariticis.* Cujus interpretamenti quomodo in mentem venerit Noſtro non expedio; cum Samaritani codices, jam Hieronymi

tur Samaritani *extremam Thau literam habere crucis ſimilitudinem*, quod nunc ſecus eſſe norunt omnes, ideoque a Scaligero, quamvis ex alieno principio, caſtigatum eſt. (*t*)

Idem de Origene tenendum, cujus teſtimonium produxit Montefalconius. (*u*) Joſ. Scaliger ad alium locum Origenis (*x*) non vidiſſe Origenem, docet, literas Samaritanas, ſed, quae habet de Thau, ex fide alie„ na recitaſſe; vel ſic tamen perſuaſiſſe Hieronymo, qui Com. in Ezech. „ IX. eadem de Thau recitaverit." Addimus quod ipſe Origenes, loco apud Montefalconium citato, diſertis verbis profiteatur, ſe eam rem ab aliis proditam accepiſſe. In mitiorem ſententiam concedit, et propius vero abeſt venerabilis Beda: (*y*) *Apud Hebraeos nullam eſſe hac de re dubitationem*, *Esram literas leviores excogitaſſe*, (hoc eſt, literarum Hebraicarum ruditatem, dedecus et tarditatem correxiſſe) *priores*, (puta ruſticanas illas et ſemiunciali pondere tardiſſime incedentes, quibus vulgus hominum utebatur) *Samaritanis reliquiſſe*. Quae opinio, uti nonnihil traxit ex vero, ita originem habet in verbis Esrae VII. 6.

Quod ad Judaeos adtinet, horum majores, quando de mutatis literis prioribus in Aſſyrias loquuntur, parum intellecti fuere a ſequacibus, multo minus ab auctoribus Chriſtianis. Suspicionem movere debebat, quod Judaei veteres de Aſſyriis loquantur, non item de Babylonicis, aut Chaldaicis; quod tamen erat neceſſum, ſi ea ſententia fuiſſent, quam ſibi fingit et inculcat Hubigantius, *nimirum Esdram Sacros codices*, *quos renovabat*, *Chaldaicis literis*, *quibus captivi Judaei adſueverant*, *transſcribi feciſſe*. Sed longe aliter Judaei. Hi cum Plinio (*z*) *literas ſemper arbitrantur Aſſyrias fuiſ-*

nymi aetate multum ab Hebraicis discrepaverint, ut obſervavit Morinus *Exerc. Sam.* III. c 1. et adfirmaverat ipſe Hubigantius in antecedentibus cap. I. art. 11. Hieronymus vero loquatur de numero literarum quem ejus tempore agnoscebant et Samaritani et Judaei, de numero, inquam, literarum alphabeti, non autem Pentateuchi; nec dicere potuerit utrumque Pentateuchum totidem verbis aut literis abſolvi, non pluribus vel paucioribus, uti patet vel ex Com. ejus in epiſtolam Pauli ad Gal. III. 10. *Maledictus omnis qui non permanſerit* etc. quibus verbis hanc obſervationem adſperſit: *quam ob cauſam Samaritanorum Hebraea volumina relegens*, *inveni* כל *quod interpretatur*, omnis, *ſive* omnibus, *ſcriptum eſſe*, *et cum ſeptuaginta interpretibus concordare*. Quamvis Hieronymus ea re falſus fuerit, cum putavit voculam כל in ſolis codicibus Samariticis Deut. XXVII. 26. reperiri. Noſtra memoria eam lectionem feliciter detexit et reſtituit diligentia et induſtria mirabilis clariſſimi B. Kennicotti, ut videri eſt in ejus ſchedismate *de ſtatu collationis Hebraicarum Codicum V. T. finito anno* 1763.

(*t*) Vid. Joſ. Scaliger *Animadv. ad Euſeb Chron.* pag. 109 qui tamen aſſerere non dubitat, *in numis Samaritanis easdem literas incuſas eſſe*, *quae in ſcriptis Samaritanorum leguntur*, *ſine ulla vel exigua mutatione*, qua de re confer Dav. Clericum *Quaeſt. Sacr.* VII, pag. 50 51.

(*u*) *Palaeogr. Graec.* pag. 119.

(*x*) *Animad. ad Euſeb Chron.* l. l.

(*y*) Apud Walton. *Prolegom.* III. §. 31.

(*z*) *Hiſt. Nat.* VII. 56.

fuiſſe: neque enim aſſerere verentur, his literis datam eſſe legem. (*a*) Quando igitur eas ſic dictas voluerunt, *quia aſcenderunt cum illis ex Aſſyria*, non de aſcenſu Judaeorum ex Babylonica, multo minus ex Aſſyriaca captivitate exaudiendi erant, (utpote in quam nec Judaei neque Esras deducti ſunt,) ſed de aſcenſu Hebraeorum vel Semi poſterorum ex Sinear vel Aſſyria, poſt deſtructam nempe turrim Babelicam et confuſionem linguarum Gen. X. 25. XI. 2. atque adeo de antiquiſſimis literis ſacris. Has ſtatuunt Esram Judaeis reducibus reſtituiſſe, poſtquam nempe variis modis corruptae et depravatae fuerint, *transfluviales* autem, et *Libaneſias*, hoc eſt, Syriacas, vel Phoenices reliquiſſe Samaritanis. (*b*) Deſino plura. Tu vero, Lector, confer iſta cum argumentis et teſtimoniis quae Waltonus et Capellus in contrariam partem protulerunt, cognosce, et arbitrare.

Samaritanum codicem, multis ſaeculis in Europa incognitum, antequàm compertum haberemus, multi eum viri docti deſiderabant. In primis Joſephus Scaliger, qui quidem de Europaeanorum negligentiâ deplorabat et graviter conquerebatur, qui cum non neſcirent eſſe in Palaeſtina codices Pentateuchi Samariticos, tamen eorum aliquos pecuniâ redimi et in Europam advehi parum curarent. Ecce verò ille Pentateuchus cum primum in Europâ lucem vidit, imo antequam lucem videret, vix primum Morinus, ejus poſtea editor, qualem reperiſſet, noſtros homines docuerat, cum in eum Pentateuchum quorumdam hominum clamores inſperati multi extiterunt. Etenim Morinus in ſuis ad eum Pentateuchum Exercitationibus *docebat, quam multa in eo reperiſſet ab hodiernis Hebraicis Codicibus diverſa, quamque melius diligentiusque deſcripta. Itaque non tulerunt hodiernorum Codicum laudatores. Videres alios Sam. illas membranas religioſe averſari, atque ab Hebraicae Linguae Candidatis longe arcere, alios irate aſpicere, furere, bacchari. Nam, ut ferunt Indicas aves, ſi cujus de grege illarum nigro collo album quid per luſum alligaveris, caeteras eam iratis oculis aſpicere, atque in eam rauco clangore impetum facere; ſic illi Sam. Pentateuchum, hodiernis codicibus non nihil discolorem quum viderent, agebant, rapiebant, discerpebant, clamoribus miris calumniisque proſcindebant. Tales fuere Taylor et Bootius, qui in Morinum furiata mente exarſerunt. Talis etiam junior Buxtorfius, qui eum Pentateuchum vocabat exoticum et profanum, quanquam is non tam iracunde agebat in Lud. Capellum qui eum Pentateuchum legitimae emendationis fontem credebat eſſe, quam in Morinum illi ſuperiores, qui quidem omnes. quoniam clamoribus ſuis, quanquam injuſtis, fecerunt, ut multorum animis ſuſpiciones de eo Pentateucho etiam nunc inſideant, faciendum nobis eſt, ut con-*

(*a*) Vid. Talm. Bab. in Gemara *Sanhedrin* fol. 21. col. 2. et fol. 22. col. 1. et Talm. Hieroſ. Gemara *Megilla* fol. 71. col. 2.
(*b*) In *Sanh.* l. c.

conqueſtiones de eo factas primum refellamus, poſtea expoſituri, quales ex eo emendationes promi poſſint; denique ex pluribus, quae in Europam allata ſunt, ejus Pentateuchi Exemplaribus, quodnam melioris eſſe notae judicemus.

Cum codex Samaritanus primum Europae innoteſceret, mirum non eſt, non omnes tanquam ſigno dato in ejus occurſum prodiiſſe, ac veluti novum aliquod ſidus cum veneratos eſſe, ſed contra fuiſſe multos qui, ut fere fit, cum reſpicerent tanquam exoticam vel *Indicam avem*, quibusque adeo in mentem veniret illud Poetae:

Quis docuit pſittacum ſuum χαιρε?

Quid enim? anne Samaritarum, quorum gens varia et mutabilis, non priſco Hebraeorum de ſanguine creta, ſed ex profana diverſorum populorum colluvie orta eſt, ut ſupra vidimus, (*c*) anne, inquam, Samaritarum in integritate Pentateuchi conſervanda curam et induſtriam tanti facerent, ut ea propter vadimonium deſererent, et codices Judaicos ultro e manibus excuterent? Quando autem aliqui, cauſa nondum, aut non ſatis cognita, neque inſpecto codice Samaritico, ejus lectiones omnes eodem loco habere et tanquam rem nullius bonae frugis damnare et averſari ſuſtinuerunt, modum procul dubio exceſſerunt, nec ſua bona noverunt. Eſt enim plane ſingulare, imo illuſtriſſimum divinae providentiae documentum, cum gens Samaritana, poſt tantos caſus et rerum diſcrimina nondum penitus extincta, (*d*) neque odii veteris adverſus Judaeos oblita, (*e*) et multarum legum multo melior interpres, quam ſunt Judaei (*f*): tum ille ipſe codex Samaritanus; quippe qui in illis locis in quibus cum Judaico conſpirat, teſtimonium fert fide dignius, quo magis ab hoſte proficiſcitur, in multis autem lectionem vulgarem aliqua differentia illuſtrat, in aliis vero confirmat etiam vitio ſuo et interpolatorum mentiendi libidine. Tantum igitur abeſt, ut eorum judicium probem qui codicem Sa-

(*c*) Pag 113. not. *e*.

(*d*) Conferri merentur Rob. Huntingtoni epiſtolae ab Th. Smith editae, num. XXXIII. quae eſt ad Jobum Ludolfum, pag 47, 48. Idem epiſtola XXXVI. ad eundem pag. 58 *Optimum revera, quod ais, adhibent teſtimonium pauperes iſti Samaritani contra Atheos, ſeu Deiſtas potius, uti nunc audiunt, pro divina auctoritate Legis ſeu Pentateuchi. Et non ſine providentia factum eſt, quod infideles homines opiniones hasce evulgaverint ante exterminium hujus miſerrimae gentis, quod jam appropinquare credo.* Adde, ſi lubet, Huetium *Demonſt. Evang.* Prop. IV. c. 2. § 4. et Ludolfum in Praef. *Epiſtolis Sichemitarum* praemiſſa.

(*e*) Teſtes ſunt eorum epiſtolae ad Joſ. Scaligerum et Job Ludolfum datae. Illas vertit Morinus, editaeque ſunt in *Antiquitatibus. Eccl. Orient. Claror. Viror. epiſtolis illuſtratis* pag. 119 — 131. Has vertit ipſe Ludolfus, vulgavitque Chriſtoph. Cellarius, Cizae 1688.

(*f*) Eam rem variis exemplis demonſtravit Hadr. Relandus *Diſſ. Miſcell.* VII. quae eſt *de Samaritanis*.

Samaritanum univerſum damnarunt, praeſertim non inſpectum, nec examinatum (neque enim cum improbae quaedam ſint merces, ideo jactantur omnes) ut contra exiſtimem, habere Chriſtianos in eo plurimum de quo (*g*) exultent et ſuo jure ſibi gratulentur. Quanquam vel ſic tamen negem nunc dicam ſcribi his auctoribus poſſe quos Hubigantius nominatim expreſſit; quia non ante ad confutandas lectiones Samaritanas acceſſerunt, quam Jo. Morinus in ſuis ad Pentateuchum Samaritanum exercitationibus, nec non in praefatione ad LXX. interpretes, eorum ſat luculenta ſpecimina dederat, et auctoritatem ejus ſupra codicem Judaicum multis nominibus et modis extulerat: imo poſtquam Joſ. Scaliger conceptis verbis pronunciaverat, (*h*) *tantum abeſſe, ut aliquid aſſuerint Pentateucho Samaritani, ut totidem literis, quot Judaei, ſcriptum habeant*; quamvis Joſ. Scaliger tum temporis cum iſta ſcriberet, nullum codicem Samariticum oculis luſtraviſſet.

§. I. *Refelluntur ea, quae in Sam. Pentateuchum dicta ſunt à viris quibusdam doctis.*

Sam. Pentateuchi alii originem ſuſpectam habent; alii ejus ipſum, in quo eum nunc habemus, ſtatum incuſant.

Originem quidem Grotius (*i*) *ferè adulterinam ſtatuebat. Nimirum ſic aiebat*, Samaritani quos nunc habemus Codices facti ſunt ad Graeca Exemplaria, ex quo Samaritani ab Juſtiniano coacti ſunt ſuſcipere Chriſtianismum. *Nos breviter ſic reſpondemus: An Samaritani Graeca Exemplaria ut normam ſuorum Codicum deſcribendorum habuerint, viderit ipſe Grotius, qui rem nullo idoneo teſte firmatam, ut certam ſumebat. Deinde dicimus et aſſirmamus, Samaritanos, ſi Graecorum ad verſionem Interpretum ſuos Codices accommodaſſent, neque Garizim montem in locum montis Hebal, Deut. Cap. 27. ℣. 4. fuiſſe ſuppoſituros, neque verſus non paucos, qui quidem apud Graecorum Intt. verſionem non extant, fuiſſe deſcripturos, neque alia quaedam, quae apud eosdem leguntur, hodiernis in Codicibus non leguntur, fuiſſe praetermiſſuros, nec denique alia non pauca longè aliter, quam Graeca in verſione narrantur, fuiſſe narraturos.*

Facile quidem concedimus et Hubigantio atque Waltono (*k*) largimur II. Grotium l. l. originem convenientiae quae obſervatur inter hodiernam lectionem Samaritanam et exemplaria Graeca nimis deprimere, quando eam deri-

(*g*) Conf. cl. Schwartzii Exerc. III. *De praeſtantia et uſu utriusque Pentateuchi Sam.* Wittenb. 1755.

(*h*) *De Emend. temp.* lib. VII. pag. 621. in fine.

(*i*) Ad Lev. XVII. 4.

(*k*) Praefat. ad *Introductionem in linguas orientales.*

derivat a temporibus Juſtiniani. Etſi enim Procopius auctor eſt (*l*) Juſtinianum pleroſque Samaritanos ad Chriſti ſacra traduxiſſe, extentque odii hujus imperatoris in ſectam Samaritanorum ſat clara monumenta, (*m*) nihil tamen alicubi memoriae proditum legitur, de mutatis, tum temporis ad Graecam verſionem codicibus Samaritanis. Deinde, quod Pentateuchus Samaritanus haud raro cum Graecis codicibus conveniat, ubi Graeca verſio ab Judaeorum Pentateucho diſcrepat, id vero jam ante Juſtiniani tempora, quibusdam Patribus velut Hieronymo, Euſebio aliiſque obſervatum eſt; (*n*) atque adeo temporibus hujus imperatoris demum factum eſſe, dici non poteſt.

Quod tamen addit Noſter: *Samaritanos, ſi Graecorum ad verſionem interpretum ſuos codices adcommodaſſent, neque Garizim montem in locum Hebal Deut.* XXVII. 4. *fuiſſe ſuppoſituros, neque verſus non paucos, qui quidem apud Graecorum Intt. verſionem non extant, fuiſſe deſcripturos* etc. id vero argumentum vehementer claudicat. Qui enim ad codicem vel verſionem aliquam ſuos codices unquam refinxerunt, non omnia ſimul cum pulviſculo in eos codices tranſtulerunt. Exemplo ſint Chriſtiani orientales, qui ob commercium cum Latinis cultum, aliasque ob cauſas, contextum Graecum N. T. ex Vulgata nonnunquam interpolarunt; (*o*) nec tamen ideo eam verſionem ſecuti ſunt in omnibus. Similiter Samaritani, etſi ipſis cauſae ſuppeterent, ob quas ſuos codices haud raro verſioni Graecae adcommodarent, tamen idem ut facerent in locis omnibus, nec neceſſarium ducebant eſſe, nec conſultum. Et habuerunt procul dubio notiſſimae illius mutationis Deut. XXVII. 4. ſuſceptae, qua montem Garizim in vicem montis Ebal ſubſtituerunt, hanc rationem, ut cultui ſacro in illo monte inſtituendo colorem quaererent et auctoritatem. (*p*) Quemadmodum cauſae ipſis non defuerunt, ob quas, progreſſu temporis, verſus haud paucos quos nec Hebraica, nec Graeca habent exemplaria, deſcriberent, et contextui Moſis infercirent, aliasque mutationes ſuſciperent, de quibus infra ſumus dicturi.

Ceterum quod ad conſenſum Samaritanorum cum Graecis adtinet, non opus eſt, ut eum cum Noſtro aliiſque ex eo derivemus quod verſio Graeca Pentateuchi ab origine ex codice Samaritano ſit expreſſa; quia ut Samaritani codices ſuos ad verſionem Graecam refingerent, invaleſcente per Orientem Graecorum imperio uſuque Graeci idiomatis, tam facile fieri potuit, quam ut ver-

(*l*) *De aedificiis Juſtiniani* lib. v. c. 7.

(*m*) Vide Cellarium Diſſ. vi. *de Gentis Sam. hiſtoria et ceremoniis* §. 28. Hotting. *Hiſt. Eccl. N. T.* pag. 140. 142. et Reland. *Palaeſt.* pag. 673. 1009.

(*n*) Exempla ſunt apud Morinum *Exerc. in Pent. Sam.* III. et IV. et Walton. *Proleg.* XI. §. I.

(*o*) Adi, ſi vis, Cl. Semleri notas ad Wetſtenii *Prolegomena*, ipſumque Wetſtenium pag. 51, 52, 53, 72, 73.

(*p*) Contrarium defendit, et, contra omnium Criticorum ſententiam, lectionem codicis Samaritani veram et probandam eſſe contendit Cl. Kennicottus *The ſtate of the printed Hebr. text* Diſſ. II. cap. I. ſed non feliciſſimo ſuo ſucceſſu.

verſio Graeca ex codicibus Samaritanis interpolaretur. Primo enim multi Samaritani a Ptolemaeo Lagi, eadem feralis belli alea in Aegyptum deducti ſunt (*q*), ibique ab eo tempore diutiſſime permanſerunt (*r*). Deinde Hyrcanus templum et rempublicam Samaritanorum evertit, deleta etiam funditus urbe Samaria. (*s*) Quibus rebus, quemadmodum et perpetua cum Graecis converſatione, fieri aliter non potuit, quam ut plerique eorum non ſolum linguam Graecam addiſcerent, ſed etiam uſum idiomatis aviti usque adeo dediſcerent, ut neceſſum ipſis eſſet Pentateuchum Graecum adhibere. Qua in rerum ἀκμῇ cum perquam commode ad manum ipſis eſſet verſio Graeca Alexandrina, ob ſtudium ampliandi et declarandi ſenſus cum Samaritano textu paſſim conveniens, et praejudicio hujus gentis ſubinde favens (*t*); addo etiam, in promovendis litibus et contentionibus cum Judaeis, atque ad ineundam gratiam apud reges Aegyptios, adprime utilis, non dubito eos hanc verſionem ad amuſſim ſui Pentateuchi aliquantulum mutandam, in uſum vocasſe. Quale conſilium cum ceteris Samaritanis minime diſpliceret, odio Judaeorum Palaeſtinorum apud quos verſio illa male audiebat, ecquid factu facilius, quam ut non ſolum Pentateuchus Hebraicus, ſed etiam atque inprimis verſio Samaritana ex ea interpolarentur?

Quod etiam Samaritani propriam et peculiarem verſionem Graecam habuerint, etſi a nonnullis in dubium vocatum fuit, (*u*) negari tamen non poteſt. Sane vero, qui ſpecimina lectionum ex *Samaritano* hauſta quae paſſim apud Patres, et in Hexaplis Origenis, nec non apud Scholiaſten Graecum verſionis Alexandrinae leguntur, (*x*) paulo propius inſpexerit, et cum codice et verſione Samaritana contulerit, eum minime dubito mecum agniturum eſſe, non verſionem Samaritanam, multo minus Pentateuchum Hebraicum qualem habent Samaritani, his allegationibus innui, ſed verſionem Graecam ab Alexandrina diverſam et paulo liberiorem: ne nunc dicam quod ab Origene Graecisque Patribus vix exſpectari poſſit, ut ipſos codices Samaritanos inſpicerent, ex iisque ſua ſcholia peterent. Verſio autem Graeca Samaritanorum cum, ſive per errorem, ſive per invidiam et aemulationem, quae poſt conditum templum Oniae inter Judaeos Aegyptios et Palaeſtinos exarſit, ſive alia de cauſa, ad deſcribendam verſionem Alexandri-

(*q*) Ut docet Joſeph. *Ant* XII. 1.
(*r*) Vid. Scaliger de *Emend. temp.* VII. pag. 621, 622.
(*s*) Joſeph. *Ant.* XIII. 9, 13.
(*t*) Exemplum eſt Gen. II. 2. ubi Graeci aeque diem ſextum in textum intruſerunt, atque Samaritani.
(*u*) Hos vid. apud Carpzovium *Critic. ſacr.* part. II. c. IV. § 3. Adde Humphr. Prideaux *Connex. Vet. et N. T.* lib. VI. p. m. 477. et Montfaucon. *Hexapl. Orig.* tom. I. *Praelim.* cap. I. n. IX.
(*x*) Horum aliqua dedit Hotting. *Exercit. Antimor.* §. XXV. pag. 30, 31, 32. Plura vide in notis Fl. Nobilii quae habentur *Appendice*, ſive tom. VI. *Biblior. Polyglott. Anglic.*

drinam adhiberetur, (y) facile efficere potuit, ut codices Graeci Judaeorum in multis locis ſimiles fierent codicibus Samaritanis.

Noviſſimam et, ut videtur, praecipuam occaſionem convenientiae inter Graecos et Samaritanos codices dedit Origenis labor, cujus obeli et aſteriſci cum poſthaec a librariis negligerentur, facile fieri potuit, ut Samaritanorum verſio cum ceteris, et veteri quidem Alexandrina permiſceretur. (z)

Alii, magnam partem, credidere, Samaritanos ſuum Pentateuchum exegiſſe, non quidem ad Graecam Verſionem, ſed Hebr. ad Codicem aliquem unum, qui poſt Esdram fuiſſet exaratus, quique ſimilitudinem multam cum illis Codicibus haberet, quos Graeci Intt. Graece convertebant; atque inde accidiſſe, ut quaedam ſimilia ſint apud Graecos et apud Samaritanos, quae eadem Hodiernis Codicibus diſſimilia eſſe reperiantur. Quibus ſic reſpondetur: Primum quod non negant, et quod ſumunt extitiſſe olim, Hebraicum Codicem quemdam, quem Graeci et Samaritani cum ſequerentur, ab Hodiernis Codicibus aliquando longe abirent, eo ipſo fatentur, non ſemper fuiſſe unas easdemque Hebr. Codicum Scripturas, non igitur ea propter repudiandum fore Sam. Pentateuchum, quod ſcriptiones in eo quasdam reperiamus ab hodiernorum ſcriptionibus differentes. Deinde ex Samaritanorum Graecorumque ſimilitudine non bene colligi, ad Graecorum Intt. Codicis Hebraici normam deſcriptos fuiſſe Codices Samaritanorum; cum contrariam in partem, ex utrorumque ſimilitudine confici liceret, ad Sam. Pentateuchi normam, ſuam Verſionem Graecos Intt. expreſſiſſe, itaque eam argumentationem, vulgaris cum ſit, aptaque in utramque partem, eſſe omnino abjiciendam. Praeterea ſimilitudinem eam, quae ſaepe reperitur eſſe Graecos inter et Samaritanos, non alia videri ex cauſa natam quam temporum ex ipſa utrorumque vicinitate. Nimirum Pentateuchum ſuum Samaritani deſcripſere paucis annis poſt primam Judaeorum captivitatem: Verſionem ſuam Graeci Intt. compoſuere non multis annis poſt ſecundam; itaque tempora ſatis vicina cum ſint, non eſſe mirabile, Codicum utrorumque fuiſſe ſimilitudinem ſatis magnam. Denique, cum Judaei et Samaritani ſuos quique Codices haberent, abs re fingi unos ex aliis ſuum deſcripſiſſe Pentateuchum. Et vero etiam Sacra ipſa Monumenta contra teſtantur, in quibus narratur, jam inde ab Aſſaradon, *quo imperante decem Tribuum fuit facta captivitas, Chutaeos, ſive Samaritanos, veri Dei cultum habuiſſe. Etenim Dei veri cultum Samaritani tenere non potuerunt; niſi Legem haberent, qua Lege eum cultum docerentur; neque habere eam Legem poſſent, niſi eandem ex Codi-*

(y) Quod Judaei Alexandrini per odium et invidiam data opera ſcripturam Graecam ad Samaritarorum codicem adtemperaverint, conceptis verbis affirmat R. Aſarias in *Meor. Enajim* fol. 36. col. 1.

(z) Conf. Hotting. *Theſ. Phil.* pag. 303—305. His aliisque de cauſis, de quibus infra,

dicibus iis, qui ante Babylonis captivitatem ſcripti eſſent, transſcripſiſſent. Ut ſole ſit clarius, Sam Pentateucham non fuiſſe aliquo ex Hebraico Codice Esdrae ſuppari deſcriptum.

Patet Criticum noſtrum hoc velle: Samaritanorum codices ideo cum Graecis in multis convenire, diſcrepare autem a Judaicis hodiernis, quia utrique, et Samaritani et Graeci codicem deſcripſerint ab illis codicibus diverſum quos Judaei deſcribebant. Non igitur ea propter repudiandum fore Pentateuchum Samaritanum, quia ſcriptiones in eo quaſdam reperiamus ab hodiernorum codicum ſcriptionibus differentes. Hoc fine ſententiam proponit utcumque collectam ex verbis Waltoni (*a*) qui, ut obviam iret Eyrio in epiſtola ad Uſſerium, (*b*) errores incuſanti quos commiſerint Samaritani ex ſimilitudine literarum Judaicarum, reſpondet, „ Samaritanos ſuos codices „ antiquos conferre potuiſſe cum aliis Aſſyriaco charactere conſcriptis, quos „ Manaſſes aliique Sacerdotes ad eos detuliſſent, et hinc fortaſſe in literis ſimilibus varietatem illam oriri potuiſſe. Quod autem cum Graecis in quibusdam conveniat codex Sam. ubi Graeca verſio ab Hebraica diſcrepat, „ hoc potius probare Hebraicos codices in minutiis quibusdam diſcrepaſſe, „ et LXX. unam lectionem ſecutos eſſe, Maſorethas alteram." Ex quibus Waltoni verbis aliquanto mutatis, et in rem ſuam converſis, cum varia mox conſectaria eliciat et per partes proponat, quae noſtram adtentionem merentur, operae pretium erit obſervare:

Primo, ſi Samaritani atque Graeci eundem codicem Hebraicum ſecuti ſint, tum vero aut Samaritanos, aut Graecos a vera et genuina hujus codicis lectione haud parum aberraſſe. Itaque aut Samaritanos accuſandos eſſe, quod multa adſperſerint quae in codicibus Hebraicis quibus Graeci cum illis utebantur, non reperiebantur, aut Graecos, quod neglexerint ea deſcribere quae a Samaritanis deſcribebantur, aut vero codices Hebraicos e quibus Samaritani et Graeci ſuos deſcripſerunt, etſi in haud paucis convenerint, tamen non uno alterove in loco, ſed multis nominibus fuiſſe diverſos; atque adeo dici non poſſe Graecos et Samaritanos eundem codicem fuiſſe ſecutos, niſi adfirmemus lacinias iſtas longiores quas habet codex Samaritanus quosque non agnoscunt Graeci interpretes, eſſe Pentateucho Hebraico ſequiori aevo a Samaritanis perperam adſutas. Quod ſi autem diverſitas codicum Samaritanorum et Graecorum non transſcribendâ ſit codicum quos deſcripſerunt utrique diverſitati, multo minus diverſitas ambo-

fra, aſſentiri non poſſum Cl. Haſſencampio, in Commentatione quadam *De Pentateucho LXX. interpretum Graeco non ex Hebraeo, ſed ex Samaritano textu converſo*, Marburgi edita. 1765. contrarium defendenti.

(*a*) *Prolegom.* XI. §. 12.

(*b*) Londini ab Uſſerio edita 1652. pag. 30. 31.

borum a codicibus Judaicis derivanda erit ex eo, *quod non ſemper eaedem Hebraicorum codicum fuerint ſcripturae;* quia codices Hebraici plerumque in iis multis conſpirant cum Graecis, in quibus Graeci a Samaritanis diſcrepant, et Graeci atque Samaritani in lectione codicum Judaicorum, tanquam in uno aliquo tertio conveniunt.

Quemadmodum autem nemo eam ſolam ob cauſam Pentateuchum Sam. repudiaverit, quod ſcriptiones in eo quaedam reperiuntur ab hodiernorum codicum lectione differentes; ita haud ſpero facile aliquem futurum qui ea propter Samaritanum Judaico praetulerit, quod ab hoc poſtremo diſcrepet. Quare videndum erit, quis horum duorum a recti tramite receſſerit, vel interpolatus fuerit, quod poſtremum utique de Samaritano dicendum erit, ſi conſtet, eum ex Judaico fuiſſe deſcriptum.

Deinde, ex ſola quidem Samaritanorum Graecorumque codicum ſimilitudine non bene colligi quod codices Samaritani deſcripti ſint ad normam ejusdem codicis quo uſi ſunt Graeci interpretes; quia haec convenientia, quae nec abſoluta eſt, nec univerſalis, ex codicum utrorumque collatione oriri potuit: ſed tamen *contrariam in partem, ex utrorumque ſimilitudine non confici licere, ad Sam. Pentateuchi*, qualis nunc eſt, *normam, ſuam verſionem Graecos interpretes expresſisſe;* quia haud immerito mirum videri et ſummo jure quaeri poterat, cur non Graeci Samaritanos ſecuti ſint in tot laciniis inſerciendis, aliisque rebus, velut in ordine quarundam pericoparum, et Chronologia conſtituenda (*c*), cum hi interpretes a ſtudio textus ampliandi caeteroquin minime fuerint alieni: atque adeo hanc argumentationem nec *aptam eſſe in utramque partem, neque omnino abjiciendam.*

Praeterea, ſimilitudinem eam quae ſaepe reperitur eſſe inter Graecos et Sam. codices, non potuiſſe enaſci *ex temporum ipſa utrorumque vicinitate*, ſi Samaritani Pentateuchum ſuum deſcripſerint *paucis annis poſt primam Judaeorum captivitatem; verſionem autem ſuam compoſuerint Graeci interpretes non multis annis poſt ſecundam.* Cum enim prima Judaeorum captivitas acciderit ante Chriſti nativitatem, anno DCVI. Alexandrini vero verſionem ſuam Pentateuchi, ſecundum plerorumque ſententiam, concinnare inceperint anno circiter tertio aut quarto Olympiadis CXXIII. vel ad ſummum anno CCLXXXV. vel CCLXXXVI. (*d*) ante C. N. ſequitur intervallum inter concinnatam verſionem Graecam et deſcriptum codicem Sam. eſſe plusquam CCC. annorum.

Denique, cum Judaei et Samaritani ſuos quique codices habuerint, non ideo abs re fingi unos ex aliis ſuum deſcripſiſſe Pentateuchum, niſi probetur differentiam quae inter utrosque intercedit, vel ab antiquiſſimo tempore obtinuiſſe, vel introductam eſſe ab Judaeis; quia Samaritani ſuos codices

(*c*) Cujus rei exempla dedit ipſe Hubigantius in notis ad Gen. XI.
(*d*) Vid. Hodius *de Bibl. text. original.* lib. II. c. 2. §. 2.

dices interpolare potuerunt poſtquam eos ex Judaicis deſcripſerunt, hoc eſt, poſt tempora exſtructi templi Garizimitani.

Achillaeum vulgo, etiam a noſtratibus, cenſeri ſolet argumentum quod pro antiquitate ultima codicis Samaritani allegatur, videlicet Samaritanos tempore Aſaraddonis (Hubigantius eo imperante decem tribuum eſſe factam captivitatem arbitratur) veri Dei cultum habuiſſe, adeoque ſine lege eſſe non potuiſſe. Juvat itaque paucis oſtendere quo usque dici poſſint Chutaei Deum coluiſſe tempore Aſaraddonis, et quaenam hujus cultus fuerit ratio, deinde vero disquirere an neceſſum ſit ſtatuere eos Pentateuchum habuiſſe.

Quandoquidem coloni quos Salmanaſſar ex diverſis ſui regni provinciis in Samariam deduxerat a leonibus vexabantur, opinio eos inceſſit, habere ſe numen tutelare iſtius regionis iratum; (exiſtimabant enim hae gentes ſingulis regionibus peculiares praeeſſe Deos 1 Reg. XX. 23. II Reg. XVIII. 35.) atque adeo illud placandum eſſe et inter domeſtica numina venerandum II Reg. XVII. 25. ſeq. Itaque notum faciunt regi, ſe edoceri velle משפט אלהי הארץ vſ. 26. 27. Vertimus ad vim uſumque vocabuli משפט apud ſacrum Scriptorem: *quis*, vel *qualis ſit Deus regionis et quo praecipuo ritu coli velit.* (e) Atque obiter notamus: ſi Samaritani deſiderium habuiſſent veri Dei cultus cognoscendi qualem Moſes tradidit, et Judaei obſervabant, nil neceſſum fuiſſe, ut ſe ad regem Aſſyrium converterent, ſed potuiſſe etiam in Palaeſtina per Judaeos voti ſui compotes fieri. Scire ergo ſatagunt, quaenam ante ea fuerit ratio cultus divini in ea quam habitabant regione, cupiuntque eum edoceri ab quodam ejus miniſtro. His eorum votis rex annuens, mittit Sacerdotem ex numero captivorum, qui in Bethel, tanquam priſco religionis emporio, ſedem figit, traditurus quis et quomodo colendus ſit Deus hujus regionis. De hujus itaque Sacerdotis Theologica inſtitutione, tantum abeſt, ut magnifice ſentiam, ut potius credam, eum ſub ſpecie verae religionis reſtaurandae, vitulos et altaria poſtliminio reſtituiſſe: vel ſi quid bonae frugis habuit ejus inſtitutio, ad ſummum veri Dei exiſtentiam, potentiam et providentiam inculcaſſe; quae ſententia eſt Abarbanelis in commentario ad hunc locum. Neque hoc obſcure colligitur ex eo, quia nil memoriae proditum legitur de reſtitutis tum temporis purioribus ſacris, nec alius fuit hujus ſcholae fructus vel effectus, niſi ut *Jehovam revererentur et ſimul Deos ſuos.* vſ. 33.

Quis vero credat, ad hoc genus inſtitutionis neceſſarium fuiſſe Pentateuchum, quod poterat vel nuda orali inſtitutione, vel ad ſummum aliquot excerptis Pentateuchi Moſaici abſolvi, nec magis peti debebat ex volumine Moſis, quam ex aliis libris ſacris, qui tum temporis extabant? Et quod dico

(e) Conf. II Reg. I. 7. et II Reg. XVII. 28.

dico ex volumine Moſis? ſi ſcopus fuit Sacerdotis, cultum antiquum vitulorum reſtituere et excelſa permittere, quis eſt, qui non ultro animadvertit, Pentateuchum ipſi potius fuiſſe negligendum aut abſcondendum, quam ex latebris extrahendum? Objicit quidem Waltonus (f) Samaritanos Esr. IV. 2. dicere *ſe Deo Sacrificaſſe a diebus Eſſarhaddon*, ſed quaeritur num recte ſacrificaverint, et ad amuſſim legis Moſis. Vel ſi quis malit legere, *non Sacrificaſſe aliis Diis*, putidiſſimum erit mendacium, quod patet ex II Reg. XVII. 34. ubi dicuntur Sacrificaſſe Deo et aliis Diis *usque ad diem hunc*, hoc eſt, usque ad ſolutam captivitatem Judaeorum Babylonicam. Opponitur etiam: fuiſſe in terris Iſraelitarum poſt deportationem decem tribuum nonnullos avitae Hebraeorum religioni deditos. Verum hi ſuſceperant reformationem Joſiae, et Hieroſolymam divini cultus gratia ſe conferebant, II Chron. XXXIV. XXXV. quare etiam poſt reditum Judaeorum cum his faciebant, ipſi Samaritanis infenſi, Nehem. IV. 12. Nec obſtat, quod calamitas per leones immiſſa, paulo poſt ceſſaverit, ut fas eſt credere. Potuit enim Deus hoc beneficium colonis iſtis indulſiſſe, quia licet eum colerent non recte, tamen minus peccabant, quam ſi eum penitus non coluiſſent. Non abſurde igitur R. Simon *Hiſt. Crit. V. T.* lib. I. c. 10. *Pro certo penitus adfirmari nequit Cuthaeos alioſve populos qui recens Samariam incolebant, Moſaicae legis ſtatim exemplaria habuiſſe. Sacerdos enim ad eos miſſus docere eam cum ſuis ceremoniis potuit, absque eo quod ipſius apographa ipſis communicaret, quippe quam minime intellexiſſent, utpote lingua ipſius incognita, ignotis plane characteribus ſcriptam.*

Tamen opponitur, Chutaeos, ſive Samaritanos, ad usque Esdrae aetatem neſciviſſe Hebraice; non igitur Hebraeorum codicem tum deſcripſiſſe. Reſpondetur, ſine ratione affirmari Chutaeos Hebraicam Linguam diu ignoraviſſe. Nam poſtquam Chutaei Samariam venerant, in qua urbe Hebraica Lingua etiam tunc vigebat, vix poterant quin eam perdiſcerent, ne nullam haberent cum regionis incolis ſocietatem. Si quis nos, qui Galli ſumus, in Angliam ultimam deportaret, in perpetuum ibi manſuros, non diu negligeremus diſcere Anglicam Linguam. Praeterea, quoniam Chutaei a leonibus et ab urſis devorarentur, propterea quod legem Moſis non obſervarent, maxime credibile eſt eos Linguam illam, qua Linguâ Moſis Lex ſcripta eſſet, non diu neglexiſſe, imo eos magno ſtudio et voluntate fuiſſe ad eam perdiſcendam. Quod quamvis non feciſſent, (1) *nemo neſcit ſcribas ea ſaepe deſcribere quae non intelligant.*

Ob-

(f) *Prologom.* l. l.

(1) Nemo neſcit Scribas ea ſaepe deſcribere, quae non intelligant. *Hoc a nobis in eam partem dicitur, ut probemus Samaritanos non propterea non deſcripſiſſe Hebr. codicem legis, quia Li-*

Objectioni quam in medium proponit Hubigantius, anſam dediſſe videntur, cum aliorum, tum inprimis Rich. Simonii verba quae paulo ante allegavimus, ut quem aperte refutat paulo inferius. Quod ad eam reſpondet, vix fieri potuiſſe, quin Chutaei linguam Hebraicam perdiſcerent, ne nullam haberent cum regionis incolis ſocietatem, id vero ejusmodi eſt, ut ſi cum hiſtoria iſtius temporis et monumentis ſacris conferatur, ultro dilabatur. Principio enim, quis neſcit, quam poſt abductum a Salmanaſſare in captivitatem populum Iſraeliticum pauci fuerint incolae Samariae? Quis neſcit, cum Hiskias reformationem ſuſciperet, Iſraelitas vocari *reliquias quas reliquas fecerint reges Aſſyriae Phul et Tiglat Pilleſer* II Chron. XXX. 6. poſt noviſſimam vero Salmanaſſaris expeditionem et captam Samariam, nil reſiduum fuiſſe praeter *ſolam tribum Juda* II Reg. XVII. 18. 20. Jeſ. VII. 8.

Quod ſpeciatim ad Samariam attinet, eam certum eſt, eo tempore trium annorum obſidionem toleraſſe II Reg. XVII. 5. urbesque Iſraeliticas poſt illam tempeſtatem adpellari *vaſtitates*, II Chron. XXXIV. 6. Quod poſtremum, etſi non ita intelligendum eſt, ac ſi nulli omnino, temporibus Joſiae, in iis reperiundi fuiſſent cives vel incolae, tamen manifeſto indicio eſt, pauciſſimos inibi repertos eſſe veteres colonos, easque urbes, adſpectu Iſraelitarum quorum pauciſſimi in iis habitabant, recte dictas eſſe deſolatas. (*g*) Addimus, quod in agris multiplicati ſint leones ob ſolitudinem, II Reg. XVII. 25. Quae quidem omnia, cum paucitatem civium in terris Iſraeliticis clariſſime demonſtrent, nemo erit, puto, qui ſibi perſuaderi patiatur, multitudinem colonorum, quam rex Aſſyriae ex diverſis regni ſui provinciis in eas deduxerat II Reg. XVII. 24. iis pauculis Iſraelitis, quos in iis offenderant, usque adeo obtemperare et morem gerere voluiſſe, ut eorum ultro addiſcerent idioma, non, vice verſa, linguam qua ipſi utebantur, cum Iſraelitis communicarent. Si, ut eodem utar ſimili quo utitur Noſter, ſi colonia Gallorum in Angliam deduceretur pauciſſimis incolis refertam, quare quaeſo Galli diſcerent linguam Anglicam? nec potius Angli Gallico idiomati adſueſcerent? Taceo nunc quod Chutaei non ut ſubditi aut captivi in terras Iſraelitarum deducti ſint, ſed ut harum terrarum domini, aut ſaltem coloni in provin-

Hebraice neſcirent, non autem, ut defendamus, fuiſſe eum legis codicem a Samaritanis Hebraicae linguae rudibus accurate deſcriptum, quae res hic non agitur. Et enim conſtat id, quod jam minuimus, ſaepe labi ſcribas, qui quae non intelligant, deſcribant. Sed tamen facillimum fuit, ut qui Legis codices tempore Aſſaradon noſcebantur, in lucem prodirent accurate deſcripti, vel ſi maxime Scribae nacti eſſent imperitos, quia Hebraica lingua etiam tum vigebat in regionibus illis, quas Chutaei nuper incolebant, erantque adeo in colonia illa nova multi homines, qui menda Scribarum corrigere poſſent, codicesque ipſorum in lucem edere diligenter emendatos Hub.

(*g*) Idem aliquo modo colligitur ex verbis ישראל הנמצא quibus denotantur *Iſraelitae qui tum inveniri poterant*, II Chron. XXXV. 18.

Digitized by Google

vinciam bello captam et acquiſitam, quo in caſu compertum eſt victas gentes idioma victorum facile addiſcere.

Praeterea Chutaeos a leonibus vexatos eſſe, eo quod legem Moſis non obſervarent, nuſpiam legitur, nec veriſimile, quia, ceſſante plaga leonum, quidem Deum verum coluerunt atque una Deos ſuos, legem Moſis autem non obſervarunt II Reg. XVII. 34. II. Chron. XXXIV. 6. 7. Eſto tamen, ob eam cauſam a leonibus vexatos eſſe: quis credat Chutaeos advenas et peregrinos debuiſſe propterea Pentateuchum Hebraicum non ſolum deſcribere, ſed et intelligere, quod fere inter ἀδύνατα fuiſſet? nec potuiſſe potius ritus Moſaicos ex orali ſacerdotis inſtitutione colligere, vel Deum Hebraeorum colere, quamvis non inſpicerent Pentateuchum? Quis credat, Deum ea demum conditione avertere leones voluiſſe, ut novi hi coloni addiſcerent linguam Hebraicam? Haec cum tam plana ſint et expedita, ut etiam Morinus nobis adſtipuletur, (h) et ipſe Criticus noſter debilitatem ſui argumenti haud obſcure ſentiat, nec eluctari poſſit, vide, Lector, quo tandem desperationis prolabatur: Aſſerere non dubitat, quamvis Samaritani non didiciſſent linguam Hebraicam, *tamen ſcribas ea ſaepe deſcribere, quae non intelligant.* Heus Hubiganti! deſcripſerint Chutaei Pentateuchum quem non intelligebant? Sicine ergo Deus eos obligaverat ad legem deſcribendam, non intelligendam? et his talibus ſcribis atque librariis acceptum ferimus Pentateuchum Samaritanum? (i) Hoccine eſt ſapiens factum aut inceptum?.

Item opponitur eſſe in Sam. Pentateucho ejusmodi menda, ut ea Samaritani non feciſſent, niſi Hebraicos codices. poſt Esram natos, eosque literis Chaldaicis ſcriptos deſcripſiſſent; illis videlicet mendis locum dediſſe litterarum quarundam ſimilitudinem Chaldaicarum, quae ſimilitudo in literis non ſit Samariticis. Verum id qui opponebant, litteras Samariticas parum cognitas habebant.

(h) *Exerc. Sam.* I. cap. 2. §. 1. 2.

(i) Quantum accurationis a tam peritis ſcribis exſpectari poſſit (ſcilicet nemo eſt qui non videt. Hoc incommodum cum ſuo judicio Noſter praeviderit, igitur in nota quam num I. retulimus, docet *fuiſſe in colonia illa nova multos homines qui menda ſcribarum corrigere poſſent, codicesque ipſorum in lucem edere diligenter emendatos.* Qui tamen faciem eorum temporum paulo attentius conſideraverit, quae adventum Chutaeorum ſunt ſecuta, et quibus, regnante Joſia, forte fortuna inventum eſt exemplar legis, ſive αὐτόγραφον, ſive ἀντίγραφον, et ſecutorum Regum nequitiam, continuas populi defectiones ad idololatriam, ſummamque adeo in ſacris litteris ignorantiam, quae tum fuit, ſibi ob oculos ponere velit, is facile intelliget, quam exiguum, imo quam nullum fuerit legis ſtudium apud Iſraelitas; quamque difficile adeo fuerit apud eos vel unum alterumve reperire, qui legis exemplaria prave deſcripta, etiam ſi voluiſſet, corrigere potuerit. Quod ſi etiam lex tanto ſtudio apud Samaritanos tum deſcribebatur, poteratne Joſias ejus exemplaria a Samaritanis repetere? aut fieri poterat, ut tantopere miraretur ejus argumentum? Quo minus tamen credam Chutaeos tanto ſtudio legem deſcripſiſſe, facit cum inſolentia et diverſitas literarum Hebraicarum, tum differentia linguae qua hi advenae utebantur. Deſino alia, quae ſupra adtulimus.

bant. Nam quas literas exemplo afferebant, eae ſunt utraque in lingua ſimiles. Tales ſunt literae ה et ח Chaldaicae, quas etiam Samaritani ſcribunt ࠄ et ࠇ, tales etiam litterae ד et ר, quas Samaritani ſcribunt ࠃ et ࠓ. Quod vero iidem in medium proferebant litteras ו et י Chaldaicas, ſatis ſimiles, quae ſunt Samariticae ࠅ et ࠉ longe inter ſe diſſimiles, in quibus litteris volebant aliquando erraſſe Samaritanos ſcribas; id jam quaeritur, utrum ii errores Samaritanorum fuerint ſcribarum. Neque vero ego in Samaritano codice unquam vidi ſic erraſſe ſcribas, ut ࠅ pro ࠉ ſcriberent. Et ſaepe in notis Criticis docemus, iisdem in literis deſcribendis ſaepe labi Judaeos ſcribas, in quibus Samaritani non labuntur. Illud addimus, quod vincere debet, eſſe in Samariticis codicibus talia quaedam menda, qualia Samaritani ſcribae non feciſſent, niſi codices transſcripſiſſent Samariticis literis exaratos. Menda ea dico, quibus occaſionem dedit ſimilitudo Samariticarum litterarum earum quae eadem non ſit Chaldaicarum, quales ſunt litterae ࠌ et ࠉ, quae ſunt מ et י Chaldaicae. Nam cum duae illae literae ſimilitudinem nonnullam habeant apud Samaritanos, prorſus nullam apud Chaldaeos, manifeſtum eſt, ſi quid in iis erratum fuit, ab illis fuiſſe erratum, qui Codices deſcriberent Samariticos; non igitur ab illis qui codices literis deſcriptos Chaldaicis.

Inter argumenta quae Philologi noſtrates ad probandam novitatem Pentateuchi Sam. protulerunt, referri etiam ſolent errores et menda quae admittere non potuiſſent Samaritani, niſi codices Hebraicos deſcripſiſſent literis Judaicis vel quadratis exaratos, easque literas ob figurae ſimilitudinem paſſim inter ſe confudiſſent. Hoc genus errorum primus, quod ſciam, notavit Jo. Henricus Hottingerus (*k*) et ex iis inter alia hoc conſectarium elicuit: *Hebraeorum Pentateuchum et antiquitate et puritate, multis paraſangis Samaritanum poſt ſe relinquere eoque eſſe eminentiorem.* Quale conſectarium, etſi, ſuppoſita characteris Judaici antiquiſſima forma, origine et uſu apud Hebraeos, de quibus ſupra diſputavimus, aliasque ob cauſas, ex exemplis Hottingero notatis non proniſſime profluit, (*l*) tamen quia Noſter in ſuperio-

(*k*) *Exerc. Antimorin.* pag. 45—53.

(*l*) Quod ſi enim literae quas Noſter Chaldaicas vocat jam diutiſſime ante Eſrae aetatem apud Hebraeos obtinuerunt, nil obſtat, quominus Samaritani hos errores commiſerint in deſcribendis codicibus Esra antiquioribus, atque adeo eorum Pentateuchus Judaico ob id aetate non ſit inferior. Deinde exempla quae Hottingerus produxit, non omnia eam evidentiam habent, ut certiſſime pronuntiari poſſit, utri a vera lectione aberraverint, Judaei, an Samaritani. Neque enim ſufficit ad probandum Samaritanorum errorem, quod a vulgari codicum judaicorum lectione abiverint in diverſum, niſi demonſtretur, Judaeos in codicibus ſuis lectionem unice veram exhibere. Mittimus alia, veluti quod apud Samaritanos ſimilitudo ſoni nonnullis literis permutandis anſam dare potuerit, quomodo literae gutturales paſſim ab iis ſunt confuſae. Vel ſic tamen hoc argumentum a permutatis in codice Sam. literis Judaeorum quadratis petitum, contra Hubigantium ejusque ſimiles plus probat, quam vice verſa a permu-

perioribus uſum literarum Chaldaicarum apud Judaeos, Esrae tanquam auctori adſcripſerat, non poteſt non ipſi moleſtum eſſe et negotium faceſſere. Quare nunc omnem movet lapidem, ut huic argumento prius nervum incidat, quam ad alia progrediatur.

Ante omnia obſervat, literas quae exempli cauſa adferuntur, utraque in lingua, hoc eſt, apud Judaeos aeque ac Samaritanos ſimiles eſſe. Deinde Samaritanos in deſcribendis ſuis codicibus talia menda commiſiſſe, qualia non feciſſent, niſi codices deſcripſiſſent Samariticis literis exaratos. Addit infra, quod ea menda quae Hottingerus in Uſſeriano et Leidenſi codice invenerit, non reperiantur in aliis multo melioris notae codicibus, non in duobus Oratorienſibus, nec in duobus Peireſcianis (*m*). Cl. Benj. Kennicott ſeptem alios codices contulit, in quibus errores quos Hottingerus obſervavit, paſſim emendantur (*n*); quae quidem poſtrema obſervatio hoc argumentum Hottingeri haud parum debilitat.

Quod ad binas priores attinet, in his idem Critico noſtro accidit, quod Hottingero accidiſſe diximus, nempe ut modum excederet, et quidem multo magis. A figura literarum Samariticarum quam nunc habent, quaeque in hodiernis MSS. codicibus obſervatur, et literarum nonnullarum ob eam cauſam ſimilitudine, argumentando procedit ad figuram et ſimilitudinem earum vetuſtiſſimam, quae fuit ante Esrae tempora. Attamen nemo non videt, quod quo magis antiquae finguntur literae Samaritanae, hoc magis a modernis diſtulerint, et ad eos ductus accedere debuerint, quos obſervare licuit in antiquiſſimis literis Phoenicum, quippe a quibus originem derivant (*o*). Cum itaque hic quaeſtio ſit de permutatione literarum antiquiſſima, et disputetur de eo num Samaritani Judaicas, an vero ſuas literas inter deſcribendum permutaverint, ſequitur, a recentiori literarum Samaritanarum figura concludi non poſſe ad vetuſtiſſimam; ſed potius ſpectandum eſſe, quaenam literae ante Esrae tempora permutari potuerint. Hottingero id genus argumenti a confuſis literis Hebraicis petitum facilius condonari et ratum haberi poteſt, quia non ultra Esrae tempora porrigitur, et ſub Esrae aetatem literae Hebraicae ad majorem accurationem et nitorem revocatae ſunt, indeque illam formam acceperunt, quam nunc habent; atque a confuſis literis Judaeorum recentioribus, figura haud multum diſcrepantibus pronior eſt concluſio ad

mutatis literis Samariticis contra Hottingerum concludi poteſt; quia Hubigantius et Morinus uſum characteris quadrati a temporibus Esrae derivant; quo modo (his admiſſis erroribus) fieri aliter non potuit, quam ut Samaritani, *codices deſcripſerint Hebraicos poſt Esram natos.*

(*m*) Vid. *Prolig.* pag. 177. 183. 186. 187. Edit. in 4to, vel pag. 89. 90. 93. edit. in fol.

(*n*) *Diſſ.* II. pag. 542 — 546.

(*o*) In his autem literis Phoenicum ך et ך, ה et ח clariſſimo charactere a ſe invicem deſtinctas fuiſſe, nec facile permutari potuiſſe, patet ex figura quam repreſentant nonnullae inſcriptiones, et ſervarunt Graeci.

ad veteres, quam a modernis literis Samaritanis, utpote quarum et olim et hodie in MSS. codicibus diverſiſſimae paſſim ſunt figurae (*p*).

Sed deſideratur in hoc Hottingeri argumento aliquid, quod praecipuum in hac cauſa momentum habet. Nempe Hottingerus ſola lectione quorundam codicum innititur, non accuratiſſime deſcriptorum, nec ſolum in multis exemplis conſenſu aliorum codicum MSS. refutatur (*q*), ſed etiam auctoritate verſionis Samaritanae: quod mirum eſt nec Hubigantium, nec CL. Kennicottum animadvertiſſe. Ut itaque argumentum ab Hottingero prolatum paulo magis ſtringat, ante omnia docendum erit, quod in eas lectiones quae apud Samaritanos ex confuſis aut permutatis literis Judaicis coortae ſunt, conſentiat verſio Samaritana. Verſio autem Samaritana, quia textum veterem & genuinum Pentateuchi Samaritani nobis omnium optime exhibet, & preſſius quam aliae verſiones literam ſequitur, multo rectius definire poteſt, quasnam lectiones Codex Sam. proprie pro ſuis agnoſcat; unde dein rectius & ſolidius judicium ferri poteſt de origine & cauſis harum variantium lectionum. Ut hanc differentiam aliquo ex moplo illuſtrem, huc referam Gen. XLIX. 7. ubi Codex Samaritanus pro ארור *maledicto*, ſubſtituit אדיר *magnum*, vel *magnificum*. Abſurditatem hujus lectionis docet, cum uſus vocabuli אדיר apud Hebraeos, tum tautologia hinc oriunda in verbis Jacobi. Vel ſic tamen in eam lectionem conſentiunt non ſolum codices quos Morinus, Waltonus & Hubigantius in ſuis Pentateuchi Sam. editionibus ſecuti ſunt, ſed etiam atque inprimis verſio Samaritana, reddens [illegible] *laudatus*, *glorificatus*, nullo ſenſu, diſſentit autem verſio Graeca, ſubſtituens ἐπικατάρατος. Reſtat ergo, ut dicamus, eam lectionem Codici Samaritano & quidem ab antiquiſſimo tempore propriam eſſe, neque ex imitatione Graecorum interpretum, ſed ex permutatis literis, apud Judaeos, non autem apud Samaritanos, figura ſimilibus ortam eſſe. Qui verſionem Graecam Alexandrinam cum Hubigantio ad amuſſim Pentateuchi Sam. primum concinnatam eſſe opinantur, iis non deerunt plura id genus exempla, nec minor iis inerit vis demonſtrandi (*r*).

Sed huc revertor. Proferuntur quoque in medium literae Vau & Jod. Hae literae, quia apud Samaritanos quam maxime diſſimiles ſunt, apud Hebraeos vero adprime conveniunt, ſequitur, ſi Samaritani in iis diſtinguendis parum curate verſati ſint, eos Codicem ſuum ex quodam Judaico literis quadratis exarato, deſcripſiſſe. Ut ad hanc quoque objectionem reſpondeat Noſter, obſervat non clariſſime liquere, utrum Samaritani in iis erraverint, an vero Judaei,

(*p*) Confer. Ed. Bernardi *Tabulam* a Cl. Morton editam.

(*q*) Samaritani ſequiori aevo ſuos codices ad verſionem Pentateuchi ſui paſſim emendarunt, ut non obſcure colligitur ex codice praecipuo quem deſcripſit Morinus epiſtola ad Th. Comberum data, *Antiq. Eccl. Orient.* pag. 201. 202. Simile exemplum eſt in *Catalogo Bibliothecae Vaticanae*, tom. I. pag. 463. 464.

(*r*) Confer, ſis v. c. Levit. XVIII. 21. cum Deut. XVIII. 10. & Num. XVI. 15. cum 1 Sam. XII. 3.

daei, ſeque illum errorem apud Samaritanos nunquam deprehendiſſe. Fateor illum errorem rarius deprehendi, multaque eorum exemplorum quae paſſim adſeruntur, ob ſummam illarum literarum in etymologia et formatione vocum conuenientiam, ſic ſatis excuſari poſſe. Quod tamen non deſint, ſuperioribus exercitationibus plus ſimplici vice confecimus. Et multum ſane intereſt, utrum ab initio et in fine vocum Vau an vero Jod ponatur. Itaque ſi talia exempla produci poſſint, ubi hae literae maximam in ſenſu differentiam faciunt, et codices Judaici rectius legunt, quam Samaritani, ſequetur argumentum hoc Hottingeri non eſſe repudiandum.

Nihil vero magis ἀφιλόσοφον, quam quod addit, et quod vincere debere exiſtimat: *eſſe in Samariticis codicibus talia quaedam menda, qualia Samaritani ſcribae non feciſſent niſi codices deſcripſiſſent Samariticis literis exaratos.* Quid ſi vero hi codices non fuerint antiqui? Si poſt nativitatem Chriſti, et quidem diutiſſime exarati? Quaeritur de origine vel archetypo Codicis Samaritani, deque tempore quo primum literis Samariticis fuit deſcriptus. Hoc antem tempus vel factum, quis ideo ante Esram et reverſionem Babylonicam collocet, quia Samaritani ſcribae in literis Samaritanis, et quidem hodiernis, diſtinguendis non feliciſſime verſati ſunt? niſi forte eadem opera ex erroribus quos Judaei ſequioris aevi, in pingendis litteris Hebraicis figura ſimilibus, admiſerunt, concludere velit, codicem Pentateuchi quem deſcripſerunt, ante Esrae tempora fuiſſe iisdem litteris quadratis exaratum, atque nunc eſt. Si quis, ut hoc utar, in re literaria non penitus hoſpes, haberet codicem Graecum, Latinis literis exaratum, qui ſit exemplar ἀντίγραφον alius codicis Graeci, Latinis literis exarati, cujusmodi eſt codex Pſalterii Veronenſis Graeco Latini quem edidit Blanchinius (*s*) et videret, auctorem apographi, vel librarium, ſimilitudine quarundam literarum Latinarum deceptum, varios in eo exemplari errores commiſiſſe, crederesne, eum tam ſtupidum fore, ut ſibi imaginetur, hoc genus errorum inde profluxiſſe, quia codices Pſalmorum Graeci, olim, et ante quidem literis Latinis exarati fuerint, quam coeptum ſit literis Graecis eos deſcribere? nec potius cogitet, hos errores inde natos eſſe, quod librarius codicem aliquem deſcripſerit qui fuerit ſequiore aevo pariter literis Latinis in uſum Chriſtianorum Occidentalium exaratus, hosque eum errores commiſiſſe, quod ab uſu et cognitione Graeci ſermonis fuerit imparatus, et quod deceptus ſit inſolentia aut ſimilitudine literarum quarundam Latinarum. Quo minus autem Samaritani, labente aevo, uſum et cognitionem dialecti Hebraicae ipſiusque Samaritanae conſervarunt, hoc facilius errores hos committere potuerunt, in deſcribendis codicibus Hebraico-Samariticis recentioris aevi, quippe quos conſtat diverſis characteribus ſcriptos eſſe et figura ſaepe ſimillimis; ut mirum ſit, hoc Critici noſtri argumentum, nonnullis qui tam acutum cernunt, tantopere potuiſſe placere, ut illud in commentariis ſuis repeterent.

Reſtat

(*s*) *Vindic. Sacrar. Scriptur.* poſt pag. 410.

Reſtat ut iis breviter reſpondeamus, *qui* Sam. Pentateuchi *originem ſic impugnant*, *ut eum velint eſſe Neotericum*, *id eſt*, *ut quos ejus Codices nunc habemus*, *eos defendant eſſe Hodiernis Judaicis Codicibus vetuſtate longe inferiores. Mirum profecto id defendiſſe homines eos*, *qui Sam membranam nullam viderant. Nam quo tempore illi ſcribebant*, *vix apparuerant in Europa quatuor Codices* Sam. Pentateuchi. *Erat unus in Bibliotheca Oratorienſi Pariſina*, *quem*, *praeter* Morinum, *nemo adſpexerat. Erat alter* Peireſcenſis, *quem nemo praeter ipſum de* Peireiſc, *ejus poſſeſſorem. Erant* Uſſerianus *&* Leidenſis, *de quorum vetuſtate nemo inquiſierat. Unde igitur reſciverant eos Codices eſſe Neotericos? Qui*, *ſi vel ipſam ſolam eorum interpunctionem conſideraſſent*, *vidiſſent in ea non minimam antiquitatem. Quippe ſingula puncta in illis poſt ſingula verba extant*, *hoc quidem modo* ·בראשית · ברא · אלהים · את · השמים *quae puncta* Juſtus Lipſius *Adriano Imperatori aequalia eſſe cenſebat*, *quaeque uſurpari jam deſierant*, *cum ſuam interpunctionem Judaei* Maſorethae *invexere. Quam interpunctionem* Morinus, *qui eas res diligentiſſime eſt perſecutus*, *Talmude confecto negat eſſe antiquiorem*, *hoc eſt*, *non ante ſaeculum nonum uſurpatam. Ergo ex illa Samaritica interpunctione*, *quae fuit olim Graecorum & Romanorum*, *id ſaltem vincitur*, *quos Samariticos codices nunc habemus*, *eos ad exemplaria hodiernis Hebraicis vetuſtiora fuiſſe transſcriptos*, *quoniam interpunctionem eam habent*, *quam jam obſoletam vidit ea aetas*, *in qua nati ſunt Codices* Maſoretharum; *non igitur operam eam totam codicum Samariticorum deſcribendorum eſſe novitiam Sed neque id ſatis. Nam codicem eum ipſum*, *quem edidit* Morinus, *eſſe Hodiernis Hebraicis vetuſtiorem*, *facile vinci poteſt*, *tum ex eo quod antiquitatis plurimam ſpeciem habet ejus & membrana vitulina & atramentum*, *tum ex eo ipſo*, *quod ejus Emptor*, *qui ante annos agebat fere quadringentos*, *eum memorat ſe quadringentis argenteis comparaſſe. Nam incredibile eſt pecuniam grandem in eo codice comparando fuiſſe collocatam*, *quem codicem emptor videret eſſe novitium. Nec audiendus Junior Buxtorfius ſic narrans*, (1) Antiquiſſima quorum *Morinus* mentionem facit, ſcripta ſunt 400. ab hinc annis. *Nam eam temporis notationem* Morinus *attribuit* (2) *codici eorum trium ſecundo quem* Peireſcius *ad ſe miſerat*; *idemque* Peireſcianum *primum memorat eſſe ſeculo antiquiorem*, *& de codice Oratorienſi ſic ait*, aera ſcriptionis non eſt adſcripta; *quem etiam codicem docet* Exercit. in Pentat. Sam. p. 371. *eſſe Codice Translatio-*

(1) *Vide Buxtorfium* Anticrit. Parte II cap. 7. pag. 530 *& confer cum Morino*, Opuſculis Sam. pag. 95. 96 & 97. Hub.

(2) Codici eorum trium ſecundo &c. *Tres codices miſerat ad Morinum Peireſcius*, *unum Samaritanae Tranſlationis*, *quae comitatur in Bibliis Polyglottis Pentateuchum Hebraeo-Samariticum*; *duos alteros Pentateuchi ipſius Hebraeo-Samaritici. Quorum duorum is qui vocatur a Morino* primus, *nunc eſt* ſecundus *in Regia Bibliotheca*, *isque antiquior*, *qui ab eodem* ſecundus *nominatur*, *nunc* primus *eadem in Regia Bibliotheca*, *isque recentior.* Hub.

lationis Samariticae multis ſeculis antiquiorem; *ut planum ſit, legendo* Morino, *allucinatum eſſe* Buxtorfium.

Quanquam eorum judicium non probo, qui hodiernos codices Samaritanos ſibi non viſos aut examinatos novitatis accuſant, et nullus dubito, quin aliqui eorum hodie dentur, qui antiquitate ſua quibusdam Hebraicis quos nunc habemus, ſint anteferendi, tamen a me impetrare non poſſum, ut, ob cauſas Hubigantio allatas, mihi perſuadeam, eos ad exemplaria Maſorethicis Hebraicis vetuſtiora eſſe deſcriptos. Quod ſi enim vel maxime conceſſerim, uſum punctorum poſt ſingula vocabula, temporibus Hadriani apud librarios et grammaticos non ignoratum vel incognitum fuiſſe; quippe qui forte illis multo antiquior eſt: nemo tamen aequus rerum arbiter a me requiret, ut credam, codices Samariticos qui ita compuncti ſunt, ex priſco illo ſcribendi genere aeſtimandos, vel ex ejusmodi archetypis derivandos eſſe quae originem punctorum vocalium et accentualium apud Judaeos antevertcrunt. Nam ne dicam, uſum punctorum apud veteres admodum varium, nec conſtantem fuiſſe: (t) conſtat apud omnes, quod puncti unius quo Graeci et Latini utebantur, longe alia et diverſi quidem ratio fuerit, quam ut dici poſſit, Samaritanos hac re eos voluiſſe imitari. Nempe Samaritani, poſtquam uſum Hebraismi cum tempore magis magisque amiſerunt, et in deſcribendis ſuis codicibus accuratiores et elegantiores videri voluerunt, id operam dederunt, ut efficerent, ne (ſecus quam Judaei olim faciebant) dimidiata vocabula ex parte ad finem praecedentis, ex parte vero ad initium ſequentis regulae rejicerent, ſed ut ea integra plenaque in fine regularum ſervarent, et vel ſic tamen lineae vel ϛίχοι eandem omnes longitudinem haberent. Hoc nomine vocabula in fine regularum vulgo in duas partes diſtraxerunt, partemque poſteriorem ad latus vel marginem usque columnae removerunt (u). Quod ipſum cum ſine periculo erroris fieri non poſſet, niſi poſt ſingulas voces nota quaedam diſtinctionis, vel punctum poneretur, quo plenae a ſemiplenis, a dimidiatis integrae diſtinguerentur, intelligitur, quid cauſae fuerit, cur Samaritani ſingula vocabula ſic interpunxerint. Ad haec Samaritani puncta etiam in fine regularum vel ϛίχων ponunt, nec uno tantum puncto utuntur, ſed etiam duobus, et quidem vel horizontaliter poſitis, quae punctatio, teſte Morino, ipſis oppoſitionem notat, vel perpendiculariter ſcriptis, quod ſignum ceſſationem vel pauſam vocant; imo etiam ſubinde plura adhibent, atque una lineolas quasdam transverſas, quamvis non poſt ſingula verba, nec ea in re conveniunt, aut ſibi conſtant. Quae cum ita ſint, nil cauſae eſt, cur Noſter ad Lipſium provocet, puncta poſt ſingula vo-

(t) Vid. *Nouveau traité de Diplomatique* tom. III. cap 8.

(u) Modum deſcripſit Morinus *Exercit.* IV. *in Pent. Sam.* cap. 10. et repraeſentavit Blanchini, *Appendice ad Evangeliar. quadrup.* ta. II. pag. 604.

vocabula poni ſolita Hadriano imperatori aequalia facientem. Lipſius in epiſtola quadam ad Audejantium (*x*) id affirmavit dubitanter, nec aliunde collegit, niſi ex eo, quod legitur apud Suidam (*y*) de Nicanore quodam Grammatico ejus aevi, qui *περὶ στιγμῆς τῆς καθόλου de interpunctione in genere* libros VI. compoſuerit, itemque *περὶ στιγμῆς τῆς παρ' Ὁμήρῳ*. Sed nec Suidas, nec Grammaticus ille comperti ſunt de ea punctatione agere voluiſſe quae venit in quaeſtionem; tantum abeſt, ut ex his verbis colligi poſſit eam Hadriano aequalem, vel ejus temporibus adinventam eſſe. Cum enim Suidas Nicanorem dicat ſcripſiſſe *περὶ στιγμῆς τῆς παρ' Ὁμήρῳ, καὶ τῆς ἐξ αὐτῶν διαφορᾶς ἐν τῇ διανοίᾳ, de punctatione apud Homerum, deque differentia quae inde in ſenſu oritur*, ſequitur, ut alia deſinam, Nicanorem de uſu, unius puncti poſt ſingula vocabula poſiti, qualis apud Samaricanos obtinet, accipiendum non eſſe; aut ſi vel maxime de uno quodam puncto inibi egerit, haud multum diverſum ab eo reſpexiſſe, quod Ariſtophanes Byzantius inveniſſe dicitur, quodque ſitu ſuo diſtinctionem vel majorem, vel minorem definiebat (*z*). Mittimus cetera, veluti quod puncta haec uſurpari deſierint, cum ſuam interpunctionem Judaei invexere, hoc eſt, ſeculo, ut ipſe quidem vult, nono (*a*); taedet enim ineptiarum.

Reſtat, ut aliquid dicam de codice Samaritico quem primus omnium edidit et Bibliis polyglottis Pariſienſibus inſeruit Morinus, quemque Criticus noſter, magna cum fiducia, *hodiernis Hebraicis vetuſtiorem* eſſe aſſerit, et infra plenius deſcribit (*b*). Deſcripſerat eum Morinus, cum praefatione in Graecorum interpretum tranſlationem, tum Exercitatione I. in Pentateuchum Samaritanum Cap. I. his verbis: *Pentateuchi Samaritani codicem quo utimur, Bibliothecae Oratorianae cum maxima librorum Rabbinicorum partim excuſorum, partim manuſcriptorum multitudine dono dedit Reverendus Pater Harlaeus Sancius congregationis noſtrae presbyter. Codex iſte pulcherrime et literis majoribus olim deſcriptus fuit. Primum pertinuit ad Phinaeam quendam filium Ithamar, Damaſci Samaritanorum Sacerdotem magnum, ut adſcriptum eſt in fine Geneſeos literis jam uſu et vetuſtate attritis, et nonnunquam obliteratis: minores enim multo ſunt et atramenti minus tenacis quam eae quibus textus exaratus eſt. Antea enim quidam Abraham, filius Jacob eum deſcripſerat, ut ipſe eodem charactere, nulla addita temporis aera, in fine adnotavit. Poſtea Raban Joſeph illum ſibi comparavit quadringentis argenteis per manus ſervi ſui, anno Iſmaelitarum 782. (qui eſt Chriſtianorum 1404.) ut ad finem Exodi in ſpacio vacuo adſcripſit ſervus ille, ſcriptura longe minus exacta quam praecedens, et multo recentiore.*

Quod

(*x*) Epiſtola Lipſii ad Hubertum Audejantium habetur Operum ejus tom. II. Cent. III. num. xxxix. pag. 257.

(*y*) Voc. Νικάνωρ.

(*z*) Vide Montfaucon. *Palaeogr. Graec.* pag. 31.

(*a*) Vid. Exercit. noſtram I. pag. 11.

(*b*) *Prolegom.* part. I. cap. III. Art. I. §. 3.

Quod ad antiquitatem ejus adtinet, fateor quidem Morinum libro laudato Exerc. IV. c. 10. pag. 371. eum *multis ſeculis antiquiorem facere* codice verſionis Samaritanae, quem a Petro a Valle acceperat, quippe qui anno regni Ismaelitarum 920. hoc eſt, Chriſti 1542. vel ut alii (*c*) 1514. fuit ſcriptus. Sed non diu perſtitit in hac ſententia, nec auſus eſt eam et alibi inculcare. Re enim, ut videtur, paulo propius perpenſa et examinata, paucis annis poſt quam haec ſcripſerat, in epiſtola quadam ad Tho. Comberum (*d*). *Sunt mihi*, inquit, *quatuor exemplaria manuſcripta codicis Hebraeo Samaritani. Primum integerrimum in vitulina pelle, majoribus et elegantiſſimis characteribus deſcriptum. In fine Exodi ſcriptum eſt*, quadringentis argenteis Damaſci emptum eſſe, anno Arabum 782. *In fine Geneſeos, litteris maxime attritis, et alia Exodi adſcriptione longe antiquioribus ſcribitur*, ad ſummum Damaſci Sacerdotem pertinuiſſe. *Sacerdos ille iſtum codicem aut retractavit et emendavit ipſe, aut id fieri curavit, ante annos quadraginta* (lege *quadringentos*) *non ſerius exaratum exiſtimo* (*e*). *Hunc Manuſcriptum codicem in editione noſtra ſecuti ſumus. Secundum eſt trilingue, Hebraeo-Samaritan. Arabicum et Samaritanum. Scriptionis aera adnotatur Iſmaelitarum Anno 620. Itaque annis 400. vetuſtior eſt, ſed Geneſ. capita 33. deſunt —— Tertium admodum antiquum et detritum videtur, minori forma complicatum eſt —— ſed deſunt ſeptendecim Geneſis priora capita* (*f*). In fine ejuſdem epiſtolae dicitur: *Caeterum Judaicos codices, caeteris paribus, eſſe Samaritanis quibuscunque praeferendos, nemo eſt opinor qui dubitet.*

In eandem ſententiam diſputat, *Opuſculis Sam.* loco apud Noſtrum laudato, ſcribens: *Eſt in Bibliotheca Oratoriana Pentateuchus integer Hebraeo-Samaritanus, pulcherrimis literis in charta vitulina, aut vervecina, nulla cum litura deſcriptus. Aera ſcriptionis non eſt adſcripta. Adnotatur tamen ad finem Geneſeos et Exodi, pertinuiſſe ſucceſſive ad duos Samaritanorum ſacerdotes*, unumque ante ducentos triginta, et aliquot annos Damaſci quadringentis argenteis illum ſibi comparaſſe. *Codicem iſtum Damaſci emi curavit Illuſtriſſimus et eruditiſſimus Epiſcopus Maclovienſis, Achilles Harlaeus —— Hic eſt ille codex, quem editione noſtra accuratiſſime repraeſentavimus. Editione jam peracta tres alii Pentateuchi Hebraeo-Samaritani codices nobis ſupervenerunt ab ampliſſimo viro —— Peireſcio.*

(*c*) Auctores *Catalogi Biblioth. Vatican.* tom. I. pag. 464. ubi is codex plenius deſcribitur.

(*d*) Quae eſt XXXVIII, in *Antiquitatibus Eccl. Orient.* pag. 198, 199.

(*e*) Morinus haec ſcribebat A. 1633. VIII. Kal. Junii.

(*f*) De codice iſto ſic ſcribit Iſaacus Voſſius *de LXX. Interpretibus* cap. 29. pag. 96. *Codex Mazarini antiquior eſt quam ſit ullum exemplar Judaicum, quod quidem notum ſit. Et tamen non deſunt, qui affirment; longe etiamnum vetuſtiores eſſe illos codices, qui penes Samaritas in Oriente aſſervantur.* Quibus verbis poſtremis reſpicit volumen Pentateuchi MS. quod ſervatur Sichemi. Sed nugas eſſe, et mera mendacia quae de eo circumferunt Samaritani, docuit teſtis αὐτόπτης Rob. Huntingtonus, epiſtolis quibusdam ad Jobum Ludolfum datis, quae ſunt XXXIII. et XXXV. nec non Th. Smit in vita Huntingtoni his epiſtolis ſubjuncta, pag. 14. Conf. etiam le Long. *Biblioth.* tom. I. pag. 83.

reſcio. Sed eorum nullus erat integer. Antiquiſſimus, ut ex vitulina charta, et detrito charactere haud difficile erat judicare, eſt ceteris minore forma; ſed deſunt ab initio Gen. 17. capita priora. —— Hunc codicem diſtinctionis cauſa in variarum lectionum collectione minorem vocamus. Secundus codex erat trilinguis; in medio eſt Arabica verſio, charactere Samaritano. A lateribus Hebraicus textus et Samariticus. —— Peſſime mutilatus eſt ab initio 34. capitibus —— Aera ſcriptionis ad finem Exodi notatur. Menſis Rabie alter anni Iſmaelitici 624. hoc eſt, ante quadringentos & aliquot annos. Tertius codex recens erat, ſcriptus Damaſci anno Gentium 967. poſt trilinguem annis trecentis quadraginta duobus.

Patet ex verbis Morini quae paulo plenius et accuratius adduximus, quod initio quidem perquam magnifice de antiquitate codicis Oratoriani ſenſerit, paulatim tamen ab illa opinione tantum remiſerit, ut non auſus fuerit ei plures annos transſcribere quam quadringentos (*g*). Hoc modo cum codex ille, non negante ipſo Morino, ſeculum XIII. non ſuperet, mirari ſatis non poſſum, quid Critico noſtro in mentem venerit contendenti eum codicem quo uſus eſt Morinus, eſſe hodiernis codicibus Hebraicis vetuſtiorem; ſunt enim multi Hebraici eo ipſo ſeculo exarati (*h*), multi etiam eam aetatem excedunt (*i*). De ceteris ſignis antiquitatis quae cûm Morinus tum Hubigantius in eo ſibi obſervaſſe viſi ſunt, nil habeo dicere, niſi quod ea, et quidem multo praeclarius, reperiantur in haud paucis codicibus Hebraicis (*k*).

Sed operae pretium erit, ſi fieri poſſit, etiam fontem erroris indicaſſe quem Morinus circa codicem Oratorienſem commiſit. Fraudi ipſi fuit, quod cum ipſum Phineam, filium Ithamar, qui inſcriptione quadam *in fine Geneſeos, litteris jam uſu et vetuſtate attritis, et nonnunquam obliteratis*, adeoque vix cum ratione legendis, memoratur, pro codicis antiquiſſimo poſſeſſore habuerit, qui tamen proprie venditionis fuit teſtis. Id, niſi me fallunt omnia, intelligi poteſt ex inſcriptione quadam in fronte Pentateuchi Hebraico-Samaritani reperiunda quem ſervat Bibliotheca Vaticana, quique codici huic Oratorienſi plane ſimilis eſt. Inſcriptione illa, quae eadem qua totus codex manu exarata eſt, dicitur liber ille a quodam *Abrahamo* Sadacae filio ſcriptus, et a *Joſepho* filio Mathanae, filii Sadacae emtus eſſe trecentis quinquaginta argenteis, *praeſente, vel teſte venditionis Phinea, filio Ithamar et Sacerdote magno urbis Damaſci;* verba ſunt: וקם זה בעיני ואני פינחס בן איתמר וכהן גדול בדמשק. Totam inſcriptionem Hebraicis literis exprimi curarunt

(*g*) Hubigantius hos annos perperam a tempore emtionis numerat; cum Morinus ante 230. et aliquot cum emtum eſſe fateatur.

(*h*) Exempla talium codicum ex Bibliotheca Heidelbergenſi aliisque, proſtant in *Catalogo Bibl. Vatic.* tom. 1. Huc pertinet etiam codex qui ſervatur in inſtructiſſima Bibliotheca Meermanniana, nec non Daventrienſis.

(*i*) Conf. Kennicott. Diſſ. II. p. m. 292. aliosque citatos Exercit. noſtra I. pag 4.

(*k*) Vide Montfaucon. *Diar. Ital.* pag. 399. Schiede in *Comment. de codice Caſſellano* cap. 2. et Kennicotum Diſſ. I. et II.

S 3

rarunt viri clariſſimi, Stephanus Evodius et Joſeph Simonius Aſſemanus, auctores catalogi Bibliothecae laudatae tom. I. pag. 462. Cum codex ille, ad ſummum ſeculo XIV. ſcriptus eſſe deprehendatur, quemadmodum ex membranae et literarum nitore (*l*) et integra conſervatione colligitur, idemque Phineas filius Ithamar et Abrahamus atque Joſephus eodem tempore vixerint, ſequitur, ſi in codice Oratorienſi ſimiliter Phineas filius Ithamar, ſacerdos Damaſci memoretur, eum pro antiquiſſimo ejus codicis poſſeſſore haberi non poſſe, ſed contra ea ſtatuendum eſſe, quod haud longe ante eam tempeſtatem ſcriptus ſit, qua fuit venditus, id eſt, anno Iſmaelitarum 782. A. C. 1404. vel ut alii, 1380. atque adeo aetate ſua ſeculum XIV. non ſuperſcandat.

Haec cum ita ſint, nil cauſae eſt, cur Noſter non audiendum eſſe Juniorem Buxtorſium pronunciet, *antiquiſſima quorum Morinus mentionem facit MSS. 400. ab hinc annis ſcripta eſſe* cenſentem. Buxtorfius haec ſcribebat circa annum 50. ſuperioris ſeculi. De codicibus Samaritanis quae in Anglia ſervantur haud mitius judicium tulit Thomas Smit, exiſtimans nullum eorum quadringentorum quingentorumve annorum aetatem ſuperſcandere (*m*).

(*l*) Specimen harum literarum dedit Blanchinius in *Evangeliar, quadrupl.* part. II. poſt pag. 604. tab. II.

(*m*) In *Vita Rob. Huntingtoni* pag. 15.

EXER-

EXERCITATIO QUINTA

AD

CAR. FR. HUBIGANTII PROLEGOMENA

CAPUT TERTIUM

ARTICULUM PRIMUM (n)

S*atis diſputavimus de origine* Sam. Pentateuchi. *Nunc de ejus ſtatu Oppugnatoribus ejus tripliciter eſt reſpondendum. Quippe eum tribus rebus multi incuſant. Primum, quod in eo addita multa fuerint quae Hebr. Hodiernis in Codicibus non leguntur; alterum quòd multa etiam trajecta, ſuoque ex loco dimota; tertium quòd longè plurima ſecùs deſcripta, quàm Hebr. Hodiernis fuerunt in Codicibus.*

Primum, quae addita fuiſſe conqueruntur, ea ſunt, duplicis generis. Nam Samaritani nunc quaedam narrant, Hebraico in Hodierno Codice quae non narrantur; nunc addunt tantummodò verbum, aut verba quaedam, quae Hebr. in Hod Codicibus omittuntur.

Primum genus eſt earum rerum, quas Samaritani Sacrâ in hiſtoriâ ſupplent. Sic Exod. cap. 14. vſ. 12. *ubi utroque in Codice ſic legitur*, non-ne hoc illud eſt, quod tibi diximus, in Aegypto, dicendo, remitte à nobis et ſerviemus Aegyptiis, quia melius eſt ſervire nos Aegyptiis, quàm mori in deſerto, *cùm Hebr. Hod. Codex omittat narrare ubi, aut quo tempore haec Moſi populus Iſrael in Aegypto agens dixiſſet*, Sam. Pentateuchus, Exod. cap. 6. ℣. 9. *eadem memorat Moſi fuiſſe in Aegypto dicta et exprobrata, his quidem verbis*, et locutus eſt Moyſes ad omnes filios Iſrael, et non auſcultârunt Moſi prae afflictione ſpiritûs, et ſervitute durâ; *deinde*, remitte à nobis, *et caetera, ut ſupra: Itaque Samaritani primùm narrant*, Exod. cap. 6. *quid Moſi in Aegypto agenti filii Iſrael exprobrârint, deinde*, Exod. cap. 14. *narra-*

ra-

(n) Vid. *Prolegom.* editionis A. pag. 134—136. B. pag. 66—68. C. pag. 50. 51.

ratam rem redintegrant, cùm contrà Hebr. Hod. Codex habeat exprobrationis Moſi factae redintegrationem, non autem ejuſdem ipſam narrationem. De talibus additamentis ita Grotius *judicabat* (1) Cauſa hujus additionis et multarum aliarum ſatis eſt frigida; quia infrà talium, ut ante-dictorum, fit mentio. Sumptum enim hoc eſt ex eo quod infrà XIV. 12. Quaſi verò aut ſingula cujusque dicta in hiſtoriis referantur, aut nullae ſint in eis ex occaſione ἐπεισόδια. Hae ſtultae ſunt in magno otio tranſcribentium παρεργίαι.

Haec quidem liberè ac rotundè, ut ſolet, Grotius. *Cujus tamen reprehenſio, ut ad ſingula quaedam pertinere poſſit, haud ſcio an ſapienter omnia reprehendantur. Non nego eſſe poſſe apud Moſen rerum non ante dictarum ex occaſione* ἐπεισοδίοις *Verùm quas* Grotius *vocat* παρεργίας, *eas eſſe multas Hebr. ipſo Hod. in* Pentateucho *minimè omnium* Grotius *ignorabat. Easne etiam culpabat* Grotius, *credebatque Hebraeorum Scribarum fuiſſe magno otio ſtultè abutentium? Praetereà omnes nôrunt iterationes tales eſſe antiquiſſimum ſcribendi modum. Nam apud Homerum multa ſaepe Deorum aut Heroum ad homines mandata perferuntur, quae ſingula memorantur, cùm dantur, ſingula iterùm narrantur, cùm ea mandata illi perficiunt, qui acceperunt. Quod ſaepè uſurpent Samaritani, ſatis credibile eſt eos retinuiſſe antiquitatem. Caeterum neque ipſe* Grotius *iterationes tales ſemper repudiabat; ſic ut parùm ſibi ipſe conſtare videatur. Nimirùm* Num. cap. 4. ℣. 14. *ubi, cùm quae Tabernaculi vaſa et onera à filiis Caath ſupportanda ſint, praeſcribitur,* lavacrum et baſis *Hebr. in Hod. Codice praetermittuntur, in Samaritico non praetermittuntur, poterat* Grotius, *ſi ſemel dictâ in ſententiâ conſiſtere vellet, ſtatuere, non neceſſe fuiſſe, ut ſingula onera ſupportanda memorarentur, cùm* ſingula cujusque facta, aut dicta in hiſtoriâ non *ſemper* referantur. *Tamen idem ſic ſtatuit, id quod addunt Samaritici Codices, fuiſſe ab Judaeis Scribis incautè praetermiſſum, animadverſionemque illam ſuam tuetur Samaritici ipſius Codicis autoritate.* Vetus hoc (additum) eſſe apparet, *inquit*, tum ex Samaritano antiquo, tum ex Origene. *Denique ejusmodi etiam quaedam ſunt nunc in Graecis* (2) *Interpretibus nunc in* (3) *Vulgatâ Latinâ, quae Hodierno in Codice non comparent. Ergò haec qui reprehendunt, iniquam in ſe ipſos legem ſanciunt, cùm Samariticum* Pentateuchum *incuſant, Graecos Interpretes et Vulgatam non incuſant.*

Poſt quam Hubigantius multa de origine et exteriori habitu Pentateuchi Samaritani disputaverat, pergit nunc ad alteram partem defenſionis ſusceptae, agitque de argumento, deque differentia ejus a textu Hebraico codicis Judaici. Controverſia ipſi eſt, ut videtur, cum Br. Waltono, qui, licet

(1) Ad Exod. *cap.* 6. v. 9.
(2) Gen. 44. 4.
(3) Exod. 2. 22. Heb.

licet codicem Samaritanum majoris et pluris fecerit quam alii, tamen culpam hujus triplicis diſſenſus non in Judaeos, ſed in Samaritanos rejecit (*o*). Quod ad ſupplementa adtinet quae in codice Judaico non leguntur, ea ſunt duplicis generis, vel enim ad integrandam et ſupplendam hiſtoriam referuntur, vel ad perficiendam ſententiam. De illis antequam cum Hubigantio agam, paucis Cl. Kennicotto reſpondendum eſt, qui in Diſſertationibus criticis quas ſaepius laudavimus, Samaritani codicis ſic cauſam agit, ut ſimul defendat, repetitiones eorum quae vel dicta, vel facta eſſe a Moſe dicuntur, non a Samaritanis profectas et textui intruſas, ſed a Judaeis tempore Ptolemaei regis Aegypti, ob ſtudium brevitatis, de induſtria omiſſas eſſe, ut ſic a moleſtia deſcriptionis cum in charactere authentico, tum in verſione Graeca liberarentur (*p*). Quod addit de Ptolemaei tempore, id a difficultate profectum eſt, quae oritur ex eo quod Graeci interpretes has pericopas hiſtoricas tam parum agnoſcant, quam codex Judaicus; atque adeo alterutrum verum eſſe debeat, ut aut Samaritani eas poſtea contextui intruſerint, aut Judaeorum exemplaria eas antea agnoverint, poſtea vero a Judaeis fuerint ſuppreſſa.

Argumenta quibus hanc ſententiam defendit, petita ſunt partim a concinnitate et neceſſitate harum repetitionum, ut quas ipſe Moſes non reſpuat, et ab aliis ſacris ſcriptoribus adhibeantur: partim ab ipſorummet Judaeorum clariſſimo teſtimonio. Cum illo argumenti genere etiam Hubigantius, cum in his Prolegomenis, tum in notis criticis uſus ſit, de eo in anteceſſum nonnihil dicemus, et quaedam exempla in quibus hae repetitiones a Judaeis ſuppreſſae eſſe dicuntur, quaeque Hubigantio et Kennicotto omni exceptione majora eſſe videntur, excutiemus; deinde teſtimonium Judaeorum examinabimus.

Principio obſervamus, non aliam harum repetitionum in textu Samaritano occurrentium dotem eſſe, niſi ut iis efficiatur ne Moſes aliquid a ſe dictum vel factum, aut a Deo ſibi in mandatis datum eſſe diceret, niſi illud totidem verbis alicubi expreſſum legeretur; neque Deus ei aliquem nuncium ad Pharaonem aut populum Iſraeliticum deferendum dediſſe deprehenderetur, niſi eum iisdem et totidem quidem verbis ad Pharaonem aut populum Iſraeliticum detuliſſet.

Ut autem intelligatur quam jure merito illuſtris Grotius haec additamenta inter ſtultas transſcribentium περιεργίας retulerit, tenendum, non neceſſarium eſſe, nec a Moſe, duce populi Iſraelitici, expectari poſſe, ut, ſi quid tanquam antea dictum, aut factum ab eo commemoratur, id quoque ſemper et quidem totidem verbis alicubi in antecedentibus expreſſum inveniri debeat. Quia enim Moſes inter eos verſabatur, iisque ſcribebat, apud quos hiſtoria rerum geſtarum non poterat non in recenti memoria eſſe, procul dubio ſatis habuit in nonnullis locis aliqua tanquam a ſe dicta vel acta referre, etiamſi eorum ne ver-

(*o*) *Apparat. Bibl.* Prolegom. XI. §. 15. 16.
(*p*) *The ſtate of the Printed text* Diſſ. II. p. 309. ſeq.

Digitized by Google

verbulo quidem in ſuis commentariis mentionem fecerit: et viciſſim, quaedam a Deo ſibi in mandatis data commemorare absque ut ipſi neceſſarium fuerit horum mandatorum executionem, et quidem iisdem verbis ſubjicere. Quale inſtitutum non ſolum tautologiam et nauſeam creaviſſet, (*q*) ſed etiam hiſtoriam populi Iſraelitici, praeter ullam neceſſitatem, bona ſui parte reddidiſſet ampliorem.

Accedit quod, quando Moſes, pro more quem ſequuntur antiquiſſimi ſcriptores, aliqua in commentariis ſuis repetit de quibus in antecedentibus egerat, ea repetitio vulgo non ſit eorundem verborum, ſed ſententiae verbis expresſae, vel ſaltem verborum pauiisper mutatorum: (*r*) et quod in illis Exodi capitibus, in quibus Samaritani tot lacinias contextui inferciunt, vulgo ſatis habeat dixiſſe, ſe ea quae Deus ſibi in mandatis dederat perfeciſſe et omnia miracula, quae ſibi facienda erant, perpetraſſe. (*s*) Quare, cum in additamentis et laciniis illis quas habet codex Samaritanus, eadem verba ſine ulla vel levicula mutatione geminentur, (*t*) manifeſtum indicium eſt, ejusmodi repetitiones ab ipſo Moſe profectas non eſſe, auctoresque earum ſe ſuo, velut ſorices, indicio prodere. Tales vero ſunt plerique illi loci quos Hubigantius in Exodo notavit et Kennicottus magno ingenio ad numerum XIII. retulit, ut mox videbimus. Talis quoque eſt ille ipſe locus Exod. XI. occurrens, quem Kennicottus, tanquam omni exceptione majorem, cum Hubigantio plus ſimplici vice produxit, (*u*) et de quo adhuc noviſſime in *Diſſertatione Generali* tomo II. *Veteris Teſtamenti* ſubjuncta inquit: *Divinum mandatum* Exod. XI. *omiſſum ſe tanta commendat evidentia, ut textus Hebraicus ſine illo vix ac ne vix quidem poſſit explicari.* Quanquam enim fieri potuit, ut vſ. 4. nomen Pharaonis exciderit, aut neglectum ſit, quia ejus mentio mox injicitur vſ. 5. poteſt tamen reliqua oratio ſine hiatu facile connecti et intelligi, ſi, quae

(*q*) Ut ſane factum in Cod. Sam. Exod. VII. ubi tales taedii plenae verborum antecedentium repetitiones occurrunt poſt vſ. 18. et 29. et VIII. poſt vſ. 19 nec non IX poſt vſ. 5. et 19. X. poſt vſ. 3., in quibus eadem verba quae paulo ante occurrerant denuo repetuntur et ingeminantur. Cum tamen Moſes alibi ſaepius ob brevitatem dictionis tales repetitiones vulgo negligat, velut Exod. III. 5. 16. Num. VI. 23 in quibus locis Codex Sam. cum Judaico ad amuſſim conſpirat. Iniquus ſit oportet, qui poſtulet ut Moſes tales iterationes adhibeat.

(*r*) Conf Gen. XLII. 32. 33. cum vſ. 13. 15 Exod. XXXVI — XXXIX cum XXV — XXVIII Provocat quidem Kennicottus Diſſ. II. p. 311. ad Num. VII. quo capite eadem L. verba, in quibus cujusque XII. principum oblationes recenſentur, etiam duodecies plene exprimuntur. Sed liceat obſervaſſe aliam eſſe hujus loci, quam eorum quae in Exodo inveniuntur, rationem: in hoc enim Catalogus vel inventarium exhibetur, nec ulla dictionis varietas aut elegantia requirebatur, in illis narratio occurrit, quae his laciniis interrumpitur et enervatur.

(*s*) Vid. v. c. Exod. VII 9 X. 9. 10.

(*t*) Vide ſupra not. (*q*) et conf. Exod XX. 19 20. 21 ubi, quia populus Iſraeliticus dicitur rogaſſe Moſen, ut ipſe ſecum loquatur, ſubjiciuntur quae habentur Deut. V. 23 — 27 ne verbulo quidem mutato et perquam inſipide.

(*u*) Diſſ. laud. I. p. 367. 368. edit. lat. et Diſſ. II. p. 308.

Digitized by Google

quae vſ. 1. 2. 3. per parentheſin dicta ſunt, uncinis includantur, et vſ. illo 4. verbum ויאמר transferatur *dixerat autem* Moſes Pharaoni. Inprimis vero, ſi obſervetur, quod, poſtquam Moſes ea abſolviſſet quae de ſuis ad Pharaonem legationibus literis mandaverat, quaedam additamenta hujus hiſtoriae inſpergere voluerit, quae ſimul viam ſternerent ad hiſtoriam exitus, et plagae noviſſimae Aegyptiis immiſſae, quae incipit a capite ſequenti XII., cum hoc antecedenti connectendam et rectius intelligendam: eoque nomine, poſtquam commate ultimo capitis antecedentis dixerat, Pharaonem ſibi mortem minitatum eſſe, ſi rediret, ſeque regeſſiſſe ſe non rediturum, ad integrandam illam ultimi hujus colloquii et congreſſus hiſtoriam, quaedam adſperſerit quae tum acciderant, deinde vero hanc hiſtoriam ultimi cum Pharaone habiti colloquii vſ. 8. concludat his verbis: *ſic exivit a Pharaone accenſus ira.* Quod enim haec intentio fuerit Moſis, patet quam clariſſime ex verbis ultimis hujus capitis, ubi hiſtoriam colloquiorum cum Pharaone habitorum univerſam, ſimili modo et eadem de cauſa, ſic concludit: *Dixerat autem Jehova Moſi, non auſcultabit vobis Pharao, ut multiplicem prodigia mea in Aegypto. Itaque cum Moſes et Aharon illa prodigia omnia coram Pharaone ederent, obduravit Jehova cor ejus, adeo ut non dimiſerit Iſraelitas e terra ſua;* adeoque pariter repetit et in ſummam quaſi contrahit quod in ſuperioribus, videlicet Exod. III. 19. atque alibi, et adhuc noviſſime cap. X. 1. 27. dixerat. (x)

Quod ad originem harum laciniarum adtinet, eam alii quidem innocentem, et vel auctoritate codicum, vel ex conjectura ſuſceptam, ut Waltonus (y), alii, velut Jakſonus, (z) a gloſſis marginalibus codicum antiquorum derivandam eſſe ſtatuunt; mihi vero ſoli invidiae et livori Samaritanorum tribuendae eſſe videntur. Cum enim verſio Graeca has lacinias non agnoſcat, et Judaei nulla veri ſpecie cenſeri poſſint pericopas aliquas in exemplari illo ex quo haec verſio adornata fuit, ob illam cauſam ſupprimere voluiſſe quam adfert Cl. Kennicottus, videlicet, *ut ſic a moleſtia deſcriptionis cum in charactere authentico, tum in verſione Graeca liberarentur*, cum pericopae quaedam longiores et in his illa Num. VII. majori cum taedio deſcribenda, ipſis intacta relicta ſit, nil magis veriſimile mihi videtur quam Samaritanos, odio Judaeorum, et ut hoc major ac promtior occaſio ſibi eſſet Judaeos mutilati ſui codicis inſimulandi, conſilium cepiſſe Pentateuchi ſui interpolandi, eumque adeo hoc modo pleniorem conſtituerint et auctiorem. Quo tempore id fece-

(x) Gravius eſt quod objicit Hubigantius in nota ad Exod. XI. 9. verba commatis 3. *Erat Moſes vir magnus* etc. hic ſuo loco non eſſe poſita inter ſermonem Dei ad Moſen, Moſisque ad Pharaonem. Qui tamen ſine praejudicio hunc contextum legent, eaque contulerint quae paulo ante de hoc loco diximus, his facile apparebit, his verbis viam ſterni ad ſermonem Moſis qui ſequitur, et verſum quidem 8. rectius intelligendum.

(y) Loco ſupra laud. lit. o.

(z) *Chronological Antiquities* p. m. 79.

fecerint, et quibus auctoribus, definiri quidem non poteſt; quia tamen hae pericopae in verſione Alexandrina non reperiuntur, et in iis verba eadem recurrunt quae alibi adhibentur, non dubito eam ampliationem poſt concinnatam verſionem Graecam accidiſſe, et a quodam ſciolo, Linguae Hebraicae non admodum perito, fuiſſe profectam. (*a*)

Sed hic nobis maximopere adverſatur Cl. Kennicottus Diſſ. II. cap. 4. period. I. pag. 313. docens, XIII. loca in Exodo eſſe a Judaeis mutilata, atque ad ea non obſcure reſpici verbis R. Jacob Ben Chajim in praefatione Bibliis Bombergianis praemiſſa, ubi fatetur XIII. loca a Graecis interpretibus in gratiam Ptolemaei regis *in eo quod ipſi* (regi) *ſcribebant*, *eſſe immutata*. Sed fallitur, quod pace ejus dixerim, cum mutationem illam in ipſo Hebraico textu ſuſceptam fuiſſe, ex verbis Ben Chajim colligit, falliturque magis cum ſuſpicatur ea XIII. loca in Exodo quaerenda eſſe. Judaei Talmudiſtae, quos hac in re ſequitur B. Chajim, in tractatu *Megilla* fol. 9. col. 1. haec XIII. loca non in Exodo, ſed, diſertis verbis, in Pentateucho mutata eſſe aſſerunt, et quidem a LXX. interpretibus quibus Ptolemaeus rex in mandatis dederit, ut ſibi verterent legem Moſis, eamque mutationem ſuſceptam eſſe dicunt, non in Hebraïcis exemplaribus, ſed in Graecis, addunt enim ibidem: אף בספרים לא התירו שיכתבו אלא יונית *in libris autem non permiſiſſe ut iſta ſcriberentur*, *verum ſolummodo Graece.* Deinde ipſa illa loca verbotenus recenſentur: ſunt autem Gen. I. 1. 26. 27. II. 2. XI. 7. XVIII. 12. XLIX. 6. Exod. IV. 20. XII. 40. XXIV. 11. Levit. XI 6. Num. XXI. 15. Deut. IV. 19. Idemque traditur in *Mechilta* fol. 7. col. 1. manifeſto indicio, Judaeos jam olim ea loca aliter in ſuis exemplaribus legiſſe, quam a Graecis interpretibus ſunt expreſſa, culpamque interpolationis vel mutilationis non apud Judaeos, nec in eorum manuſcriptis quaerendam eſſe, tantum abeſt, ut eam agnoſcant.

Reſtat, ut videamus de exemplis quae ab Hubigantio in medium proferuntur. Horum primo et item altero jam uſus fuerat Morinus. (*b*) Primum eſt, quod legitur Exod. VI. 9 ubi Samaritani, ne Iſraelitae Exod. XIV. 12. fruſtra dixiſſe videantur, *nonne hoc illud eſt*, *quod tibi diximus in Aegypto*, *remitte a nobis*, *ut ſerviamus Ægyptiis*, *nam praeſtat nobis ſervire Aegyptiis*, *quam*

(*a*) Ad eandem originem referimus loca alia haud pauca quae vindice digna eſſe exiſtimarunt. In quibus ergo ordinem rerum dicendarum reſtituere, vel pleniorem et planiorem reddere conicatum allaborarunt; ſed in quibus idem ipſis accidit quod quibusdam criticis ſolet, cum intentionem et conſilium auctoris non aſſequuntur, et dictionem eorum ex ſuo ingenio aeſtimant, non ex natura linguae, aut ingenio vetuſtatis. Ea Samaritanorum inter alia infelicitas fuit Gen. XI. 31. quo loco, contra fidem hiſtoriae, inter eos quos Abraham ſecum in Canaanem deduxiſſet, Nachor et Milca memorantur, quos tamen conſtat in Haran manſiſſe, vid. Gen. XXVII. 43. XXVIII. 5 In additamento hoc legitur vocabulum אישות, quem pluralem ignorat Moſes, qui ejus loco adhibuiſſet נשים, ut ſaepe alibi.

(*b*) *Exercit. Sam.* IV. c. 2. et 4.

Digitized by Google

quam mori in deſerto; verba haec, *remitte a nobis*, et quae ſequuntur, contextui HebraeoSamaritano, ne litera quidem mutata, inſeruerunt.

Lubet ad hunc locum breviter obſervare, ſi haec verba *remitte a nobis, ut ſerviamus Aegyptiis*; ſimul cum his poſtremis: *nam praeſtat nobis ſervire Aegyptiis quam mori in deſerto*, quae Exod. XIV. 12. habentur, alicubi in antecedentibus legi, aut inveniri debeant, ea vix alii loco minus convenire quam Exod. VI. 8. Moſes hactenus nullam, ne verbulo quidem, apud Iſraelitas mentionem fecerat deſerti per quod in Canaanem eſſent deducendi, multo minus ipſis declaraverat, quod Pharao ſub ingreſſum deſerti Arabici eos eſſet perſecuturus et ibidem ad mare Arabicum ad maximas anguſtias redacturus. Qui poterant ergo Iſraelitae mortem in deſerto timere? et ſolitudini, per quam iter erant facturi, praeferre ſervitutem in Aegypto?

Deinde quis cum ratione expectet, ut ii in quibus vexandis et opprimendis tyrannis et libido Aegyptiorum nunc ad ſummum gradum ſaevitiae aſcenderat, ad Moſem dicerent, *remitte a nobis, ut ſerviamus Aegyptiis nam melius nobis eſt* etc. nec potius mortem optarent prae vita, vel ſaltem ob ſummam animi anguſtiam et trepidationem potius omne conſilium abjicerent, et animum plane deſponderent. Itaque licet vel maxime verba illa, *remitte a nobis, ut ſerviamus Aegyptiis*, intelligi poſſint eo tempore ab Iſraelitis adhibita eſſe, cum Moſes apud eos de exitu loqueretur et Pharao jugum ſervitutis adgravaret, atque adeo rebus Exod. V. memoratis probabiliter conveniant, non poſſunt tamen ullo modo cum ſequentibus jungi, quippe quae nec Exod. XIV. 12. hoc fine adferuntur, ut conſtet Iſraelitas ea in Aegypto protuliſſe, multo minus junctim inferciri poſt Exod. V. 8.

Quod denique ad Grotium adtinet tales lacinias non ſemper repudiantem, ea re ingenuum candorem demonſtravit, nec reprehendendus eſt. Docere enim voluit, contextum Hebraicum, qualem eum noſtrae editiones exhibent, ſibi non ubique a vitiis liberum videri, nec Samaritanum ſuis laudibus eſſe fraudandum. Quamvis tamen ego exiſtimem contextum Hebraicum Num. IV. 14. ea lacinia quam Samaritani adjunxerunt, haud difficulter poſſe carere; quia data occaſione et mentione quidem facta altaris aurei, altare interius memoratur, et ex modo deportationis ceterorum utenſilium, facile ad labrum ejusque baſin formari poteſt concluſio. Cetera non tanti ſunt, ut iis immorer, neque huc pertinent.

Nunc venio ad alterum genus Additorum, in quo Samaritani addunt tantummodò verbum, aut verba quaedam, quae Hodiernis abſunt ex Codicibus. Cujusmodi Additamenta ſi orationis ſententiam impedirent, aut obſcurarent, aut facerent inutiliter redundantem, non eſſet recuſandum. quin ea viri docti repudiarent. Sed eadem Samaritici Pentateuchi *Adverſarii omnia omninò rejiciunt, cùm tamen, id quod eſt maximè notandum, eorum Additorum nullum ſit, quo non fiant plana et aperta ea, quae Hodiernis in Codicibus ut-*

pote mutilatis, obſcuriſſima ſunt, omninòque inextricabilia. Cujus generis illuſtre exemplum eſt id, quod Hebr. in Hodiernis Codicibus, Exod. cap. 12. vſ. 40. *ſic legitur*, Habitatio filiorum Iſrael, quam habitaverunt in Aegypto, fuit quadringentorum et triginta annorum, *cùm tamen ex ratione temporum conſtet, Iſraelitas in Aegypto annos, non pluſquàm quindecim ſuprà ducentos, fuiſſe commoratos. Quam difficultatem non habet* Sam. Pentateuchus, *in quo poſt haec verba*, habitatio filiorum Iſrael, *additur* et patrum eorum, *quod etiam geſtant* Graecorum Intt. *quidam Codices, et rurſus poſt*, quam habitaverunt, *ſubditur* in terrâ Chanaan, *ut poſt ſequatur*, et in terrâ Aegypti. *Nam his non omiſſis, conſtat ea ratio temporum, quam Moyſes alibi inſtituit; cujus calculos ſi ſubducas, reperies, ex quo Patriarchae in Chanaan advenêrunt, usque ad Iſraelitarum, Moſe duce, profectionem, annos interceſſiſſe triginta et quadringentos. Quae cùm ità ſunt, quid cauſae eſſe poteſt, cur non ultrò amplectamur id, quod Samaritani non omittunt? Quò pertinebat, Hebraicum Hodiernum Codicem torquere, quem adducere ad rectam ſententiam non poſſes?* Non incommodè, *inquiebat Grotius*, ſic explicatur: Exilium illud Aegyptiacum duraſſe usque ad annum 430. ex quo Deus Abrahamo praeſignificaverat. *In qua Grotianâ explicatione* Grotium *deſidero. Nùm exilium erat* Aegyptiacum, *tùm cùm* Deus Abrahamo praeſignificabat? *Vel cui perſuadebat* Grotius *Moſen haec verba*, ex quo Deus Abrahamo praeſignificaverat, *cùm dicere vellet, omiſiſſe? Quae verba cùm ſuo Marte* Grotius, *et Sacra Paginâ invitâ, inſerciat, nùm huic potius credemus, ut ea verba omiſerit Moyſes, ſine quibus intelligi non poſſet, imò ſecum ipſe pugnaret, quàm Samaritanis, quorum diligentiâ commonemur Judaeos Scribas fuiſſe negligentes? Sed audiendus Joan Clericus ad Exod.* 12. *vſ.* 40. Malim, *inquit*, ἀχρονολογίαν in Maſoretico Codice agnoscere, quàm mendum. *Vigilas, Clerice, cùm hoc loqueris? Negas Hébr. in volumine eſſe mendum, hoc eſt, errorem ab Scribis Judaeis profectum; eò potiùs inclinas, ut ſit* ἀχρονολογία, *hoc eſt, Moſis ipſius in temporibus notandis indiligentia? Egregiam profectò indiligentiam, ut Moyſes ſcripſerit* annos 430. *cùm ſcribere debuiſſet annos* 215. *eo praeſertim loco, in quo tempora Moyſes tàm diligenter notat, ut non modò annos computet, ſed ipſum etiam ponat anni menſem, menſisque ipſum diem? Quid Buxtorfium dicemus, non modò, ut caeteri Interpretes, hic tergiverſantem, ſed etiam planè negantem, fuiſſe quidquam ab Judaeis Scribis omiſſum? Heus tu, Buxtorfi! Illam-ne fuiſſe Moſis ſcriptionem putas, quâ Moyſes Moſi contradicat, et apertè mentiri videatur? Videatur ſanè, inquit; ſed nihil quidquam amplius Moſen ſcripſiſſe mihi quidem conſtat. Quonam igitur pacto, Buxtorfi, Moſen cum Moſe conciliabis? Non conciliabo, inquit, ſi non potero, ſed veto in Hodierno Hebr. Codice quidquam addi et ſuppleri. Quid ita?* Quia, *inquit*, (1) Co-

(1) *Anticrit.* parte 2. cap. 7. pag. 535.

Codices . . . Hebraei omnes . . . hic conſentiunt, et illud additamentum ignorant. Quòd ſi autem lapſu Scribae alicujus, vel etiam plurium exciďiſſet, non potuiſſet id fieri in omnibus Exemplaribus. *Sed Buxtorfium nunc linquimus, Buxtorfianasque nugas, quoniam eas ſumus non multò poſt confutaturi. Ex cordato Lectore quaerimus, utrùm Samariticus Codex ſit eà in re abjiciendus, quà nodum ſolvit Hodiernorum Codicum omnino inextricabilem. Utrùm putandum ſit id ſuo marte addidiſſe Samaritanos, quod etiam legunt Graeci Interpretes? Utrùm negandum, Scribas Judaeos id omiſiſſe, quod omitti perquàm proclive eſſet? Nam cùm olim ſic legeretur,* בארץ כנען ובארץ מצרים, *facilè intelligitur, quàm pronum fuerit, ut oculis ſimilitudine deceptis, ab uno* בארץ *Librarius in alterum ſaltum faceret; quo admiſſo errore, id tantummodò reſtabat ſcriptum, quod Hodierni habent Codices. Atque hic error, ubi duo verba ſimilia recurrunt, Scribis eſt tàm familiaris, ut mihi ipſi haec mea Prolegomena ab deſcripto relegenti, eundem mei Scribae errorem deprehendiſſe ferè contigerit toties, quotiès in meo Exemplari ſupra-dicta errandi occaſio recurrebat. Imo eundem ego errorem Hodiernis ipſis in Codicibus ſaepè deprehendi; caeteroquin ad margines Codicum, vel ipſâ in columnâ, ut plurimùm, emendatum atque ſuppletum; ut non recuſandum ſit, quin ſimiles errores Judaei Scribae ſaepè errarent, niſi et diligentiam quam maximam adhiberent, et Emendatores ſubſidio perpetuo advocarent.*

Alterum genus eſt eorum locorum, in quibus Samaritani addunt tantummodo verbum, aut verba quaedam quae hodiernis e codicibus Judaicis exulant. De his additamentis obſervat Criticus noſter, eam eorum dotem eſſe, ut plana et aperta faciant, quae in Judaicis codicibus ſunt obſcura et inextricabilia. Qui tamen omnia loca veterum auctorum ob id protinus corrigenda vel amplianda eſſe putet, aut additamenta quae in iis ſuſcepta ſunt, ob eam cauſam probet, atque ejusdem veteris monetae eſſe credat, quia contextum illuſtrant et clariorem reddunt nobis, qui tot ſeculis ab illis temporibus abſumus quibus hi actores vixerunt, et ſaepe idoneis ad cognoscendum ſubſidiis ſumus deſtituti, ei dubito an tuto committi et mandari poſſint monumenta vetuſtatis. Quo enim magis antiqui ſunt ſcriptores, hoc minus vulgo carent ejusmodi exemplis, in quibus vel genius ſeculi quo vivebant, vel diverſitas linguae, vel alia rerum [illegible] nobis non cognita, vel ſatis explorata, adſperſit obſcuritatem. Habetque hoc inprimis Moſes in more poſitum, ut ob ſummam dictionis brevitatem, nonnulla ſaepe digito adtingat, quae vel alibi plenius enarraverat, vel apud hos quibuscum verſabatur, non poterant non cognita eſſe et perſpecta; quae tamen ea propter, quia nobis obſcurius dicta videntur, nec protinus obelo transfigenda ſunt, nec ſolicitanda.

Sed ut ad illum locum deveniamus, qui vere hactenus crux fuit interpre-

pretum et criticorum, quemque Hubigantius, poſt Morinum aliosque (*b*) pro mutilato et imperfecto habet, nec reſtitui poſſe putat, niſi ad fidem codicis Samaritani et verſionis Graecae refingatur: duo ſunt quae circa eum in quaeſtionem veniunt. Quaeritur primo de verbis, vel lectione qualem exhibent codices Judaici, tuenda vel abjicienda, deinde de re, vel ſententia verbis comprehenſa, hoc eſt, quam fundunt naturaliter. Primum mihi inprimis cum Hubigantio tranſigendum eſt, poſtremum cum interpretibus aliis. Si itaque probabiliter demonſtravero Moſen verbis Exodi XII. 40. quo modo Judaicis codicibus leguntur, nil diverſum ab eo inſinuare, quod conceptis verbis dixerat alibi in antecedentibus, ubi nulla erroris a librariis commiſſi eſt ſuſpicio; atque ad eum locum haud obſcure nos ablegare, ſequetur, lectionem horum codicum, quamvis ſententiam fundant nobis explicatu difficilimam, tamen non eſſe deſerendam, vel abjiciendam.

Hoc autem ut faciam, atque in oculis mentibusque omnium defigam, operae pretium erit huc retuliſſe praedictionem ipſiſſimi hujus facti quod Moſes commemorat, qualis a Deo ipſo cum Abrahamo communicata fuit Gen. XV. 13. eamque cum verbis Exod. XII. 40. paulo accuratius contendere, et ſententiae quam fundit uterque locus, paritatem et συμφωνίαν demonſtraſſe. Priore loco ſemen, vel poſteri Abrahami dicuntur peregrini futuri eſſe in terra non ſua, eo cum effectu, ut ſerviant incolis ejus, ab iisque adfligantur, quadringentis annis. Poſteriore, incolatus Iſraelitarum in Aegypto habitantium docetur duraſſe quadringentis et triginta annis. Si jam priore loco poſteri Abrahami *qui peregrini erant futuri*, ſint Iſraelitae, ſi *terra quae non eſt eorum*, non ſit Cananaea, ſed alia, ſpeciatim Aegyptus, ſi denique in illo loco numerus rotundus adhibeatur pro fracto qui occurrit Exod. XII. 40. atque ille numerus in utroque loco referatur ad peregrinationem Iſraelitarum, praeſertim in Aegypto, ſequetur utrumque locum eodem redire; niſi quod priore loco ea res ſpectetur ut futura, poſteriore tanquam praeterita, in illo generalius enuncietur, in hoc ſpecialius. Quod autem priore loco per Abrahami poſteros intelligendi ſint Iſraelitae, hoc eſt, Jacobus atque filii ejus et nepotes, (*c*) patet quam clariſſime ex eo, quod nulli alii Abrahami poſteri peregrini fuerint in terra non ſua, nulli alii praeter Iſraelitas ſubjecti ſint ſervituti et adflicti, denique nulli alii hinc egreſſi cum facultatibus multis, et quidem generatione quarta, qui characteres enumerantur Gen. XV. 13—16. Deinde quod per terram quae non ſit poſterorum Abrahami, ſubaudire debeamus, non Cananaeam, ſed aliam, ſpeciatim Aegyp-

(*b*) Vid. *J. Morinus Exerc. Sam.* IV. 2. et Lud. Capellus *Crit. ſacr.* lib. IV. 10 pag. 281. atque alibi.

(*d*) Sic formula בני ישראל in hac ipſa hiſtoria accipitur apud Moſen Gen. XLVI. 8. coll. 15. 27. Exod. 1. coll. 5.

Digitized by Google

gyptum, manifeſto colligitur, cum ex praedicatis ejus quae paulo ante tetigimus, tum ex eo quod terra Cananaea Abramo ejusque poſteris in hereditatem adſignata ſit (*e*), jamquè illi, ſi nondum jus in re, ſaltem jus ad rem ſuo tempore poſſidendam haberent, eoque nomine terra illa magis eorum dici potuerit, quam non eorum.

Accedit, quod terra illa aliena, in hoc ipſo capite Geneſeos ab Cananaea manifeſto diſtinguatur vſ. 16. nec poſſit diverſa eſſe ab ea, ex qua reverſuri eſſent cum facultatibus multis vſ. 14. Ne dicam, hanc virtutem et uſum eſſe formulae negativae לא להם qua utitur Deus, ut neget fortius atque ob hanc cauſam de terris aliis oppoſite ad Cananaeam v. gr. Jerem. V. 19. adhibeatur; quo modo *terra non eorum*, erit terra quae eſt minime eorum, in quam nullum jus habebunt, atque adeo quae ne quidem ipſis eſt promiſſa. (*f*) Dicitur quidem, nec diffiteor, terra Cananaea peregrinationum Abrahami Gen. XVII. et Iſaaci Gen. XXVIII. 4. neque negandum eſt, Abrahami poſteros, quamdiu hereditatem ſibi promiſſam nondum creverant, vel etiam ex Aegypto, tanquam ultimo peregrinationis termino, egreſſi erant, quocunque locorum verſarentur, etiamſi in media eſſent Cananaea, recte quidem dici potuiſſe peregrinos, Gen. XLVII. 9. ſed non peregrinos in terra non ſua, niſi extra Cananaeam peregrinarentur.

Tandem, ſi quis dubitet numerum rotundum Gen. l. l. adhiberi pro fracto Exod. l. l. numerosque iſtos ob hanc cauſam eodem redire, is velim meminerit ſacros ſcriptores idem non raro in narratione hiſtorica facere (*g*), idemque multo magis fieri potuiſſe Gen. l. c. ubi ſufficiebat hunc numerum memoraſſe ex quo cognosceret Abrahamus quantum temporis a confirmata promiſſione prolis eſſet lapſurum circiter, donec poſteri ejus poſt multos caſus multaque rerum diſcrimina ex Aegypto in terram hereditariam eſſent ducendi. Quod ſi enim contra ea ſtatuamus, per diverſitatem numeri qui Gen. et Exod. l. l. obſervatur, duo diverſa ejusdem temporis initia deſignari, vel dubium et anceps erit initium implementi, vel terminus et finis ejus non accurate erit conſtitutus; nec potuit Moſes ad illam praedictionem commode reſpicere. Ut autem credam Moſen hic loci ad illam praedictionem reſpicere et nos quaſi manu ducere, faciunt, praeter exactam utriusque loci convenientiam et [illegible] quam ſupra notavimus, duae prae ceteris [illegible], quarum prima eſt, quod hanc obſervationem adſpergat, poſtquam poenas

(*e*) Quare etiam Gen. XXXI. 3. *terra patrum Jacobi* adpellatur, conf. Gen. XIII. 15. XV. 7. XXX. 25. XL. 15.

(*f*) Vid. Perizon *Orig. Aeg.* pag. 357. et Celeb. Venema *Diſſ. Select.* pag. 129. 130.

(*g*) Verbi gratia Jud. XI. 26. XX. 46. coll. 35. Alia exempla vide ſis apud Abramum in *Pharo* V. T. pag. 186. conferque Petavium *Doct temp.* lib IX. c. 17. et G. J. Voſſium *Isag. Chron.* Diſſ. VII. c. 8. Idem hic fieri agnovit Cl. T. H. van den Honert *Waaragtige Wegen* part. II. lib. II. c. 3. §. 6. n. 1.

Digitized by Google

nas a Deo de Aegyptiis ſumptas noviſſime deſcripſerat, altera, quod id faciat, poſtquam tribus verbis ante illam ultimam exitus ἔξοδον quae memoratur Gen. XV. 14. ex profeſſo adtulerat, nempe, quod Iſraelitae egreſſi ſint cum facultatibus multis, Exod. XII. 35—38. Deſino nunc, quod commemoratio hujus praedictionis ab ipſo Deo factae et confirmatae, ad confirmandos Iſraelitarum animos, et ipſius Moſis divinam miſſionem probandam, potuerit facere plurimum.

Haec cum ita ſint, et utriusque loci non ſolum ſit eadem ſententia, ſed etiam Moſes nos Exod. XII. 40. non obſcure ad Gen. XV. 13. ablegaverit, neceſſum eſt, ut vel in ambos hosce locos aliquod vitium irrepſerit, vel in neutrum; aut ſi quid difficultatis habent verba Exodi, eam potius Gen. l. l. quaeramus, quippe quo loco quae dicta ſunt, dicta ſunt prius et uberius, et ad quem Moſes tanquam ad teſtem et arrhabonem aliquem nos ablegavit. Sed Gen. XV. 13. 14. cum Codice Judaico planiſſime convenit Samaritanus, conveniunt Graeci interpretes aliique veteres, nec diſſentit verſio Samaritana. Sequitur ergo, ut dicamus verba iſta, *et patrum eorum*, et *in terra Canaan*, quantamcunque etiam ſpeciem habeant, tamen vel naſuti cujusdam critici gloſſema eſſe, vel ab ipſis interpretibus, vel deſcriptoribus eſſe addita (*h*); adeoque admittenda non eſſe.

Accedo nunc ad alteram illam et praecipuam quaeſtionem Chronologicam quae ſolet moveri de eo unde inchoandi, ubique finiendi ſint 400. vel 430. anni illi qui a Moſe l. l. memorantur. Quanquam poſt vindicatam veram et genuinam ejus lectionem, nemo aequus rerum arbiter a me requirat, ut et illam, et quidem ex omnium voto definiam, atque in his rebus facilius eſt falſum videre, quam certum et abſolutum in vicem ejus ſubſtituere; dicam tamen libere meam ſententiam, et conjecturam lectoribus meis communicabo, quae licet difficultate ſua forte non careat, tamen ideo non prorſus repudianda videbitur, quia minimis urgetur, et cum natura verborum, quemadmodum in noſtris libris Hebraicis leguntur, omnium optime convenit. Quid multa? nemini interpretum aſſentior quos hactenus vidi. Alii commorationi Iſraelitarum in Aegypto totos 430. annos, imo plures (*i*) aſſignant, eoque nomine nonnullos Jacobi poſteros vel nepotes numerant et ſubintelligunt, a Moſe non agnitos, nec memoratos (*k*). Alii ne

(*h*) Poſtremum hoc patet non obſcure ex varietate lectionis quae hic loci cum in exemplaribus Hebraicis, tum in Graecis obſervatur.

(*i*) De his videri poteſt G. J. Voſſius *Iſagog. Chronol.* Diſſ. VII. c. 8.

(*k*) Ita Genebrardus et Abramus, quos ſequitur Perizonius *Orig. Aeg.* c. XX. pag 362. 363. His ante aliquot annos ſeſe adiunxerunt duo viri celeberrimi, Michaelis et Koppius, Profeſſores Gottingenſes, ut videre eſt in *Orient. Bibl.* part. XII. p. 24—40. cauſantes, fieri non potuiſſe, ut intra ſpatium 215. annorum qui vulgo commorationi Iſraelitarum in Aegypto transſcribuntur, populus in tantam multitudinem excreſceret, ut ſub exitum ejus eſſent 600000, qui arma ferre poſſent Exod. XII. 37. Recte. Ne tamen ea propter plures generationes admit-

ne eo devenire cogantur, vel ellipſin ſtatuunt eorum verborum quae Samaritani et Graeci hic inferciunt, vel ſynecdochen, aut catachreſin qua ſub nomine Iſraelitarum ſimul Abrahamus et Iſaacus contineantur, (*l*) vel denique verbis aliam ſententiam accommodant, quam quidem ferunt, (*m*) atque initium horum 430. annorum vulgo a vocatione Abrahami vel etiam a nativitate Iſaaci repetunt ob Gal. III. 17. Mihi nulla harum opinionum probanda eſſe videtur. Utrinque peccatur in exceſſu. Illi verba Moſis magis reſtringunt quam quidem par eſt, hi eis vim faciunt et latius extendunt quam quidem patiuntur et natura rei permittit. Quae ſententia cum ſimpliciſſimo verborum ſignificatu et rebus a Moſe memoratis maxime convenit, ea ceteris erit praeferenda. Cum itaque verba Moſis Exod. XII. 40. aeque ac Gen. XV. 13. nos jubeant non de Abrahamo, ſed de ejus ſemine vel poſteris cogitare, nec permittant, ut de aliis Abrahami poſteris ea ſubaudiamus, quam de iis qui *Aegyptum* incoluerunt, non de Iſaaco, ſed de Jacobo ejusque filiis et nepotibus, *Iſraelitis*, lubet mediam viam ingredi, et videre num illorum 430. annorum qui eorum peregrinationi adſcribuntur, non ſolum finem, ſed et initium apud eos invenire queamus.

Fateor quidem Moſem in utroque loco ſic loqui, ut cenſeri poſſit de ſolo incolatu Iſraelitarum in Aegypto agere voluiſſe. Qui tamen verba ejus quibus in Exodo uſus eſt, paulo penitius introſpiciunt, eis obſcurum eſſe nequit ea fine ulla vi aut contorſione etiam in hunc ſenſum intelligi poſſe, ut incolatui vel peregrinationi Iſraelitarum qui in Aegypto habitarunt, transſcribantur 430. anni (*n*). Rurſus, verba Gen. XV. 13. ut ſane accepta fuerunt a Judaeis, primo quidem et in genere de peregrinatione vel incolatu loquuntur, ſed in ſpecie et praeſertim de peregrinatione in Aegypto, deinde de dura ſervitute et adflictione, hisque tribus ad hereditatem promiſſam quaſi gradibus adſignant 400. annos. Per hos tres gradus cum aditum ad terram Cananaeam ſibi paraverint Iſraelitae, ita ut Jacobus et filii ejus non ſolum peregrini fuerint, ſed ſpeciatim peregrini in terra non ſua, ubi poſteri eorum multa dura perpeſſi ſunt; ex illoque charactere diſtinctivo Abrahamus intelligere debuerit non omnes aut quoscunque poſte-

mittamus quam IV. facit cum Gen., XV. 16. ubi Iſraelitae dicuntur *generatione quarta* ex Aegypto eſſe reverſuri, tum Exod. VI. 15—19. et Num XXVI 58. 59 ubi hae IV. generationes a Levi usque ad Moſen ſic enumerantur, ut haud facile plures poſſint admitti, nec dubitari poſſit quin Cahath fuerit non avus, ſed pater Amrami.

(*l*) Contra hos videri merentur quae opportune monuit Nic. Abramus in *Phara V. T.* pag. 222. 226. 227.

(*m*) Et verba poſtrema commatis 40. a praecedentibus ſejungunt, cum Clariſſimo T. H. van den Honert, loco ſuperius laudato.

(*n*) Ut ita accipiam, facit ambiguitas particulae אשר, quae aequo jure ad Iſraelitas transferri poteſt, quam ad eorum incolatum in Aegypto.

poſteros ſuos denotari, ſed tantum eos qui in Aegypto eſſent habitaturi; (o) itaque Moſes Exod. XII. 40. ſcribendi quodam compendio uſus, et ſpecialius loquens, incolatui Iſraelitarum qui Aegyptum incoluerunt 430. annos aſſignavit. Quare, ſi quis illorum verborum amplitudini, horum vero reſtrictioni ſatisfacere, et rationem earum rerum habere velit quae tanquam ſigna implendae praedictionis Gen. XV. adferuntur, non poterit initium peregrinationis Abrahami poſteris propoſitae et praeſcriptae altius repetere, quam ad ſummum a nativitate Jacobi, finem vero collocare in exitu ex Aegypto. Cum enim non alia queant eſſe ſubjecta atque patiuntur eorum nomina et praedicata, ſequitur nec de Abrahamo, neque de Iſaaco hic cogitari poſſe.

Ut autem ab illo temporis articulo eorum 430. annorum qui Exod. XII. memorantur principium petam, facit ante omnia longior mora quam Iſraelitae in Aegypto traxerunt. Huic morae qui tantum 215. annos adſignarunt, iis impoſuit, quod initium horum 430. annorum qui Exod. XII. memorantur, vel a vocatione Abrahami et promiſſione prolis ei facta, vel ab ejus peregrinatione repeterent, in eamque rem abuterentur verbis Gal. III. 17. Hoc modo cum facile fieri potuerit, ut anni ducenti et quindecim elapſi eſſent, antequam Jacobus cum ſuis in Aegyptum veniret, ſequebatur, ut in commorationem Iſraelitarum in Aegypto numerari poſſent non plures quam totidem anni. Sed multo longius iſtud ſpatium extendendum eſſe, atque inter mortem Joſephi et nativitatem Moſis plures annos elapſos eſſe, quam vulgo putatur, hoc eſt, quam 60. vel 64., patet ex rebus multis intra hoc tempus geſtis, quae ſuo ordine recenſentur Exod. I. 6—22. (p) patetque inprimis ex ingenti et plane ſtupenda illa populi multitudine in quam eo tempore excreviſſe deprehenditur, nec ſolum Iſraelitae excreverunt, ſed et aliae gentes (q). Alteram rationem ob quam initium horum 430. non ocius, aut ſerius, quam in nativitate Jacobi figimus, praebet nobis ille ipſe locus ad Gal. III. 17. quo alii uſi ſunt, ut evincerent hos annos vel a promiſſione ſeminis Abrahamo facta, vel ſaltem a nativitate Iſaaci repetendos eſſe. Qui tamen ſine praejudicio verba Pauli inſpexerint, eis apparebit Apoſtolum in eo non de foedere aut pactione quacunque cum Abrahamo inita, ſed de διαθήκης προκεκυρωμένης, *confirmata* loqui, eamque confirmationem a pactione ipſa et promiſſionibus eam comitantibus, ſpeciatim ab iis quae circa ſemen ejus unum ver-

(o) Hoc patet quam clariſſime ex collatione ipſius praedictionis Gen. XV. 13—16. cum viſione Abrahamo ibidem exhibita et rebus ad eam pertinentibus, ut quarum pleraeque ad Aegyptum referendae ſunt, quemadmodum docuit Cl. Herm. Venema, vir eruditiſſimus, *Diſſ. Select.* V.

(p) Huc refert Joſephus pyramidum et aggerum conſtructionem itemque fluminis in multas foſſas diductionem, *Ant.* II. 9. 1. quem locum ad ſuam hypotheſin adplicavit Perizon. *Orig. Aeg.* Cap XXI.

(q) Aſſyrii, Edomitae, aliique de quibus videri meretur Nic. Abramus lib. cit. pag. 238-244.

Digitized by Google

verſabantur manifeſto diſtinguere vſ. 15. 16., a pactione autem vel teſtamento hoc confirmato demum numerare hos 430. annos, quibus elapſis, introducta ſit lex, vel oeconomia legis, quae cum exitu ex Aegypto incipiebat. Cum autem teſtamentum illud et promiſſio illa ſeminis Abrahamo confirmata ſit, non ſolum nativitate Iſaaci, ſed etiam nativitate Jacobi (erat enim Abrahamus tum temporis adhuc in vivis) ſequitur, ut hos annos potius ab ea confirmatione voluntatis divinae derivemus quae poſtrema omnium Abrahamo innotuit quaque certiſſime convictus fuit Iſaacum, contra quam ipſi videbatur Gen. XXV. 21. non ſine liberis fore; atque adeo ſemen illud in quo omnes gentes benedictionem conſecuturae ſint, certiſſime ex ſemine ejus eſſe oriturum.

Quaeritur jam quantum temporis ſpatium par ſit, ut commorationi Iſraelitarum in Aegypto tribuamus? Qui totos illos 133. annos quibus vixit avus Moſis, Cahathus, Exod. VI. 18. itemque illos alios 137. annos per quos in vivis fuit Amramus, Moſis pater, Exod. VI. 20. ſibi invicem ſubordinare et continuatim computare velit, eosque 270. annos, illis 80. annis, quibus natus erat Moſes, cum Pharaonem alloqueretur Exod. VII. 7. adjicere, ut in univerſum ſint 353. is modum excederet, et rationes chronologicas turbaret. Neceſſarium ergo erit, ut his 353. annis tantum annorum ſubtrahamus, quantum facile ſufficit in illud tempus quo Cahath et Amram ſimul vixerunt et uterque adhuc creare liberos potuerunt. Detraho non pauciores, quam 53. annos, ut reſtent 300. quo modo non opus erit ſtatuere quod Cahath et Amram paulo ante obitum generaverint, aut Cahath poſt adventum in Aegyptum demum natus ſit: et inter mortem Joſephi et nativitatem Moſis inſeri poterunt 149. anni, atque adeo Iſraelitis in Aegypto poteſt adtribui longior mora. Hos 300. annos paulo ante memoratos, quando aliis 130. annis adjungo quos natus erat Jacobus cum veniret in Aegyptum, Gen. XLVII. 49. redit calculus 430. annorum quem ſubduxit Moſes Exod. XII. 40. Cum enim terminus et finis horum 430. annorum neceſſario figendus ſit in exitu ex Aegypto, ſequitur principium eorum in tali tempore collocandum eſſe, a quo tot anni usque ad illum exitum commodiſſime effluxerunt.

Quo magis autem hoc principium et finem his 430. annis ſtatuam, monent me, praeter ea quae in ſuperioribus adtuli, duo criteria circa implementum praedictae hujus peregrinationis Gen. XV. obſervanda, nec obſcure a Deo tradita, quorum unum circa initium horum annorum verſatur, alterum circa finem. Primum eſt, quod Abrahamus eſſet *moriturus in canitie bona* Gen. XV. 15: XXV. 8. Mors autem Abrahami cum demum poſt nativitatem Jacobi contigerit, velut ex Gen. XXIV. et XXV. coll. Hebr. XI. 9. colligitur, potuit Abrahamus ante obitum ſuum, eum ipſum coram videre et ulnis amplecti, qui caput et ſator erat futurus iſtius ſeminis dilecti, vel partis tantum

ex poſteris ejus, quae excluſis omnibus aliis gentibus (r) etiam ab Abrahamo et Iſaaco prognatis, non ſolum heres futura erat promiſſionum quas Abrahamus acceperat, ſed etiam ſubjectum praedictionis quae cum eo tum temporis communicabatur. Alterum eſt, quod *generatio quarta*, non quidem Abrahami, ſed eorum qui peregrini erant futuri in terra aliena, in Canaanaeam eſſet reverſura Gen. XV. 16. Notum eſt vocabulum דור apud Moſen aliosque ſcriptores ſacros paſſim ſic accipi, ut notet aetatem hominum eodem tempore ſimul viventium, Gen. VII. 1. Exod. I. 6. Eccl. I. 4. Non abſurdum ergo eſt, ut ſtatuamus generationem primam eſſe eorum qui in Aegyptum venerunt, hoc eſt, Jacobi et Joſephi omniumque fratrum ejus Exod. I. l. alteram eorum qui ſub ingreſſum vel in Aegypto nati ſunt, tertiam ab his natorum, quartam vero eorum qui Aegypto exiverunt. (s) Harum vero quatuor generationum cum caput et princeps fuerit Jacobus ipſeque adeo ad primam generationem pertineat, non obſcure colligitur ab illo earum initium ducendum eſſe. Accedit, quod Jacobus ex ceteris Patriarchis et quidem ſolus, ille ipſe fuerit cui praedicata praecipua Gen. XV. 13. memorata, et in quibus cardo rei vertitur, poſſint adplicari. Nam non ſolum peregrinus fuit, ſed peregrinus in terra aliena, ubi ipſe ſervitutem et quidem duram Gen. XXXI. 38—43. per viginti annos pertulit, et quod maximum eſt, aliquamdiu habitavit in Aegypto.

Sentio quid mihi obſtet. Quando incolatui Iſraelitarum in Aegypto 300. annos adtribuo, hisque detraho ſolummodo illos 80. annos quos Moſes ſub exitum ex Aegypto impleverat, reſidui erunt 220. anni, quos oportebit in Cahathum et Amramum ſic diſtribuere, ut vel uterque eorum circa centeſimum et decimum aetatis annum adhuc filium ſuſceperit, vel alteruter ſub finem vitae ſuae generaverit. Utrum horum eligas, non caret difficultate, quia certum eſt homines ea tempeſtate multo ocius liberos procreaſſe, et Cahath praeter Amramum adhuc tres filios habuit, illo, ut videtur, natu minores, Exod. VI. 17. Sed eſt ſolubile dubium. Quamvis enim negari non poſſit, pleroſque qui tunc vivebant, intra quadrageſimum et ſexageſimum aetatis annum, aut nuptias contraxiſſe, aut liberos procreaſſe, (t) tamen nec paulo ante, nec poſt eam tempeſtatem, et in familia quidem Jacobi, rara fuerunt exempla eorum quibus is vigor naturae usque ad provectiorem et jam praecipitatam ſenectutem conſervatus fuit. Ne enim ipſum Jacobum commemorem, anno aetatis centeſimo et octavo Benjaminem procreantem, velut ex Gen. XXXIV. et XXXV. colligitur: huc pertinet Levi, pater Cahathi, cu-

(r) Pſal. CXLVII. 19. 20. Malach. I. 2. Rom. IX. 13.

(s) Non, quod exiſtimem omnes Iſraelitas qui exiverunt, fuiſſe pronepotes filiorum Jacobi, ſed quod multi, imo longe plurimi eorum tum fuerint ſuperſtites, ob longaevitatem

(t) Vid. J. G. Voſſius *Iſag. Chronol.* Diſſ. VII. c. 11. et Jakſon *Chronol. Ant.* pag. 96. 97.

cujus ſi filia Jochebed nupſit Amramo, Cahathi filio (*u*), oportet illum tempore nativitatis ejus centum viginti annis fuiſſe majorem (*x*). Huic jungendus videtur Judae pronepos, Segub filius Chetſronis Gen. XLVI 12. cujus natus Jair, quadraginta poſt exitum annis, viginti tres urbes in Baſanitide occupavit Num. XXXII. 39—41. I. Chron. II. 21. 22. Addique merentur ſine dubio alii ex ejusdem Chetſronis poſteris, quippe inter quem et Davidem hi ſeptem tantummodo interceſſiſſe leguntur, qui nominetenus expreſſi ſunt Ruth. IV. 18. fin. atque adeo ab occupatione Palaeſtinae usque ad Davidem numerantur tantum tres, Boas, Obed et Jeſſe (*y*). Non igitur tantopere mirandum eſt, ſi his parentibus et affinibus nati Cahath et Amram circa annum aetatis centeſimum et undecimum adhuc filios ſusceperint. Sane vero quod Amramus multis annis ante nuptias contraxerit, quam naſceretur Moſes, patet quia filiam habuit Mirjamam, adoleſcentulam hoc natu majorem, cum Moſes in fluvium projiceretur Exod. II. 7. 8. Quod autem ad Cahathum adtinet, etſi ejus annos quos habuit, cum naſceretur Amramus, definire non auſim, nec ea de re quidquam ſacris pandectis ſit memoriae proditum, apparet tamen exemplis majorum quae paulo ante produximus, nec non aliorum qui tum vixerunt, non incredibile aut tantopere mirandum eſſe, quod provectiore aetate, et quidem poſt centeſimum aetatis annum Amramum procreaverit.

Quod ſi cui hae rationes non ſatisfaciant, malitque cum aliis, Cahathum eorum numero eximere, qui antequam Jacobus in Aegyptum veniret, ſunt nati, non intercederem quidem; ſunt enim in eo catalogo Gen. XLVI. et alii, qui quidem eo tempore nati ſunt, quo Jacobus vixit, nec tamen nati videntur ante ingreſſum ejus in Aegyptum (*z*). Sed cum Jacobi poſteri qui ante adventum ejus in Aegyptum geniti ſunt, plus vice ſimplici ab aliis in Aegypto natis, iſto capite diſtinguantur, a me impetrare non poſſum, ut huic ſententiae ſubſcribam eamque ſolutionem hujus dubii meae praeferam.

Juvat nos, alterum exemplum apponere, eò ut iterùm videat, Erudite Lector, in quales nugas deſcendant ii Interpretes, qui Sam. *ut vocant*, Additamentum, *vel negligunt*, *vel repudiant*. Exod. cap. 32. v. 32. *Hod. in Codice ita legitur ;* ועתה אם תשא חטאתם ואם אין מחני *quod ſic vertere ſolent*, nunc autem, ſi parcis iniquitati eorum, ſin minùs, dele me (de libro

(*u*) Quod tamen minus probabile; confer Cl. Michaelis tractatum *Von denen Ehe-geſetzen Moſis* Cap. III. §. 24.

(*x*) Conf. Hubigant. not. ad Exod. l. l.

(*y*) Qua de re conf. Perizon. *Orig. Aeg* C. XX. pag. 364. 365.

(*z*) Huc pertinere videntur, ſi non omnes, ſaltem aliqui ex filiis Benjamin, Gen. XLVI. 21. coll. XLIII. 8. XLIV. 33. Plura dabunt Voſſius l. l. et T. H. van den Honert. tract. cui tit. *Chriſtus afkomſt uit David* pag. 751—754.

bro tuo) *Et rectè quidem vertunt*, ואם תשא, ſi parcis. *Neque enim vertendum fuerat*, parces-ne, *quaſi ſermo interrogaret. Nam haec verba* ואם אין, ſin minùs, *quae mox ſequuntur, apertè declarant fuiſſe in ante dictis conditionem* ſi, *alteri conditioni* ſin minùs, *oppoſitam, non autem interrogationem. Cum igitur in tali oratione*, ſi parcis populo huic, ſin minus, dele me. . . *pars prior ſuſpenſa et incerta relinquatur, vide quaeſo, quid dicant Interpretes. Vatablus ſic monet: „Oratio defectiva, in quâ multa ſubaudienda ſunt; ac ſi di- „ cat*, ſi tantum peccatum remiſeris, quid ſentient de te gentes?" *Quid Cenſes, Erudite Lector? Si quis, cum hiſtoriâ in quadam Latina legeret, quemdam ex Purpuratis Regem ſuum ſic oraſſe*, ô Rex, ſi dimittis meum peccatum, ſin minus, dele me de numero tuorum Purpuratorum, *affirmaret Latino in Contextu nihil eſſe mancum aut vitioſum, ſed ea verba Latina*, ſi dimittis meum peccatum, *idem valere ac*, ſi dimittis. . . . quid ſentient de te gentes, *eum-ne intelligere Latinam Linguam crederes, aut riſum tenere poſſes? Ecce vero aliae deliciae Clericanae. Quoniam* Sam. Pentateuchus *addit poſt verbum* תשא, dimittis, *alterum verbum* שא, dimitte, *in hanc ſententiam*, ſi dimittis peccatum eorum, dimitte, *quo uno verbo addito, ſententia perficitur, exiſtimat Clericus non incommodè quidem apud Sam. Codicem legi verbum* שא, *neque multum repugnat, quin Hebr. ipſis in Codicibus olim ſic fuerit ſcriptum. Tamen idem maluit ſupplere*, veni ut intelligerem? *Nam in ſua Paraphraſi ſic convertit*, veni ut intelligerem, nùm ignoturus ſis populo huic. *Clerico ne igitur, aut Vatablo manum dabimus, ut ex ipſorum cerebro verba ſuppleamus, nullâ autoritate, nullo exemplo; id quod Samaritani ſupplent, repudiabimus, etſi orationis ex ſententiâ ſponte natum? Nullum vidi Sam Additamentum, quod non eſſet ejusdem generis, quo genere haec duo ſunt ſuprà memorata; quibus, quantum ſole terrae, tantum Sacrae Paginae illuſtrantur. Et prorſus ignoro*, Rich. Simonio *quid in mentem venerit, ut ſic ſtatueret*: (1) Je ne crois pas qu'il fût à propos de corriger le Texte Hébreu d'aujourd'hui par le Texte Hébreu-Samaritain, dans les endroits où l'Exemplaire Samaritain paroît être plus clair que celui des Juifs. *Id* Simonii *pronuntiatum ſtare non poteſt, niſi hoc altero firmetur*, non convenit nos contextum clarum et perſpicuum obſcuro anteferre; *quod pronuntiatum alterum* Simonius *non faceret, opinor, ſuum. Ergo, antequàm de* Sam. Pentateucho *quidquam tale ſtatueretur, neceſſe erat conſiderare, an quas res habemus Hod. in Contextu obſcuras, in* Sam. Pentateucho *claras et perſpicuas, eas Samaritani proprio marte ex tenebris in lucem adduxiſſent. Verumtamen ſic defendimus: id quod Samaritani addunt, quodque eos ſuo ex ingenio addidiſſe non conſtat, tum non eſſe repudiandum; Primum quidem, ſi Hod. Contextum non aliter convertere, non invitum, poſſis, quam ſi ea ſuppleas, quae Samaritani cum ſupplent, afferunt perſpicuitatem; deinde ſi eadem addunt Veterum quidam Interpretum; poſtremo,* ſi

(1) *Hiſt. Crit. du V. T.* l. 1. c. 12.

ſi facile judicium eſt, quomodo Scribae Judaei per lapſum praetermiſerint id, quod Samaritani non praetermittunt. Harum conditionum trium qui primam repudiabunt, eorum pertinaciam credimus eſſe potius deplorandam, quam confutandam. Nam quid facias iis Interpretibus, qui Hodiernum Contextum malint inuſitatis modis contorquere, quam id lucro apponere, ex quo plana ſententia oriatur? Eſt id profecto eorum hominum, qui tenebras palpare ament, lucem pertinaciter aſpernentur. Qui alteram reſpuent, parum ſibi conſtabunt, cùm Sam. Additamentis non parcent, parcent iis, quae Veteres habuere Interpretes, et ex quibus conſtat Judaeos Scribas nuper omiſiſſe, quae Veteres in ſuis Codicibus habebent. Qui tertiam, parum ſapienter facient, niſi defendunt nihil fuiſſe mendoſe praetermiſſum. Nam ſi mendum odorantur, confitenturque orationem eſſe mancam, cur eam negant, eo ipſo, quod Samaritani addunt, eſſe ſupplendam, cùm mendi fontem Sam. ipſi Codices aperiant?

Queritur Hubigantius, quod, ſi אם per *ſi* vertatur, pars prior hujus ſententiae ſuſpenſa et incerta relinquatur, nec reſpondeat conditioni oppoſitae, niſi ſuppleatur שא *dimitte*, vel *remitte*, quod Samaritani in hoc textu ſuppleverunt. Reſpondemus, quod licet אם vulgo conditionem exprimat, tamen amet apud Hebraeos in precationibus, votis et ſupplicationibus adhiberi, non ſolum quando cum praeteritis conſtruitur, velut Gen. XXX. 27. XL. 14. ſed etiam cum jungitur futuris. Futura autem hoc in caſu optative vel ſubjunctive explicanda ſunt, quo modo 1. Chron. IV. 10. אם ברך תברכני nil aliud denotat, quam *ſi benediceres mihi!* Ut adeo verba illa ועתה אם תשא חטאתם jure maximo per exclamationem vel optative verti poſſint: *nunc autem ſi remitteres*, ſi condonares ipſis *peccatum eorum!* ſunt enim verba ſupplicantis et obſecrantis atque de exauditione tantum non deſperantis, hinc veniam directe efflagitare non audentis. Hac ſuppoſita horum verborum ſententia, nil magis planum et ſine hiatu his verbis conveniens eſt, quam illud alterum, quo hujus voti et harum precum cauſam exponit, ואם אין מחני נא *nam ſin minus*, ſi aliter viſum eſt, ſi cauſam hanc integram ipſis ſervas, *ſi omnino viſitaturus es peccatum eorum*, (conf. vſ. 31.) *dele me quaeſo de libro quem ſcripſiſti*, permitte, ut ego potius moriar, quam ut ſupplicio et internecioni hujus populi interſim. Nempe cum Iſraelitae per abſentiam Moſis, brevi tempore, ad turpiſſimam idololatriam, ad cultum vituli aurei prolapſi eſſent, eaque re graviſſimam Dei iram in ſe concitaſſent, adeo ut Deus eos internecioni dare et contra ea Moſen *gentem magnam efficere* vellet vſ. 10. Moſes quidem eatenus Deum exorat, ut non ſimul et ſemel, vel ſubito populum extinguat, ſed nihil praeterea impetrat vſ. 9—14. coll. 34. 35. Quare, licet tantum non deſperet de remiſſione tam atrocis peccati, vel ſic tamen ſpondet atque promittit ſe periculum facturum, num lenire et placare divinum numen atque expiare hoc cri-

Digitized by Google

men poſſit, vſ. 30. eoque nomine moerens dolensque et ſpem inter atque metum dubius ſe denuo confert in montem, ubi culpam quidem non diffitetur nec diſſimulat, ſed brevi et pathetica oratione declarat; ſimul vero deſiderium animi ſui his verbis exponit: *Nunc autem ſi remitteres eorum peccatum!* utinam a te impetrare poſſem, ut gratiam ipſis faceres, *Nam ſin minus, dele me quaeſo de libro quem ſcripſiſti;* Haec cum ita ſint, et Moſes in ſe ſuſcipiat perſonam ſupplicantis et impenſius obſecrantis, intelligitur, in antedictis non requirendam eſſe conditionem *ſi*, alteri conditioni, *ſin minus*, directe oppoſitam, ut ſenſus ſit, *ſi dimittis*, — *ſin minus*, ſed potius enunciatum quale in optationibus et votis, nec non in juramentis apud Hebraeos obtinet, in quibus nulla σύνδεσμος ſolet adhiberi. Itaque hieme Britannica frigidior eſt ille imperativus נא, *dimitte*, quippe qui omnem vim orationis usque adeo retundit et debilitat, omnesque ejus igniculos luminaque adeo extinguit et ſufflaminat, ut ſi ei ſua conſtet poteſtas, verba ſic reddi deberent, *nunc autem ſi remittere vis eorum peccatum; remitte*; vel, ut voluit Criticus noſter; *ſi dimittis peccatum eorum, dimitte*, id eſt, eſto, bene eſt, vel potes dimittere. (a) Cui orationi ineptae et ab hoc loco penitus abſurdae, ſi poſtea ſubjungas, *ſin minus, dele me*, nil poterit excogitari ineptius, nihil quod anxium et agitatum Moſis animum magis dedeceat, aut huic ſcenae ſit minus opportunum. Hiscine igitur additamentis, *quantum ſole terrae, tantum ſacrae paginae illuſtrantur?* Demens ſim, ſi credam.

Miratur deinde quid in mentem venerit Rich. Simonio, non conſultum eſſe autumanti, ut textus Hebraicus hodiernum ad Samaritanum emendetur in iis locis, in quibus exemplar Samaritanum magis clarum et perſpicuum, quam Judaicum eſſe apparet; atque ut abſurditatem hujus ſententiae omnibus conſpiciendam praebeat, ex hoc Simonii judicio, hoc univerſale conſectarium elicit: *non convenire, ut contextum clarum et perſpicuum, obſcuro anteferamus*. Simonius tamen nec univerſaliter hoc adſirmaverat, nec cauſam ullam habet ob quam hujus ſui judicii ipſum poeniteat. Nam cum eorum additamentorum quae in Samaritano contextu leguntur, ea, tantum non ſemper, cauſa et finis ſit, ut ſermonem Moſis magis clarum et perſpicuum, imo pleniorem faciant, quam in Judaicis codicibus continetur; eoque nomine verba ipſius Moſis, aliunde petita, ſine alicujus literulae mutatione paſſim geminentur et ſubinde locis inopportunis intrudantur, haud levis ex ea re ſuſpicio interpolationis oritur, nec obſcurum eſt Samaritanos quidem in ejusmodi locis ut interpretes et gloſſatores ſpectari poſſe, neutiquam tamen in deſcribendis Moſis codicibus eſſe imitandos, aut contextum Hebraicum ad amuſſim harum additionum eſſe emendandum. Quare ipſe Morinus,

(a) Solent enim Imperativi in tali caſu et verborum conſecutione vulgo permiſſive accipi, velut videre eſt in illo Jeſ. XXI. 12. אם תבעיון בעיו, *ſi quaerere vultis, quaerite*.

rinus, ob illum exceſſum, ut vocat, juvandi et illuſtrandi textum Hebraicum, hoc Samaritanorum inſtitutum cum inſtituto et opera S. S. patrum, ſpeciatim Origenis, comparat, contextum ſacrum ſimili ratione olim juvantium et illuſtrantium, nec auſus eſt illa additamenta Moſi tanquam auctori directe transſcribere; niſi forte in iis locis in quibus verſiones veteres et in his Graeca LXX interpretum cum Samaritano conſentiunt. (*b*)

Sed videamus quo modo Criticus noſter hanc cauſam defendit, quibusque in caſibus exiſtimet, *id quod Samaritani addunt, quodque eos ſuo ex ingenio addidiſſe non conſtat* (*c*) *non eſſe repudiandum.* Primus eſt, *ſi hodiernum contextum non aliter convertere, non invitum poſſis, quam ſi ea ſuppleas quae Samaritani cum ſupplent, afferunt perſpicuitatem.* Sermo ipſi eſt de contextu Pentateuchi Hebraico, deque ſupplementis ejus talibus, atque in antecedentibus vidimus et exauctoravimus, veluti Exodi XII. 30. et XXXII. 32. Nunc id monere adtinet, obſcuritatem et perſpicuitatem ſermonis qualitates quidem eſſe relativas, ſed tamen vel objectivas, vel ſubjectivas. Claritatem ſubjectivam in ſubjecto legente vel intelligente ſupponere certam diſpoſitionem, certas conditiones, adeoque, ut aliquid objective clarum, etiam tale ſit ſubjective, requiri, ut quis judicio ſit praeditus et ſenſu antiquitatis, ut linguam et dictionem, qua utitur auctor aliquis vetuſtus bene cognitam habeat et exploratam, denique ut rerum et temporum σχέσιν de qua agitur, vel qua auctor ille vixit, probe habeat perſpectam, eamque intellectui quam clariſſime repraeſentare poſſit. Quae cum ita ſint, intelligitur, quam parum tutum ſit et conſultum ab obſcuritate contextus alicujus, inprimis vetuſti, ad ejus corruptionem argumentari, niſi prius invictis rationibus demonſtretur, culpam obſcuritatis in ipſo contextu, non in ſubjecto intelligente quaerendam eſſe. Id autem tum demum fieri poterit, poſtquam oſtenderimus, quid ab illis qui ejusmodi auctorem vivendo attigerunt, vel optimis ad cognoſcendum ſubſidiis fuerunt inſtructi, in ejus ſermone jure merito potuerit deſiderari. Deinde non exiſtimandum eſt, id quod adfert perſpicuitatem, ſemper melioris notae eſſe quam quod obſcurum eſt; quo enim magis vulgo antiqui ſunt auctores, hoc magis ſaepe obſcuri. Habetque inprimis hoc, noſtro adſpectu, Moſes, ut non ſolum ob conciſum atque animoſum dicendi genus quo ipſe utitur, ſed etiam ob miram illam facultatem qua pollet affectus loquentium exprimendi haud pauca nobis cogitanda relinquat, quae quidem in mente noſtra poſſint ſuppleri, ſed tamen ea propter ipſimet contextui ejus minime ſunt inferciend a. Saepe etiam, ſimul ac aliquid ſupplemus, periculum eſt, ne oratio ſua lumina perdat et ex ſermone concitato, forti et animoſo

pede-

(*b*) *Exerc. Sam.* IV. cap. 4.

(*c*) Ad emendationes ex ingenio factas refert, quod ſciam, illud unum quod legitur Deut. XXVII. 4. Vid. Exerc. IV. p. 152. et conf. infra notam Hubigantii p. 174. 175.

Digitized by Google

pedeſtrem faciamus, imo nervos ei penitus incidamus: quod poſtremum certe in illo loco videre licuit, quem paulo ante examinavimus et ipſe Hubigantius alibi in his prolegomenis et notis ad Deut. XXXII. 4. ſuo exemplo teſtatum fecit.

Quare ſi Samaritani quidquam ſupplent, quod Moſes nos cogitare voluit, etiamſi adfert perſpicuitatem, tamen erit repudiandum, quia ſi ea ſuppleas, quae ſupplent Samaritani, orationem quidem reddas planiorem, ſed tamen affectum ex ea tollas et facias languidiorem. Rurſus, ſi uſus Hebraeorum aut ſtilus Moſis ejusmodi formulam vel vocabulum non ferant quod addunt Samaritani, etſi clariſſimam lucem rebus adferre videatur, et plenam in noſtris auribus ſententiam faciat, tamen non erit admittendum. Si vero etiam Moſes nonnullas res in hoc vel illo loco ſuppreſſerit, in alio clarius expoſuerit, neque obſcure nos eo remittat, non facile putandum eſt aliquid excidiſſe, nec ad ampliandum ejusmodi contextum procedendum erit, quamvis cum Samaritanus codex, tum verſiones veteres nobis hac in re praeeant, quia aliud eſt textum deſcribere, aliud interpretari et παραφράζειν.

Nec juvat dicere, contextum Hebraicum ſine his additamentis ab interpretibus *contorqueri*; quoniam hoc eorum ſolummodo vitium eſt, qui verbum ex verbo transferre conantur, neque ea in re verſantur liberaliter: aut ſi etiam aliis accidit, diverſitati linguae transſcribendum eſt, vel adfectuum audaciae, et loquendi modo, qui usque adeo ſaepe a noſtris moribus, a noſtro uſu abhorret, ut quocunque te vertas, non poſſis non obſcurus eſſe, et tamen contextus ipſe his qui oculos in fronte gerunt et idoneis ad cognoscendum ſubſidiis ſunt inſtructi, ſit minime obſcurus. Ex quo genere inprimis ſunt nonnullae ellipſes verborum, non rerum, quibus ſe torquent et exagitant grammatici, non ſe torſerunt veteres Hebraei, multo minus S. ſcriptores. (*d*)

Quod ad veteres adtinet interpretes, de iis ſententiam noſtram in his Exercitationibus ſaepius declaravimus. (*e*) Hoc dicimus, ob cauſas paulo ante allatas, potuiſſe ab antiquis interpretibus quaedam ſuppleri, quae ipſis cum natura ſermonis et rerum dicendarum ſerie non injuria videbantur convenire, quae tamen ideo nec in originali lecta fuerunt, aut in ipſis auctoribus ſunt requirenda. Quod ſi etiam ſolummodo quidam veterum interpretum id faciant, alii vero id non faciant, ſequitur unius alteriusque factum interpretis non eſſe multae auctoritatis.

Poſtremo, etſi haud parum facit ad reſtituendum aliquem locum laborantem, ſi intelligi poſſit, *quomodo ſcribae per lapſum* aliquid praetermiſerint, tamen nemo neſcit et exemplo auctoris noſtri plus ſemel comprobatum eſt

(*d*) Vide *Exercit.* noſtram III. p. 74—76.
(*e*) Vid. *Exercit.* I. p. 12. 13. Exerc. IV. pag. 135. 136.

eſt (*f*), quam fallax et lubrica ſit ſaepe haec ſuſpicio, quae urgeri non poteſt, niſi ad modum et originem erroris indicandum, non ad errorem ipſum demonſtrandum.

Altera criminatio eſt, quòd Sam. Pentateuchus *alium verborum ordinem non ſemel habeat, quàm quem Hodierni Hebr. Codices prae ſe ferunt. Quam quidem nos breviter ſic diluimus. Samaritani ſic faciunt aut benè, aut malè, aut neque bene, neque male. Si male, vitium eſt non imitandum, et Hebr. ex Codicibus corrigendum. Non ideo tamen Sam. Codex aſpernandus. Nam cùm ejus generis errata non pauca. Hod. ipſius extent in Codicibus, neceſſe eſt eâdem conditione eſſe Codices Samaritanorum, neque quidquam inde codicum, aut horum, aut illorum, ex autoritate decreſcere. Idem ſentiendum, ſi nec bene, nec male, quaedam ordine alio ab Samaritanis quam ab Hebraeis leguntur. Enimvero ejusmodi ordinis permutationes et fieri ſolent fortuito, non conſulto, et ſi quid creditur fuiſſe à Samaritanis conſulto factum, nihil dici poteſt, cur non etiam factum id fuerit ab Hebraeis. Quod ſi autem ordinem Samaritani convenientiorem exhibent, ſunt ob eam rem laudandi, et relinquitur, ut perturbatio Codicum non ſit Samariticorum, ſed Hebraicorum, in quibus bene olim conſtitutum ordinem Judaei Deſcriptores everterint.* Geneſis cap. 12. v. 12 *ſic legitur apud Samaritanos*, fuerunt illi (Abrahamo) ſervi et ancillae, aſini et aſinae, *in quo verborum ordine nemo eſt, qui conſuetum Moſis non agnoſcat ſcribendi et enumerandi morem. Cum igitur Hod. Hebr. in Codicibus ſic legamus*, fuerunt illi aſini et ſervi, ancillae et aſinae, *quis ordinem talem non juſte reprehendat, in quo principem locum obtinent* aſini et aſinae, *poſthabitis* ſervis et ancillis, in quo etiam aſini cum ſervis, aſinae cum ancillis, *junguntur? Fuitne Moſis, an indocti Scribae, ut jungeret aſinos cum ſervis invitos invitis?*

Qui Codicem Samaritanum ob id accuſant, quod alium verborum ordinem haud ſemel obſervet, quam quidem prae ſe ferunt libri Hebraici, neque probant eam converſionem ordinis ſine gravi cauſa et febriculoſe ſuſceptam eſſe, non evincunt lectionem Samaritanam Judaicae eſſe poſtponendam. Sed hoc quaeritur, numne omnis mutatio ordinis, qua res natura ſimiles et eodem pertinentes ſibi invicem junguntur, v. gr. homines hominibus, animalia animalibus, et quidem ſecundum ſpecies ſuas, ſit ei verborum diſpoſitioni anteferenda, qua ordo ille non ſervatur, ſed res promiscue, imo tumultuarie enunciari videntur. · Quaeritur, inquam, num Gen. XII. 13. al. 16. potius ſequi debeamus Codicem Samaritanum qui *ancillas* et *ſervos*, *aſinos* et *aſinas* ſtudioſe componit, vel Judaicum, qui *aſinos* et *ſervos*, *ancillas* atque *aſinas* conjungit, noviſſime vero ſubjungit *camo-*

(*f*) Exercit. II. et III.

melos? Fateor in verbis hoc modo propoſitis ordinem non obſervari. Scio etiam alibi, velut Gen. XXIV. 35. eum ordinem facultatum Abrahami paulo aliter conſtitui. Vel ſic tamen nego, lectionem quam hic loci prae ſe ferunt editiones noſtrae ideo reprobandam eſſe, et lectioni Samaritanae poſtponendam. Quod ſi enim Moſes nos docere voluit, ut voluit re vera, facultates iſtas Abrahamo non ſolum brevi temporis ſpatio obtigiſſe, ſed et Pharaonem ſuae liberalitati nec ordinem conſtituiſſe, nec modum; ſed multis et diverſis beneficiis eum ita cumulaſſe, ut ſe invicem trudere viderentur, et ipſe quid priore quid poſteriore loco poneret, haud noſſet, quid ni potuit maximo ſuo jure adhibere **πολυσύνδετον**, et vocabula **ὁμοιόπτωτα** וחמרים ועבדים ושפחות ואתנות inter ſe conjungere? Sed Hubigantius hunc locum vertit odioſe, cum ait in Hodiernis Hebraicis codicibus ſic legi, *fuerunt illi aſini et ſervi, ancillae et aſinae.* Textus Hebraeus habet: ויהי לו צאן ובקר וחמרים ועבדים ושפחות ואתנות וגמלים quae verba nemo neſcit, ſic verti poſſe: *Et fuerunt illi*, (Abrahamo) *oves boveſque et aſini, et ſervi et ancillae, et aſinae et cameli;* quo modo etiam intellecta fuerunt ab Judaeis qui accentus adpoſuerunt.

Tertia criminatio eſt, multa Samaritanos aliter, ſive aliis litteris, aut verbis ſcripſiſſe, quàm Hebraeos; multa etiam, quae ipſis Hebraico in Codice diſplicerent, deditâ operâ emendâſſe. Quae quidem criminatio cùm duas partes habeat, ſingulam partem ſeorſim attingimus.

Primùm igitur, quòd Samaritanos incuſant multa ſcripſiſſe aliter, quàm Hebraeos, id rectè reprehendi non poteſt, niſi nefas eſt ab Hodiernis Hebr. Codicibus ne transverſum quidem, ut aiunt, unguem diſcedere, quod nefas eſſe nemo nunc dicat. Quippè hodiè conſtat apud omnes, Sam. Pentateuchum *eſſe* purum putum, *ut ait Morinus,* Moſis Pentateuchum vulgarem Hebraicum, *hoc eſt Hebraicum et Samariticum Codices eſſe ejuſdem* Autographi *duos* Apographos, *ut vocant, parallelos. Non igitur Sam ſcripturas eò eſſe criminandas, quòd ab Hodiernis Hebr. ſcripturis ſint differentes; aut, cùm id à quibusdam crimini dabitur, aliorum jus fore, ut eadem de re Hod. Codices incuſent. Nam aequa jura ſunt Codicum parallelorum. Ergò eſt ſapientis Lectoris, Criticae ponderibus omnia examinare, ea utriusque Codicis amplecti, quae erunt plana, commoda, Hebraicae Linguae accommodata; ea rejicere, quae obſcurè, quae incommodè, et Hebraicam contrà indolem ſcripta eſſe reperientur. cùm Codex in orbe terrarum planè nullus ſit, qui numeros habeat perfectionis omninò omnes.*

Tertiae hujus criminationis altera pars eſt, (1) *Samaritanos deditâ operâ mul-*

(1) *Samaritanos deditâ operâ multa . . . . correxiſſe.* Allegatur in eam rem illud *Garizim*, quod Samaritani *Deut cap.* 27. *v.* 4. et alibi, pro *Hebal*, ſcripſerunt. Verùm de eo exemplo nihil

Digitized by Google

multa, quae ipſis diſplicerent, correxiſſe. Quam opinionem Joan. Clericus, à quibuſdam acceptam, ſuis in Commentariis ſaepe renovavit. Quae opinio, tametſi rationibus veris firmata eſſet, non ideò tamen vinceretur repudiandas eſſe Emendationes ex Samaritanorum conſilio factas. Nam, quid ſi Judaei Scribae multa pravè ſcripſerant? Non licebat Samaritanis ſuo conſilio uti, ut id, quod viderent eſſe deformatum, ad rectam formam adducerent? Cur verò eis id non licuiſſet, quod Criticae hactenùs licuit et ſemper licebit? Ergo id Samaritani ſi feciſſent, ſupereſſet inquirendum, an benè, an malè feciſſent; non autem idcircò vituperandi eſſent, quod bonâ minervâ uſi eſſent, ut Codices haberent diligenter exaratos? Sed aliâ viâ congredimur. Quaerimus ex Joan. Clerico quâ ratione, vel quâ autoritate confirmet Sam. Scribas feciſſe, ut Codices, quos haberent, proprio marte corrigerent. Nam nihil protulit Clericus, quamobrem ſibi hoc affirmanti crederetùr. Neque verò etiam quidquam in eam rem proferri poteſt, quin reprehendantur ſimul cum Samaritanis, Codices illi, quos apud Hexapla, veteres Graeci interpretantur. Quibus in Codicibus multa emendatè, ut et apud Samaritanos, ſcripta erant, quae eadem Hod. Codices mendoſè et inquinatè ſcripta prae ſe ferunt. Sed ex Clerico iterùm quaerimus, quâ tandem arte Samaritani Hebraicos Codices emendaſſent. Conſtat Samaritanos illos Recentiores, qui nunc accuſantur, Hebraicam Linguam non habuiſſe matrem et altricem. Etiam eos conſtat Hebraicam nunquam ullam Grammaticam vidiſſe; quae quidem, Judaeis inventoribus, non ante ſaeculum nonum lucem vidit, cùm intereà Samaritani, ſaeculo quarto, Codices ſuos tales, quales nunc ſunt, haberent. Perſuadebit-ne Clericus homines eos, qui Hebraicam Linguam, neque vernaculam haberent, neque ab arte ullâ didiciſſent, in animum ſuum induxiſſe, meliùs ſe ſcire Hebraicè, quàm ipſos Hebraeos? Sapientiùs faceret Clericus, ſi ſic argumentaretur: Hodiernis in Codicibus, ſi qua ſunt, quae Hebr. ab Linguae indole recedant, mendumque oleant, aut ſolecismum, ea non habent Samaritici Codices, à ſolecismo longè recedunt, Hebr. que ad Linguae indolem preſſiùs adhaerent: Atqui tamen, ut ſic facerent, non habuerunt naturam ducem, non Grammaticam magiſtram. Ergo ſupereſt, ut ideò emendatè ſcripſerint, quia Codices deſcribebant, in quibus nondùm menda ea extarent, quae hodiè Grammatici excuſant; non igitur Samaritani fuerunt Codicum ſuorum voluntarii Emendatores. Argumentationem talem firmabant veterum, ut diximus, verſiones Interpretum, quas Samaritani ſaepè habent ſuo cum Pentateucho conſentientes. Sed ne ita eſſet, et quanquam Samaritani ſuis in Codicibus proprio marte quaedam addidiſſent, correxiſſent, imò depravaſſent, non propterea efficitur, ut ipſorum Codices Emendationis fon-

nihil pertinet ad Sam. caeteras varias ſcriptiones; quas deditâ operâ fuiſſe factas credere non licet, niſi notum eſt quo illi conſilio aliter ſcripſerint. quomodò notum eſt, cur *Garizim* pro *Hebal* ſcripſerint, quia nimirum erat in monte *Garizim* ipſorum Templum. *Hub.*

fontibus non ſint annumerandi. Quâ de re audiendus Lud Cappellus in ſuâ brevi Reſponſione ad Jac. Uſſerium. (1) „ *Quae itaque vir Rev. tu dicis Ep.*
„ *tuae pag.* 10. qui in uno libro ad libitum multa addunt et omittunt, in
„ aliis ita commutant omnia penè pro arbitrio, non aequi habendi ſunt He-
„ braicae lectionis arbitri, *illa me non feriunt. Neque enim volo, ut vel In-*
„ *terpp vel Codd. illi, in iis quae pro arbitrio addiderunt, vel omiſerunt, ſint*
„ *legitimae lectionis arbitri; ſed tantùm dico, diſpiciendum et judicandnm eſſe,*
„ *an ubicunque aliquid in eorum vel Codice vel Tranſlatione extat, quod in*
„ *Hodierno deeſt, vel contrà in illis deeſt, quod in Hodierno extat, illud ſit*
„ *ab ipſis pro arbitrio, et libitu mero additum, vel omiſſum, ac non potius*
„ *in Hodierno Codice Hebraeo perperàm omiſſum ſit, quod additum dicitur, et*
„ *additum, quod omiſſum eſſe cenſetur. Cùm enim concedas (pag. 21.)* Co-
„ dicem Hebraeum V. T. Scribarum erroribus non minùs eſſe obnoxium,
„ quàm novi Codex, et libri omnes alii, *quid ni additio et omiſſio Scriba-*
„ *rum lapſu et errore tàm accidere potuerit Hodierno Codici Hebraeo, quàm*
„ *vel Samaritico.*

„ *Examen (2) ergo inſtituendum eſt eorum quae dicuntur addita, vel omiſ-*
„ *ſa et immutata; ac videndum nùm verè ac rectè, an ſecùs et perperàm id*
„ *dicatur, non verò ſtatim rejiciendum et explodendum quidquid in Hodierno*
„ *Codice Hebraeo non extat, aut ab eo quomodocunque diſtat. Quid ſi enim*
„ *demonſtrari poſſit ex anteced. conſeqq. ſerie orationis, ſcopo autoris, et totâ*
„ *ſcripturae* συναρμολογίᾳ, *ea quae dicuntur. . . . . in Samaritico Codice eſſe*
„ *addita, vel omiſſa, eſſe benè et convenienter addita et omiſſa; hoc eſt, re*
„ *verâ quae dicuntur et cenſentur. . . in Samaritico Codice eſſe omiſſa, ea po-*
„ *tiùs eſſe in Hodierno Hebraeo Codice ſuperflua; quae verò putantur eſſe in*
„ *illis addita, in iſto potiùs eſſe perperam omiſſa. . . . Et quis jure propterea*
„ *indignabitur, niſi qui putat Hodiernum Codicem* Maſoreticum *repreſentare*
„ *ad amuſſim in omnibus ipſa Prophetarum* αὐτόγραφα, *illiusque Librarios omnes*
„ *fuiſſe* θεοπνεύστους, *et ab omni errore inter deſcribendum immunes? Nam ſi la-*
„ *biles fuerunt et re verâ in multis lapſi ſunt, quod modò conceſſiſti. . . . cur*
„ *indignabitur aliquis, aut repudiabit errorem agnoſcere, iis in locis in qui-*
„ *bus Hodierna lectio probatur eſſe deterior eâ, quae ex. . . . Samaritico Co-*
„ *dice depromitur? Haec quidem Lud. Cappellus.*"

Quandoquidem quae ab Hubigantio hic adferuntur, in antecedentibus magnam partem occupavimus, juvat breviter monere quod jam obſervavit Waltonus (*g*), neminem fuiſſe qui exemplar Samaritanum unquam authenticum fecerit, aut textui Hebraico generaliter praetulerit. Morinum qui-

(1) Reſp ad Jac. Uſſerium. Num. 27.
(2) Num. 28
(*g*) *Prolegom* X. §. 17.

quidem alicubi ſcripſiſſe (*h*) ſe facto examine Pentateuchi Samaritani, *ipſum purum putum Moſis Pentateuchum eſſe deprehendiſſe:* ſed in *Animadverſionibus ad Simeonis de Muis Cenſuras Exercitationum Samaritanarum* Cap. VII. declarare, *ſe nil aliud his verbis voluiſſe, quam exemplar illud non eſſe ſpurium vel ſuppoſitium, nec de ejus auctoritate ſe aliud dixiſſe.*

Quod igitur ad Critici noſtri philoſophemata et ſequelas adtinet quas ex illo Morini aſſerto derivat: facile quidem ei concedimus, Hebraicum et Samaritanum codices eſſe ejusdem autographi, vel potius originalis duos apographos parallelos, ſi materiam et argumentum ſpectes, neutiquam tamen adfirmare audemus hos apographos eſſe tales quoad formam et fidem. Cum enim Pentateuchus Samaritanus in iis locis quae Hubigantius tanquam inſigniora ſpecimina melioris lectionis adtulit, accuratione et fide infra Judaeorum codices vulgo conſiſtat, ut ex profeſſo demonſtravimus (*i*) multaque aſſumenta habeat quae peregrinam manum manifeſto probant (*k*), apparet non ideo aequa jura eſſe utriusque codicis, quia ejusdem autographi ſunt apographi paralleli quod ad materiam et argumentum adtinet, et codicem Judaicum in plerisque locis Samaritano eſſe praeferendum. Loquor autem de codice Judaico qualis eſſe non ex Maſora, ſed ex libris MSS. et impreſſis colligitur.

Ad haec quoque haud difficiles ipſi largimur, *ſcripturas Samaritanas non ideo eſſe criminandas, quod ab hodiernis ſcripturis ſint differentes*, niſi demonſtrari poſſit lectionem quam fundunt codices Judaici eſſe Samaritana praeſtantiorem; non quidem, quia aequa jura ſunt codicum quoad argumentum parallelorum, ſed quia fieri poteſt, ut in codice non accuratiſſime ſcripto, et depravato haud paucae bonae notae lectiones occurrant quae lectionibus quibusdam in meliore codice reperiundis ſunt praeferendae; atque adeo utriusque codicis cum Judaici tum Samaritani lectiones probe eſſe examinandas et trutinandas. Quod tamen inde ſubſumit, ea utriusque codicis eſſe amplectenda quae ſint plana, commoda, et Hebraicae linguae (qualem nempe juxta cum Morino et Maſclefio Criticus noſter ſibi fingit) accommodata, de eo mentem noſtram in ſuperioribus explicavimus. (*l*)

In progreſſu disquirit, num ea quae Samaritani in ſuo Pentateucho correxerunt vel addiderunt, ex ſuo ingenio derivaverint, an vero ex codicum antiquorum auctoritate. Poſtremum binis argumentis demonſtrare conatur, quorum primum eſt, quod eorum lectiones confirmentur ab antiquis verſionibus, alterum quod Samaritani non habuerint Linguam Hebraicam vernaculam.

(*h*) Praefat. ad Verſionem LXX. Interp.

(*i*) Diſſ. II. et III. Non recuſabit Hubigantius, quod hoc argumentum in ipſum retorqueam, quia ipſe eo utitur ad finem §. II.

(*k*) Vid. ſupra p. 152. ſeq.

(*l*) Pag. 172.

Digitized by Google

lam. De primo diximus ſupra. (m) Quod ad alterum adtinet: qui mutationes et novationes illas conſiderant, quas Samaritani in ſuum Pentateuchum introduxerunt, hi facile deprehendent, pleraſque earum ita comparatas eſſe, ut ad eas ſuſcipiendas haud magna requiratur Linguae Hebraicae peritia, imo tales, ut ignorantiam hujus linguae clariſſimo ſaepe prodant indicio. (n) Quod ſi vero etiam Samaritani in his mutationibus faciendis ſat probabiliter verſati ſint, quis dubitet, potuiſſe inter eos, ſequiori aevo, reperiri aliquos Linguae Hebraicae ſic ſatis peritos, qui hic illic ſermonem ejus planiorem et magis intelligibilem reddere ſtuderent, atque ſcriptiones illas antiquas quas Moſes ſubinde uſurpavit, et quas Noſter paſſim pro ſoloecismis et barbariſmis habuit (o), ad novas revocarent, et moderna veſte induerent? cum teſtimoniis Judaeorum compertum ſit, Samaritanos codices Hebraicos literis Judaicis deſcripſiſſe (p) atque adeo linguam Hebraicam in ſcholis Judaeorum didiciſſe: nec rari fuerint inter eos eruditi homines, praeſertim linguae Graecae periti, qui verſiones antiquas potuerunt conſulere.

Quae habet in fine hujus §. in iis nos habet facile conſentientes. Licet enim ſatis demonſtratum ſit, Samaritanos in ſuis codicibus proprio Marte haud pauca addidiſſe, alia correxiſſe, imo depravaſſe, tamen nemo aequus harum rerum arbiter ob id negaverit codices Samaritanos legitimis emendationis fontibus eſſe annumerandos. Certum enim eſt Samaritanos, inde ab origine templi Garizimitani peculiares codices habuiſſe, nec ſi quae improbae ſunt merces, non ideo jactantur omnes. Et Judaeorum libri, licet paucioribus et levioribus mendis laborent, eapropter ab iis non ſunt immunes, id quod Buxtorfiis et Bootius, licet codicis Judaici acerrimi defenſores fuerint, tamen plus ſimplici vice agnoverunt. (q)

Non itaque ambigo, et Capello atque Critico noſtro ambabus manibus largior, examen inſtituendum, ac videndum eſſe, num recte an ſecus aliqua omiſſa vel addita vel immutata ſint: quamquam non dubitem, ad hoc examen inſtituendum paulo majorem L. H. et ceterarum oreintalium, imo ſanioris Criticae cognitionem requiri, quam hactenus apparuit Hubigantium ejusque ſimiles in hoc negotio demonſtraſſe.

§. II.

(m) Exerc. IV. ad C. III. art. I. §. 1.
(n) Exempla dedimus ſupra pag. 153——156. 169. 170.
(o) Vid. Exerc. III.
(p) Teſtimonia haec, licet alio fine, adduxit Cl. Tychſen *Tentam.* Sect. I. §. 1——6.
(q) Vid. Jac. Uſſerii *De textus Hebraici V. T. variis lectionibus ad Lud. Capellum Epiſtola* Lond. 1652.

Digitized by Google

§. II. *Ex* Sam. Pentateucho *quales emendationes promi poſſint.*

Poſtquam Criticus noſter docuerat Pentateuchum Sam. eſſe fontem emendationis legitimum, nunc quales ex eo emendationes promi poſſint, oſtendit, eoque nomine colligit et ad certas claſſes vel genera refert ſpecimina melioris lectionis quae in eo inveniantur. Nos quantum fieri poteſt breviter de iis abſolvemus, quia pleraeque jam in antecedentibus a nobis ſunt excuſſae. In anteceſſum autem obſervamus, quod ſi quid bonae frugis in his lectionibus contineatur ad emendandum contextum Maſorethicum faciens, id vulgo etiam in MSS. Judaicis ita ſcriptum reperiatur.

Primam claſſem ipſi conſtituunt exempla in quibus Samaritani illas literas אהוי quae tam nominum quam verborum Grammaticas flexiones notant, quaeque orationem, ut ipſe ait, planam reddunt, non omittant, contra quam faciant Hodierni Codices Judaeorum. Huc refert, quod pro נחנו quod occurrit Gen. XLII. 11. in codice Sam. ſcribatur אנחנו, de qua lectione diximus ſupra pag. 95. Quod pro אחמנה Gen. XXXI. 39. reponant אחטאנה, non omiſſo א in medio, quam ſcriptionem examinavimus pag. 96. (r) Qua occaſione docet, Samaritanum codicem has literas in fine nunquam omittere: ut eo abuti non poſſint, qui volunt Gen. XXX. 11. בגד idem valere ac בא גד *venit fortuna.* (s) Porro quod pro שיו, uti mendoſe Codex Hodiernus Deut. XXII. 1. Samaritani legant שהו *ovis ejus*, qua de re ſupra vidimus pag. 93. pro נער, נערה *puella*, pro מארת, vel etiam מאורת, *luminaria*, מאורות ſemper, quemadmodum et pro לבא, לבוא; pro

(r) Addimus, Samaritanos codices, quemadmodum in aliis id genus exemplis, ita in hoc ipſo non inter ſe convenire, imo nos deſerere. Nam, uti obſervavit Kennicottus ad h. l., plerique eorum אחטנה legunt, nonnulli אחטינה, nullus אחטאנה, quod ergo Hubigantius videtur gratis aſſerere.

(s) Nempe in Cod. Sam. legitur בגד, quod Hubigantius legit בגד, vertitque *in fortuna*, quia vſ. 13. de Aſchere dicitur באשרי *in felicitate mea.* Sed verſio Samaritana reddit פלגה *agmen, turma*, quo vocabulo etiam utitur loco mox laudando; unde palam eſt, Samaritanos ipſos hoc vocabulum tanquam ſimplex, non compoſitum conſideraſſe. Deinde, vocabulum גד minus commode vertitur per *fortunam*; quia Jacobus, pater Gadi, Gen. XLIX. 19. id nomen manifeſto per גדוד *turmam* transfert, cum inquit גד גדוד יגודנו *Gadum cohors invadet*, והוא יגד עקב *et ille ſecabit calcaneum.* Malumus ergo, quidquid in diverſum abeant nonnulli, velut Tſepregi *de Authent. ſelect. Cethibin* part. 1. in fine, lectionem plerorumque codicum MSS. quam et ſequitur Onkeloſus, retinere, et legere בא גד; quia Lea, poſtquam Jacobum quinta prole ditaverat, jure dicere poterat *venit caterva.*

Digitized by Google

pro הוקם הקים, quam ſcriptionem examinavimus pag. 97. Denique pro ויקצע, ויקצעו vel קצעו, pro הבאת, הבאתי, de quibus diximus ſupra pag 74. 75. 78. 79. Addit in fine, Samaritanos *modum imperativum verborum* ל״ה *deficientium terminare in* י, *ut revela* גלי *eſto cum contra eum modum hodiernus codex titubanter adtingat.* De qua ſingulari ejus obſervatione vide ſupra pag. 94.

Secundo docet Samaritanos literas אהוי non temere permiſcere, nunquam הוא ſcribere pro היא; conf. ſupr. pag. 76. nunquam לא pro לו, aut חטו pro חטא *peccare*, velut Gen. XX. 6. quam poſtremam lectionem quoque ſequuntur aliquot codices Kennicottiani.

Tertio, eos nomina virorum et locorum propria ſemper eodem modo ſcribere: ſemper יתרו. *Jethro*, et יריחו *Jericho*, nunquam nec יתר (uti Exod. IV. 18.) nec ירחו ut paſſim hodiernus codex.

Quarto, literas אהוי, ſi quando ex iis ſententia aliena naſci poſſit, Samaritanos non addere. Sed pro ויואל, quod vertit *jurare factus eſt*, Samaritanos Exod. II. 21. ſcribere ויאל; ſine vau, *conſenſit*, ut habitaret

Nota, Cl. Kennicottum in notis criticis ad h. l. decem MSS. memorare in quibus pariter legitur ויאל; ex quo apparet hanc lectionem non ſolis Samaritanis deberi. Quis vero cum Critico noſtro hoc verbum ויואל; uti in noſtris editionibus paſſim, et recte quidem, legitur, derivaverit ab אלה *juravit?* cum in verbis quieſcentibus ל״ה, cujusmodi eſt אלה, ea forma nec in Hiphil, neque in Hophal frequentetur. Fateor quidem hanc formam nonnunquam, velut 1 Sam. XIV. 24. ubi vulgo defective ſcribitur, ut ויאל, habere notionem *adjurandi.* Neque tamen ea propter derivanda erit ab אלה, cum verba יאל et אלה ab origine eandem poteſtatem habeant, nempe ſignificationem *appingendi ſe*, vel *adhaerendi ad aliquam rem*, hinc *jurandi*, et in Hiphil, *adjurandi.*

Quinto, contendit in ceteris Alphabethi literis deſcribendis accuratiores etiam fuiſſe Judaeis Samaritanos, in quorum codicibus eae literae quae Samaritice ſimiles erant, perraro una pro alia ſcriptae ſint; cum contra eas quae Hebraice ſimiles eſſent, Judaei ſaepe ſcribae permiſcuerint. Hujus autem rei ſpecimen adfert ex Levit. V. 11. ubi Cod. Sam. habet יצק *fundet (oleum,)* ut etiam legant Graeci Int. Syrus et Arabs; hodiernus autem codex ישים *ponet*, alieno, ut ipſe vult, ſignificatu, *cum verbum* שום *de aridis efferatur, non de liquidis, ut eſt oleum.* In fine docet quomodo Judaeorum ſcribae partim ſimilitudine literarum, partim convenientia decepti, in eum errorem inducti ſint, ut pro יצק ponerent ישים.

Reſpondemus breviter, neminem qui codices MSS. Hebraicos unquam viderit, ſibi facile perſuaſurum eſſe, hanc lectionem ex tali permutatione literarum ortam eſſe; nec in natura verbi שום quidquam eſſe quod ve-

tet.

tet quo minus aeque de liquidis, ac de aridis adhibeatur. Sed ſi quid vitii commiſſum ſit a Judaeis librariis, id potius in tranſpoſitione verbi ישים cum יתן quaerendum, atque adeo legendum eſſe לא יתן עליה שמן ולא ישים עליה לבנה, uti ſane legit codex 193. a Cl. Kennicotto ad h. l. laudatus.

Sexto, ait, *non ſunt in Sam. Codice, niſi perquam raro, junctiones illae falſae vocabulorum, in quibus uni vocabulo adtribuuntur literae quaedam, quae alterius ſunt proxime ſequentis.* Cujus generis exemplum ipſi eſt quod in Judaeorum codice legitur Num. XXIV. 20. עדי אבד *poſteritas ejus* (Amaleci) *ad excidium*, pro quo Cod. Sam. verius habeat עד יאבד *donec pereat.*

Obſervamus, in lectione illa עדי אבד *ad excidium*, nil eſſe vitii. 1. quia particula עדי, utpote in ſtatu conſtructo poſita non poteſt conſtrui cum verbo, ſed quidem cum nomine. 2. quia אבד cum vocali ſegol ſcriptum commode poteſt ſignificare *excidium*; atque adeo cum hae binae lectiones עדי אבד et עד יאבד pari paſſu ambulent, nil cauſae eſſe, ut illam deſeramus.

Septimo, docet in Sam. Codice non eſſe, ut in hodierno codice Judaico, clauſulas quasdam, ſive interpunctiones male factas, ex quibus naſcantur parum aptae junctiones, non jam vocabuli tantum cum vocabulo, ſed ſententiae cum ſententia. Quo refert vocabulum הקהל, quod perperam a Judaeis Num. XV. 15. in initio verſus ſit collocatum, ideoque vulgo vertatur *ô congregatio!* a Samaritanis vero, puncto diſtinctivo poſt illud vocabulum poſito, ad finem commatis antecedentis referatur, ut ſenſus ſit: *ſic faciet coetus.*

Fateor, id vocabulum in initio vſ. 15. poſitum eamque ejus verſionem, *ô congregatio* habere difficultatem. Sed non video eam difficultatem tolli, quando in fine vſ. 14. collocatur, cum Samaritanis. Quid enim quaeſo ſibi volunt iſta: *quemadmodum facietis, ſic faciet coetus?* Quaeri enim, nec injuria, poteſt, quis ſit ille coetus de quo ſermo eſt. Quare ſi הקהל omnino in fine vſ. 14. collocandum ſit, cum Samaritanis, addendum erit הזה, *hic*, quod legitur in codice 232. quem laudavit Kennicottus; ut ſenſus ſit, *quemadmodum facietis, ita faciet coetus hic*, nempe peregrinorum, aut incolarum; praecedit enim: *Si diverſabitur apud vos peregrinus, aut inquilinus — et paret (ſacrificium) igne abſumendum in odorem gratum. . . .*

Aliud exemplum accurationis Samaritanae ipſi eſt quod occurrit Deut. V. 15. ubi verbum וזכרת *et memineris* in initio hujus verſus poſitum, referunt ad finem vſ. 14. hac ſententia: *non laborabis neque tu, neque ſervus tuus, neque ancilla . . . . . ut memineris te fuiſſe ſervum in Aegypto*, nulla notabili ſenſus differentia.

Octavo, inculcat *apud Sam. codicem plura verba non deeſſe quae deſunt in hodiernis codicibus.* Hujus generis ipſi eſt חלות quod occurrit Levit. XXIII.

XXIII. et *eamus in campum* Gen. IV. 8. Nos de primo exemplo diximus pag. 105. 106. de altero pag. 23.

Nono, contendit *Sam. codicis non minimam laudem eſſe, nullis fuiſſe unquam punctis vocalibus affectum, quia per rem punctariam in ſacras literas non levia invecta incommoda fuerint, in quibus tum ſententiae labefactantur, tum grammatica jura violantur, tum vero etiam advocantur ſcribendi formae inuſitatae, ac plane infantes.* Hujus autem vitii unum illud et ſingulare exemplum adfert, quod habeatur in vocabulo בערכך Levit. XXVII. 2. quippe quod eo puncto vocali ſit affectum quod habet affixum perſonae ſecundae, acſi eſſet vertendum *ſecundum aeſtimationem tuam*; cum tamen ſermo Dei ad Moſen et Moſis ad populum poſtulet, ut illud בערכך vertatur ſimpliciter *ſecundum aeſtimationem*, absque pronomine, quo modo etiam acceperint veteres interpretes.

Complura ſunt quae circa hanc Critici noſtri obſervationem, quae nil niſi mera cavillatio eſt et ſtribligo, poſſent obmoveri, ſed ſufficiat hoc unum. Quis Grammaticae Hebraicae vel mediocriter peritus, ignorat affixa apud Hebraeos etiam paſſive accipi, atque adeo ערכך etiam denotare poſſe *aeſtimationem tuam*, non quam tu aeſtimas, ſed qua aeſtimaberis vel aeſtimandus eris ſecundum definitionem mox ab ipſo Deo dandam; neque enim populi erat aeſtimare, multo minus ſacerdotis, niſi in eo caſu qui deſcribitur vſ. 8. ſed Dei, qui aeſtimationem animarum redimendarum ipſe definit a vſ. 3—7. Itaque nodum in ſcirpo quaerit, quando illud בערכך cum pronomine ſecundae perſonae veniens, in hunc contextum non putat convenire. Sententia enim manifeſto huc redit: *Si quis nuncupaverit votum*, tunc *pro aeſtimatione*, vel ſecundum *aeſtimationem tuam*, id eſt, qua tu aeſtimaberis, *animae erunt Jehovae:* quod patet inde, quia vocabulum ערכך a verſu 3. usque ad 8. non aliter accipitur, nec accipi poteſt. Mittimus cetera, velut cum inquit, *rei punctariae inventores id feſelliſſe, vocabulum* ערכך *eſſe unum ex eis quae literam ſuam ultimam conduplicant atque ita rem accepiſſe veteres interpretes.* Quis enim credat id alicui ſano in mentem potuiſſe venire? Id potius monere adtinet, contextum Samaritanum a Maſorethico non diſſentire, idque clariſſime apparere ex verſione Samaritana quae habet ࠁࠔࠉࠀࠌࠊ, בשיאמך, *ſecundum aeſtimationem tuam.* Atque adeo omnem iſtam velitationem Critici noſtri, ne quid gravius dicam, de nihilo eſſe, et in ſpongiam incumbere.

Et haec quidem cum ſint Critico noſtro ea emendationum genera quae ex Pent. Sam. promi poſſunt, concludit:

I. „ Sam. codicem emendationis eſſe fontem legitimum et uberrimum,
„ nosque monitos eſſe debere, ne Judaeis librariis nimium confidamus, ne-
„ que cito ſtatuamus, hodierno in Codice ſi qua extant quae Hebraicae
„ orationis conſueto curſu non ferantur eam fuiſſe Hebraicae linguae in-
„ conſtantiam, vel ſacrorum ſcriptorum ſcribendi negligentiam.

II. „ Ex

Digitized by Google

II. „ Ex Sam. Pent. exiſtere poſſe Grammaticae Hebraeorum perficien-
„ dae non unas facilitates. Enimvero Hebraicus ſermo cum ſit idem et
„ in Pentateucho et in ultimis Prophetis, cumque adeo eum conſtet fuiſ-
„ ſe maxime aequabilem, Grammaticis novis fidem habendam non eſſe,
„ cum Hebraicam linguam exhibent tot exceptionibus ſcatentem, quot
„ regulis informatam. —— Sed eſſe eos potius Sam. codicis auctoritate
„ coarguendos atque Hebraicae ad linguae indolem planam conſtantemque
„ revocandos.

III. „ Non diffitetur quidem Sam. Cod. ſuis laborare defectibus et Mo-
„ rinum nimium fuiſſe in eo laudando, ut qui eo tempore ſcripſerit, quo
„ ejus apographa non ſatis erant perſpecta et examinata. Cum tamen Sa-
„ maritanus codex cum in multis locis, tum in iis quae hactenus prolata
„ ſunt, rectius legat quam Judaicus hodiernus, ſequi eum in his locis Ju-
„ daico eſſe anteferendum."

Nos quod ad primum adtinet, obſervamus. Si Judaeorum libri lectiones offerant minus probabiles, eos eſſe merito rejiciendas, et ſi quid melius iſtis in codicibus Samaritanis reperiatur, id eſſe praeferendum. Sed improbandas non eſſe formas verborum antiquas quae a Samaritanis paſſim in novas commutatae ſunt, ſi modo cum natura dialecti Hebraicae et ceterarum orientalium conveniant: quod poſtremum de plerisque lectionibus quas Noſter ad barbariſmos et ſoloeciſmos retulit, ſupra demonſtravimus.

Secundo quidem fatemur, ex Critica ſacri codicis bene et ſapienter inſtituta, magnam ad Grammaticam Hebraicam redundare poſſe utilitatem; quatenus ea nunc multis regulis et exceptionibus ſcatet ad excuſandas quasdam lectiones quae vulgo in noſtris Bibliorum editionibus occurrunt, inventis et neceſſariis, quae tamen ſi MSS. codicum ratio haberetur, communi regulae ſubjici poſſent. Sed num eapropter codex Sam. adhiberi debeat, ſpretis nec prius conſultis codicibus Judaicis, vehementer dubito. Primo enim illae ipſae ſcriptiones quas Hubigantius tanquam ſpecimina melioris lectionis ex Codice Sam. in medium protulit, ſi quid bonae frugis habent, totidem literis, in codicibus MSS. Judaeorum reperiuntur, ut nil neceſſe ſit eapropter ad Samaritanos confugere. Deinde, cum Samaritani ſaepe, poſthabita omni analogia linguarum orientalium, formas verborum antiquas in novas commutaverint, ut vidimus, ab eorum opera non expectandum eſſe videtur, ut magnam lucem Grammaticae Hebraeorum obfundat. Quod vero ad argumentum adtinet quo utitur Criticus noſter ad has novas lectiones excuſandas, id ejusmodi eſt, ut haud magnam Hebraiſmi peritiam prodat. Quis adeo hebes et ſtupidus eſt, ut non intelligat, quantam tot ſeculorum decurſus a Moſe ad Malachiam, et captivitas quidem Babylonica, ſermoni Hebraico debuerit importare mutationem? cuique adeo mirum videatur, ſi apud Moſen quaedam formae vocum re-

pe-

Digitized by Google

periantur, quae apud eos ſcriptores qui vel paulo ante, vel poſt illam reipublicae everſionem vixere, non occurrunt?

Ad ultimam Critici noſtri obſervationem nil aliud reponimus, niſi quod, cum adeo multa exempla ab ipſo in his prolegomenis producta ſint, ut ab iis ad alia poſſit fieri concluſio, atque nos ea exempla pleraque ſic refutaverimus, ut doceremus Codicem Samaritanum in iis prae Judaico non multum lucrari, ſed ſaepius potius eo multis modis inferiorem eſſe, nos eodem jure quo ipſe utitur, inde conficiamus, eam lectionem quam prae ſe ferunt libri Judaici, ſaltem in plerisque locis, Samaritanae eſſe praeferendam.

§ III. *De Samaritanis Codicibus Hodiernis.*

De Codicis Samaritani hodiernis exemplaribus antequam eorum cenſum ineat, in anteceſſum obſervat, quod jam multo verborum apparatu inculcaverat Morinus (*t*) „ eorum hanc communem dotem eſſe, ut ſimilitudine „ referant eos antiquos codices Samaritanorum, quos allegabant Hieronymus, „ Procopius, caeterique Eccleſiae Patres. Nimirum iis in codicibus ſcri- „ ptiones easdem reperiri quas illi veteres ex Samaritica Graeca verſione „ cognitas habebant, quasque inde adeo docebant extare in codicibus Sa- „ maritanorum. Ex quo conficit eos qui nunc extant codices eodem loco „ apud nos eſſe debere, quo illi fuerunt, quos veteres laudabant, quo- „ rumque ſcriptionibus utebantur."

Reſpondemus, primo nos quidem facile concedere, Codicem Samaritanum eſſe ſatis antiquum; quippe qui haud dubie eo tempore originem coepit, quo floruit templum Garizimitanum, easque ſcriptiones, quas ſcriptores Eccleſiaſtici ex verſione Samaritica Graeca cognitas habebant, in codicibus hodiernis paſſim reperiri. Num tamen inde confici poſſit, ea quae nunc extant ejus apographa, eodem loco apud nos eſſe debere, quo illa fuerunt quae iis temporibus extabant quibus hi ſcriptores florebant, lectionesque eorum hodiernas omnes ejusdem originis et auctoritatis eſſe habendas, de eo valde dubitamus. Quis enim neget fieri potuiſſe, ut codices Samaritici in locis aliis quae ab his ſcriptoribus aut a Scholiaſte verſionis Graecae tacta non fuerunt, poſt ea tempora corrumperentur? Sane quod illae laciniae inanesque verborum et pericoparum quarundam repetitiones, quibus nunc ſcatent codices Samaritici, non longe ante ſeculum VI. in iis repertae ſint, facit ab una quidem parte ſilentium ſcriptorum veterum Euſebii et Hieronymi, nec non Scholiaſtis antiqui, ab altera vero teſtimonium Procopii Gazaei quo nullum, quod ſciam, antiquius datur. (*v*)

Secundo, obſervamus exempla illa lectionum Codicis Samaritici, vel ipſo Mo-

(*t*) *Exercit. Sam.* III. c. 3.
(*v*) Vid. Morinus Exerc. III. c. 2. 3.

Morino (*x*) fatente, non eſſe omni dubio exemta, haud pauca vero aliter legi in exemplaribus hodiernis, atque in verſione Graeca Codicis Samaritani ſunt expreſſa.

Tertio monemus, nonnullas harum lectionum a ſcriptoribus Eccl. et Scholiaſte verſionis Graecae indicatarum etiam in MSS. Judaicis inveniri: cujusmodi eſt ea inſignis quam Deut. XXVII. 26. Hieronymus Comment. ad Gal. III. 10. in ſolis libris Samaritanis inveniri dixerat; ſed quam Cl. Kennicottus in quodam codice ex his oris, me parario, ad eum transmiſſo & poſt mortem poſſeſſoris ſibi redemto, deprehendit. (*y*)

In progreſſu examen inſtituit quorundam codicum Samaritanorum hodiernorum, binosque Oratorienſes, nec non alios binos Peirescianos confert cum lectionibus quas ex codice Leidenſi et Uſſeriano in ſuis Exercitationibus Anti-Morinianis, tanquam corruptiones Pentateuchi Samaritani produxerat Hottingerus. Qua occaſione multae pravae lectiones quas hic in illis codicibus obſervaverat, emendantur, ac docetur illas accuſationes quas Hottingerus ex his pravis lectionibus contra Pentateuchum Samaritanorum formaverat, ad ſecundum Peirescianum et binos codices Oratorienſes, praeſertim eum quem typis deſcribi juſſit Morinus, nil pertinere. Catalogum harum emendationum quem exhibuit Criticus noſter, adjuncta lectione ſeptem MSS. Anglicanorum, deinde ampliorem fecit Cl. Kennicottus (*z*) eo conſilio, ut appareret quasnam, jure aut injuria, lectiones Hottingerus Samaritanis adſcripſerit, et in corruptionibus textus Samaritani numeraverit. Bene autem habet, quod ex hoc catalogo appareat, poſtremos hos codices paſſim Hottingero favere, ejusque lectiones corruptas confirmare; in illis vero locis in quibus aliter et rectius legunt quam Hottingerani, eos propius ad lectionem quam fundunt codices Judaici accedere.

(*x*) Loco ſuperius laudato.

(*y*) Conf. ejus ſchediasma *De ſtatu collationis codicum V. T. finito anno* 1763. cum *Diſſ. Gener. in V. T. Hebr.* pag. 78. n. 84.

(*z*) *The State of the Printed Hebr. text.* Diſſ. II. Cap. 5.

Digitized by Google

EXERCITATIO SEXTA

AD

CAR. FR. HUBIGANTII PROLEGOMENA

CAPUT TERTIUM

ARTICULUM SECUNDUM

QUI INSCRIBITUR.

Alter fons emendationis Hodierni ipſi Codices.

EMENDATIONIS *alterum fontem habemus Hodiernos ipſos Codices. Quem quidem fontem, ut legitimum eſſe omnes confitentur, ita pauci eum putant eſſe neceſſarium. Quippe ferè omnes ſibi ita perſuadent, et tanquam certum ſumunt, Edita Biblia, quae habemus, ſummâ fide Codices referre manuſcriptos, et Codices eos, qui Editorum norma extiterunt, fuiſſe diligenter ſelectos et animadverſos. Non negandum, quin ii Editores, qui primi Hebraica Biblia typis mandârunt, Codices eos, quos haberent, curâ, quantâ maximâ, poſſent, typis ſuis exhibuerint; neque enim in Bibliis Impreſſis ullum ego mendum reperi, niſi erat typographicum, quod non idem quidam Codices haberent. Sed quoniam in Impreſſis menda non pauca extant, quae eadem abſunt é quibusdam bonae notae Codicibus, id jam non dubium relinquitur, Bibliis imprimendis adhibitos fuiſſe Codices notae inferioris, minimèque omnium laudandos. Cujus mali Sacras in Litteras invecti cauſa princeps fuit in eo* R. Jacob Ben-Chaim, *qui Biblia Hebraica primus omnium typis mandavit. Quamvis enim inferioris notae Codices adhibuiſſet, tamen ejus Editionem Venetam caeteri omnes Editores, qui poſt fuerunt, ſecuti ſunt, et tanquam Archetypum habuerunt. Teſtis eſt ipſe* Ben-Chaim *non fuiſſe ſe optimorum Codicum Editorem. Nam cùm is multum conqueratur, quòd in ſuis Codicibus* Maſora magna *variis animalium figuris, non tàm ornata, quàm deformata, inexplicabiles errores contineret, eo ipſo declarat Codices ſuos fuiſſe omnium recentiſſimos, quoniam talia ornamenta vetuſtio-*

res

res Codices non habent. Et ſaepe obſervat Rich. Simonius, *Codices tales eſſe minime omnium aeſtimandos et ſeligendos. Quòd ſi qui dubitant, Editionem illam primam Venetam caeterarum, quae poſt factae ſunt, fuiſſe normam, dubitationem omnem collatio ipſa tollet, ex quâ planum fiet nullâ re omnes, niſi Typographicis mendis, aut verò* Punctis vocalibus, *quae quidem Emendationem eam, quam tangimus, non ſpectant, diſcrepare; eoſque adeò ipſos Editores, quibus Codices ſuppetebant, aut ſimiles illis* Ben-Chaim *habuiſſe, aut, ſi non omninò ſimiles, tamen iis uti non fuiſſe auſos, cùm eos ab Archetypo ſuo conſueto viderent eſſe differentes. Codices habebat* Felix Pratenſis, *alter Editor Venetus; tamen Veneta ejus Editio poſterior ſimilis omninò eſt priori. Etiam Codices habebat* Buxtorfius Pater *Baſileienſium Bibliorum, poſt Veneta, Editor. Tamen ille à Venetis ne latum quidem unguem diſcedit. Itaque etiam ex ejus Notis cognoſcitur, Germanicis eum Codicibus fuiſſe uſum, quales erant illi* Ben-Chaim. *Quippè ea ſaepè de ſuis Codicibus* Buxtorfius *animadvertit, quae in Germanicos conveniant, non in Hiſpanos. Quid* Athianis *dicemus? Non carebat Codicibus* Athias. *Atqui tamen à Baſileienſi non differt* Athiana prima. *Alteram* Athianam *edidit* Joannes Leuſden, *qui quidem etiam Codices inſpexerat nonnullos; quos eos autem? Audiendus ipſe* Leuſden *titulum talem faciens:* Biblia Sacra Hebraea correcta, collata cum antiquiſſimis et accuratiſſimis Exemplaribus manuſcriptis. *Eos vero* Leuſden *Codices ſuos cùm eâ re laudaſſet, quòd* MAGNAM MASORAM in margine repraeſentarent ſub urſarum, canum, boum aliorumque animalium formis, *cùmque ob eam ipſam rem* Rich. Simonio *riſum feciſſet, non poſteà auſus eſt alteram ſuam Editionem anno* 1667. *factam, ſplendido iterum titulo decorare; ſatis habuit ſi ſic inſcriberet*, Biblia accuratiſſima, *ut ipſi videbatur, neque ampliùs* antiquiſſimos *ſuos* et accuratiſſimos *Codices venditavit. Quippè docuerat* Simonius *Codices tales, quales ipſe eos deſcripſerat, eſſe omnium minimè accuratos. Poſt alteram Athianam* Joannis Leuſden *venit tertia Athiana* Vander Hooght, *quae quidem priores duas* Athianas *usque quaque refert. Neque negat* Vander Hooght, *caeteras omnes Bibliorum Editiones fuiſſe ad* Pratenſem *Venetam accommodatas, quomodò ad priorem* Ben-Chaim *fuerat ipſa* Pratenſis. *Quippe eundem lapidem volvebant omnes Editores, ut priores Editiones, Typographicis mendis exceptis, putarent fuiſſe quàm accuratiſſimas. Et cùm plerique Codicibus carerent, ad Editiones illi omnium primas ſe conferebant, quas haberent ut normam ſuam. Quid vero ille* Opitius, *cujus extat Editio* Kiloni *in Germaniâ anno* 1709. *evulgata, quam Editionem dixit in ſua Sacrâ Bibliothecâ* Jacob. le Long *eſſe* ACCURATISSIMAM. *Habuit Codicem quemdam* Opitius, *quem adiret; vide, Lector, qualem, et quàm antiquum.* (1) Filius meus, *inquit*, primò nactus eſt (in Bibliothecâ Carolinâ) Codicem magnum quatuor tomorum in folio Regali, ut vocant, Targum *Maſorâ*

(1) Præfat. fol. 7.

ſorâ magnâ et parvâ inſtructum, à Judaeo quodam *Sondalio* filio *Hillelis Gerſon*, anno 1455. ſcriptum vel punctatum quem omnium eſſe optimum; et cum accuratioribus Impreſſis plerumque conſpirare fui expertus. *Utrum igitur eo ex Codice* Opitius *novum quidquam protulit? Certè Editionem* Opitianam *caeteris omninò ſimilem habemus, mendisque tantum typographicis ipſi propriis deformatam. Atque idem dixeris de caeteris multis nominis inferioris Editionibus, quarum alias ad* Baſileienſem, *alias ad* Athianam *Editores expreſſere. Sic ut omnes eas, quas adhuc vidimus, tanquam unam eandemque habere poſſis, quod idem de illis etiam Editionibus* Morinus, *quas viderat, affirmabat, his quidem verbis.* „ (1) *Rectè Thucidides*, imperitia confidentiam, eruditio timorem creat, *ut vertit S. Hieronymus. Hic ſanè inſolentiſſima confidentia cum ignoratione maximâ conjungitur. Hebraica Biblia ſunt ſinceriſſima: quamobrem verò? Non aliâ ratione ducuntur, quàm quòd excuſa ſibi invicem conſentire animadvertant; idem de manuſcriptis omnium aetatum, quorum ne ſpecimina quidem unquam viderunt, affirmandum eſſe temerè pronuntiant. Nec cogitant omnes ferè libros editos ex uno et eodem fonte dimanaſſe; ideò conſenſum illum non magis admirandum eſſe, quàm Editionum Vulgatae verſionis autoritate Clementis VIII. recenſitarum unitiſſimam concordiam. Quanquam illud ipſum, quod de Libris Judaicis in lucem editis praedicant, iniquè dictum ſit. Reclamant enim Judaei, mendaſque innumeras ingentesque à manuſcriptis diſſentiones, non dicam in Chriſtianorum Editionibus, ſed in iis quas ipſi Judaei emendatiſſimè elaborârunt, Rabbini adnotant." Cùm igitur Hebraïcae Editiones eâdem etiam nunc conditione ſint, quâ erant, tùm cùm* Morinus *ſcribebat, non mirum eſt, adjumento eſſe poſſe nonnullo Codices ipſos Hodiernos, ſi quos habebimus iis meliores, Veneti Editores quibus utebantur. Eos igitur nos à noſtrâ curâ non excluſimus, quorum praecipui, quales ſint, nunc deſcribimus.*

Editionis Bibliorum bonae parandae Hubigantius, ineunte hoc capite, quatuor adjumenta eſſe dixerat, quae ſint emendationis ipſi fontes. Primus ipſi eſt Pentateuchus Hebraeo-Samariticus, de quo ad articulum primum vidimus. Alterum conſtituunt Codices Hodierni. Quo nomine ipſi adpellantur libri MSS. literis Hebraeis vel Judaicis in uſum Judaeorum exarati, quos, ut diſtincti noſcantur ab illis, Judaicos adpellare conſuevimus. De his codicibus, licet non admodum magnifice ſentiat, et infra, capite IV. conceptis verbis profiteatur, ſe ex eorum collatione non magnas utilitates percepiſſe, tamen adfirmat eos eſſe fontem emendationis legitimum; eoque nomine diſquirit, utrum nunc neceſſarium ſit eos conferre, et in ſubſidium emendationis adhibere?

Occaſionem huic quaeſtioni movendae ipſi dederant, ab una parte nonnulli

(1) Exerc. Bibl. lib. 1. cap. 1.

Digitized by Google

nulli qui pugnabant, veram et genuinam lectionem V. T. uti in codicibus Judaicis habetur, ita conſtitutam eſſe per Maſoram, ut ne latum quidem unguem ab ea recedi potuerit; atque adeo rarae admodum in iis reperiundae ſint variae lectiones: ab altera vero qui exiſtimabant, editiones Bibliorum primas et praecipuas quas habemus, tanta fide codices referre MSS. et codices eos qui illarum editionum norma extiterunt, tam fuiſſe diligenter ſelectos et animadverſos, ut non opus ſit alios codices conferre. Illos impugnaverat in his Prolegomenis Cap. I. Art. III. quo loco multa, licet parum accurate, diſputat de Maſora, hos refutare ſatagit hoc articulo.

Ac primo quidem negandum non eſt, quin illud praejudicium de uſu et praeſtantia Maſorae in conſervandis genuinis ſacri codicis lectionibus, inde a renatis literis, philologos, praeſertim eos qui ex ſcholis Judaeorum prodierant, implicitos tenuerit, eoque ſpectaverit, ut collatio codicum minus neceſſaria eſſe judicaretur; atque ob eam cauſam libri in Bibliothecis latentes vulgo negligerentur. Quam alte quorundam animis inſederit, argumento eſſe poteſt, quod hac noſtra memoria et literarum luce, non deſuerint qui contenderent codices Hebraicos quo magis ad Maſoram eſſent correcti, hoc eſſe meliores, omnesque a Maſora deviationes pro erroribus et halucinationibus librariorum, imo pro depravationibus et corruptionibus quorundam haereticorum et malcferiatorum hominum eſſe habendas. Expertus horum hominum contradictionem inprimis eſt B. Kennicotti V. C. Biblicus labor, ante hos annos XX. et quod excedit ſuſceptus, et A. 1780. abſolutus, in quo omnes codices alicujus nominis qui haberi poterant, vel toti vel ex parte conferri debebant, et varietas lectionis textui Hebraico editionis Hoogtianae adſperſa eſt. Cum enim hoc opus, ſimul ac orbi erudito ſignificatum erat, omnium adtentionem et expectationem excitaret, qui deſiderabant et diu in votis habuerant, ut, quemadmodum circa Novum Teſtamentum a Millio, Wetſtenio aliisque, ita circa Vetus ab aliquo harum rerum perito ſimilis labor ſuſciperetur: ipſe vero Kennicottus promitteret ſe codices producturum in quibus lectiones reperirentur, quae a Maſorethicis in multis differrent, et varietates in verſionibus antiquis reperiundas ſuo calculo confirmarent, bilem id movit quibusdam ex veteri formula philoſophantibus, qui exiſtimabant Maſoram eſſe unicam textus Hebraici normam; atque adeo omnem illam MSS. collationem, niſi haec regula obſervaretur, non ſolum ſuperfluam, ſed et periculoſam eſſe (*a*). In his prae ceteris nominandus nobis venit Olaus Gerardus Tychſen V. C. cujus *Tentamen de variis codicum Hebraicorum Veteris Teſtamenti MSS. generibus a Judaeis*

(*a*) Cl. Piederit, Caſſellanus in quodam ſcripto Germanico quod videre memini, eo usque progreſſus eſt, ut contenderet hanc codicum collationem et inde orituram in textu Maſorethico mutationem adverſari paci et concordiae quae inter Catholicos et Proteſtantes in imperio Romano Germanico ſtabilita eſt!

daeis et non Judaeis deſcriptis (*b*), inprimis eo tendit, ut doceat, codices qui non ad amuſſim Maſorae exarati ſunt, vel in quibus Maſora ſub figuris impurorum animalium deſcripta eſt, non eſſe alicujus bonae frugis, et ab Ex Judaeis deſcriptos (*c*).

Alterum praejudicium erat, quod multi exiſtimarent, cum editiones Bibliorum quas nunc habemus ſumma fide codices referant MSS. qui harum editionum norma fuerunt, et hae editiones Bibliorum non differant, niſi in quibusdam lectionibus parvi momenti, ab ulteriore codicum collatione non multum praeſidii eſſe exſpectandum. Jactaverat hunc conſenſum librorum MSS. et editorum Joannes Buxtorfius, eumque Ludovico Capello in Anti-critica ſaepius objectaverat. Itaque Hubigantius, ut cauſam hujus conſenſus et inde redundantis mali in oculis mentibusque omnium defigat, duo iſta ſibi demonſtranda ſumit hoc articulo: *primum* eſt, editores Bibliorum non optimos codices adhibuiſſe; *alterum*, omnes editiones ceteras ex prima Bombergiana fuiſſe procuſas.

Hoc nomine obſervat, Jacobum Ben-Chajim cujus opera Dan. Bombergius in edendis Bibliis Hebraicis uſus fuit, non obſcure profiteri ſe non fuiſſe optimorum codicum editorem; quia in praefatione his Bibliis praemiſſa conqueritur, quod in quibusdam codicibus ad quos hanc Bibliorum editionem adornavit, Maſora magna variis animalium figuris deformata ſit. Hos autem codices, judice Rich. Simonio, minime omnium aeſtimandos eſſe et ſeligendos. Cum igitur ex hac Bombergiana Bibliorum Hebr. editione omnes ceterae velut ex equo Trojano prodierint, intelligi poſſe unde ortus ſit mirabilis ille conſenſus qui in his editionibus obſervatur.

Mirum, quantopere hoc argumentum nonnullis placuerit. Cl. Kennicottus in Diſſertationibus ſaepius a nobis laudatis, non ſolum univerſam hanc Hubigantii noſtri diſputationem ejus verbis deſcripſit, ſed etiam praefationem Jacobi Ben Chajim Latine verſam exhibuit, hancque cauſam adeo ſuam fecit, ut exiſtimaret ad Critici noſtri argumenta nil poſſe reſponderi (*d*). G. Abr. Tellero V. C. illarum Diſſertationum interpreti, in Diſſertatione *de Judicio ſuper variis lectionibus codicis Hebraici recte faciendo* (*e*) haec Critici noſtri obſervatio tanti momenti viſa eſt, ut optet atque in votis habeat, ut aliquis Erneſtius, aut Michaëlis eam ulterius confirmet. Sed neque Cl. Erneſtius, neque Ill. Michaëlis id, quantum equidem ſcio, unquam fecerunt, nec ut fecerint, ob cauſas mox adferendas, facile crediderim.

Operae pretium ergo facturus ſum, ſi, quid de hac Critici noſtri aſſertione ſtatuendum ſit, hic indicaverim. Non equidem diffiteor Jacobum Ben

(*b*) Roſtochii editum 1772.
(*c*) Vid. Sect. I. §. 8. pag. 31. ſeq. et Sect. II. §. 18. ſeq.
(*d*) Diſſ. I. part. II. et Diſſ. II. c. III.
(*e*) Lipſ. 1757. pag. 9.

Digitized by Google

Ben Chajim in ea praefatione quae Bibliis Bombergianis Venetiis A. 1526. 4 vol. in folio editis (*f*) praemiſſa eſt, §. 29 conqueri „ quod in iis libris MSS. quorum margini Maſora erat adſcripta, ea non fuerit ſcripta „ ſecundum ordinem verſuum qui erant in columna, ſed per nodos et figu„ras, adeo ut non fuerit poſſibile intelligere ullam rem; quoniam intentio „ ſcriptorum fuerit potius ut ornarent ſcriptionem ſuam, quam ut intelli„geretur. " Sed commode jam obſervavit Cl. Tychſen (*g*) eundem Jacobum Ben Chajim ejusdem praefationis §. 30. profiteri, ſe poſtea perluſtraſſe codices in quibus Maſora ſeorſim ſcripta extabat, atque ad illos Maſoram hanc imaginibus refertam et mutilam caſtigaſſe. Verba Jacobi Ben Chajim ſecundum verſionem quam adfert Cl. Kennicottus l. l. ſunt iſta: *Cum autem vidiſſem totam hanc confuſionem, excuſſi ſinum meum in initio, ut ponerem omnem Maſoram juxta ordinem verſuum. Et poſtea perquiſivi per libros Maſorae quos habui compactos ſeorſim, praeter id quod fuit ſcriptum in circuitu textus. In locis vero ubi erat interſtitium factum aut abbreviatio, quaeſivi in voluminibus Maſorae et ordinavi illos juxta id quod decebat.*

Ex quibus igitur patet Jacobum Ben Chajim conqueri non de textu corrupto, ſed de Maſora, et quidem de ea quae ſub variis figuris contextui erat adſperſa, non de illa quae ſeorſim in libris inveniebatur; neque eum ob hanc cauſam ipſos codices ſuſpectos habuiſſe, quod Maſoram haberent per figuras deſcriptam. Hoc poſtremum cum videretur obſtare hypotheſi clariſſimi Tychſenii, qua ſtatuit codices illos qui Maſoram habeant per figuras et imagines impurorum animalium deſcriptam, a Judaeis non eſſe profectos, nec magni aeſtimandos, obſervat l. l., *nullam vocem Chajimo excidiſſe, ac ſi ad hos codices pictos Maſoram, ne dum textum expreſſiſſet, quum e contrario ipſe teſtetur, deſcriptores ornamentorum magis rationem habuiſſe, quam accurationis.* Additque: *conferre quidem potuit iſtos codices cum aliis ex quibus textum imprimendum curabat optimae notae codicibus, quoniam a Chriſtianis aut Ex-Judaeis exaratos eos eſſe minime ſuſpicari poterat; attamen textum ad illos non reſinxit, quippe qui cum omnibus editionibus v. gr. Complutenſi etc. ex antiquiſſimis manuſcriptis expreſſis, amice conſpirat, quod ſane aliter cecidiſſet, ſi ad hos mendoſos codices, tanquam ad ſacram anchoram, ut vult Hubigantius, confugiſſet.*

Vides, Lector, quo usque manare, quove ſpectare poſſit ſtudium hypotheſeos. Veretur ille, ne ſi Jacobus Ben Chajim hos codices non reſpuiſſet, ſed omnino contuliſſet, Judaei jam non dici poſſint hos codices averſari, aut credidiſſe hos codices ab Ex-Judaeis aut Chriſtianis eſſe profectos; cum tamen, ut alia (*h*) mittam, ex verbis Jacobi Ben Chajim ne quidem manifeſtum ſit,

(*f*) Cl. Tychſen l. l. pag. 36. hanc editionem anno 1528. et 1549. a Chajimo curatam eſſe contendit.

(*g*) *Tentam.* Sect. I. § 9. pag. 37. et 38.

(*h*) Huc pertinet, quod Cl. Tychſenius nuſpiam probaverit, eos codices in quibus Maſora per figuras ſcripta eſt, ab aliis Maſorethicis multum recedere, aut magis mendoſos eſſe, quam ſunt

ſit, cum de figuris animalium loqui, tantum abeſt, ut intelligi velit de figuris animalium immundorum.

Sed huc revertimur: Quaeritur jam utrum illi codices, in quibus Maſora tam intricate ſcripta erat, fuerint *codices omnium recentiſſimi?* Hubigantius nos docet talia ornamenta vetuſtiores codices non habere. Quid ſi vero hi codices deſcripti ſint ex bonae notae codicibus antiquis? ſi probe correcti? Sed alia ratione congredimur: Dantur haud pauci codices in quibus Maſora ſic ſcripta eſt, qui ſunt ſatis antiqui. Talis eſt, fatente Tychſenio, codex ille praeſtantiſſimus, quem olim ab imperatore Maximiliano I. Johanni Reuchlino donatum ſervat Bibliotheca Carlsruhenſis (*i*), talis quoque codex qui habetur in Bibliotheca Dresdenſi, quem antiquiſſimum ſalutat Wolfius, ſed ab homine Ex-Judaeo ſcriptum eſſe contendit Tychſen (*k*), ſuntque alii bene multi a Wolfio laudati. Videntur autem Judaei quo plus accurationis et ſtudii in ſcribendo aliquo codice collocaverant, hoc magis his ornamentis indulſiſſe, iisque laborem ſuum coronare voluiſſe. Sunt enim plerique horum codicum non in Germania, uti quidem voluit Criticus noſter, ſed in Hiſpania exarati (*l*). Hiſpanos vero in codicibus deſcribendis diligentiores fuiſſe, quam aut Gallos, aut Italos, aut Germanos ipſe fatetur (*m*). Quod ſi vero etiam his ornamentis in literis codicum initialibus uſi ſunt Judaei, iisque uti licuit (*n*), velut docent exempla codicum optimae notae Bononienſium, quorum initia in aes incidi curavit Blanchinius (*o*), quid ni etiam id fieri potuit in deſcribenda Maſora? Abſurdum itaque eſt, et parum eruditum, codices in quibus Maſora variis animalium figuris exarata eſt, pro recentiſſimis et minime omnium aeſtimandis habere.

Alterum quod inculcat Hubigantius eſt, ex editione illa Veneta quam curavit Jacob-Ben Chajim, quamque omnium antiquiſſimam eſſe ſtatuit, omnes ceteras quae poſt prodierunt, eſſe procuſas. Eſt hoc aſſertum maximi momenti; quia, obſervante Cl. Kennicotto (*p*), „ ſi hoc detur, omnes quae „ extant editiones ex una ſive mediate, ſive immediate eſſe expreſſas, auctoritas omnium ſimul, non plus valebit, quam unius tantum, et conſenſus „ omnium

ſunt alii codices. Quis autem credat Monachos illorum ſeculorum in quibus hi codices exarati ſunt, tanta elegantia et accuratione, aut codices ipſos, aut Maſoram potuiſſe deſcribere? eaque re fucum facere Judaeis? Aut ſi vel maxime deſcripſerint, voluiſſe Judaeos (a figuris impurorum animalium tantopere abhorrentes, ſcilicet!) hos codices, nec antea examinatos, magno pretio redimere? Plura dabit Cl. Schnurrer, vir eruditiſſimus, in Diſſ. *De codicum Hebr. Vet. Teſt. MSS aetate difficulter determinanda* §. 13. Tubing. 1772.

(*i*) Vid. Wolf. B. H. part. II. pag. 295. et Tychſen *Tentam.* Sect. I. § 9. pag. 33. 34.

(*k*) *Tentam.* pag. 34. ubi hoc conficit ex voc. מרגן, non fauſtiſſima Minerva.

(*l*) Conf. Wolf. l. l. pag. 300. et alibi.

(*m*) §. 1. hujus articuli.

(*n*) Vid. Tychſen p. 35.

(*o*) *Evangeliar. Quadr.* Tom. IV. pag. 504.

(*p*) Diſſ. part. II. pag. 281.

Digitized by Google

„ omnium non amplius erit obſcurus." Non ingratam igitur, nec inutilem lectoribus meis operam facturus ſum, ſi futilitatem ejus, ordine demonſtravero.

Principio affirmat Jacobum Ben Chajim primum fuiſſe, qui Biblia Hebraica typis mandaverit. Hoc autem aſſertum adeo falſum eſt, ut mirari ſatis nequeam, qui tam putidum errorem non ſolum non animadvertere, ſed etiam repetere potuerit Cl. Kennicottus (*q*). Certiſſimum ſane eſt, hanc editionem fuiſſe decimam earum quae omnes libros V. T. continent, et poſt inventam artem typographicam in lucem prodierunt (*r*): plures vero alias praeceſſiſſe quae partes quasdam, aut libros ſingulares ſacri codicis complectuntur. Ipſe quoque Bombergius, praeter editionem Pratenſem, de qua infra, duas editiones V. T. in forma quarta ante hanc edidit, quarum unam omnes libros V. T. complectentem, et opera fratrum filiorum Baruch Adelkind A. 1525. impreſſam ipſe poſſideo. Quae cum ita ſint, fieri aliter non potuit, quam ut Noſter aliqua veri ſpecie deceptus ſit, ut hunc errorem committeret, et operae pretium erit hujus erroris fontem, quoad ejus fieri poteſt, probabiliter indicaſſe. Prima omnium earum editionum quae libros omnes V. T. complectitur, fuit ea quae prodiit Soncini 1488. in folio (*s*); nam quae prodiit Neapoli 1487. curantibus Judaeis Soncinatibus in quarto, quaeque vulgo, et a Schulzio pro prima habetur, non niſi Proverbia cum Commentario Rabbi Immanuelis Ben Jacob, Jobum cum Commentario Gerſonidis, Canticum Canticorum, Eccleſiaſtem, Threnos Jeremiae, Ruth, Eſther, Daniëlem, Eſram, ac Paralipomena cum Commentario Raſchii continet (*t*). Editionem autem illam Soncinenſem juſſu Joſuae Salomonis, filii Iſraelis Nathan edidit typographus *Abraham filius R. Chajim* (*u*). Cum igitur Wolfius hanc editionem in principio poneret, Noſter, ſimilitudine nominis deceptus, illum Abrahamum Ben Chajim pro Jacobo Ben Chajim habuit, adeoque, feſtinante calamo, huic adſcripſit quod illi adſcribendum erat.

Venio nunc ad alterum illud et graviſſimum Critici noſtri decretum, quo ſtatuit editionem illam Venetam quam curavit Jacobus Ben Chajim, *caeterarum quae poſt factae ſunt, fuiſſe normam.* Id licet multi, tanquam ex tripode di-

(*q*) Diſſ. I. part. II. pag. 278. et in *Diſſ. Generali in Vetus Teſtamentum* pag. 63.

(*r*) Conf. Wolf. B. H. part. II. p. 364 — 368. et Schulze *Volſtaendigere Kritik über die gewöhnlichen ausgaben der Hebraeiſchen Bibeln*, pag. 11.

(*s*) Vid. Joh. Bern. de Roſſi V. C. tractatum *De Hebraicae Typographiae Origine & primitiis.* Parmae 1776. pag. 32 — 34.

(*t*) Uti demonſtravit idem Cl. Roſſi, l. l. pag. 29 30. 31. docens eodem anno Neapoli etiam Pſalterium prodiiſſe. Unde factum eſſe potuit, ut Cl. Kennicottus in *Concluſione* Diſſertationis primae saepius laudatae, haud procul ab initio, duo hujus editionis volumina commemoret, quae tertiam partem Bibliorum, nempe Hagiographa contineant.

(*u*) Vid. Wolf. B. H. part. II. pag 364. et Roſſi l. l.

dictum acceperint, et in ſuis commentariis repetierint (x), dubito tamen, an quo vade et auctore id fecerint, recte intellexerint. Non certe is eſt Hubigantius, cujus fide et auctoritate in cauſa tam gravi poſſit ſtari. Quod vel inde apparet, quia Felicem Pratenſem *alterum editorem Venetum* ſalutat; cujus tamen editio A. 1518. Venetiis impreſſa, octo fere annis ante abſoluta eſt, quam Jacobus Ben Chajim ſuam adornavit. Ad haec illam ipſam adeo ſingularem ſententiam, niſi vehementer falſus ſum, ex Wolfio arripuit (y). Sed Wolfius non niſi de Bibliis quae Rabbinorum Commentariis inſtructa ſunt, eorumque apparatu loquitur, non item de textu Hebraico, ſimulque fontem erroris detegit cum inquit: *Haec editio* (Jacobi Ben Chajim) *ratione ejus quae* 1518. *cum Rabbinorum Commentariis curata eſt, haberi debet ſecunda, quae tamen ut plurimum vocatur prima, quia opera R Jacobi Chajim Judaei primum hoc anno prodiit, et quia eam reliquae omnes Rabbinicae imitantur.*

Jam quod ad eos adtinet, quos perhibet Criticus noſter hanc editionem Jacobi Ben Chajim preſſo pede fuiſſe ſecutos. Cum Buxtorfius pater ea fuerit opinione, editiones Bibliorum hoc magis correctas et emendatas fore, quo magis ad amuſſim Maſorae eſſent compoſitae, non dubito quin editionem Ben Chajim pro ἀρχετύπῳ habuerit. Quod et inde manifeſtum eſt, quod praefationem illam Jacobi Ben Chajim de qua ſupra diximus, Bibliis a ſe editis praemiſit. Sed prodit levitatem animi, quod inquit, ex ejus notis cognoſci, Germanicis eum codicibus fuiſſe uſum. Buxtorfius illi operi nullas notas de ſuo adjunxit; oportet igitur, ut aut Commentarium ejus Maſorethicum adſpexerit, quem ſub titulo *Tiberiadis* edidit Buxtorfii filius, et in quo inter alia de forma Maſorae quam habet in MSS. agitur: aut animo ejus obverſata fuerit praefatio Buxtorfii Latina, quae teſte Wolfio in quibuſdam hujus operis extat exemplaribus, non in meo; quare de ea judicium ferre non poſſum.

Quando deinde ad editiones Athianas devenit, et de Leusdeniana loquitur, eandem repetit de *urſis*, *canibus* aliisque animalibus cantilenam, quam ſupra de codicibus Bombergianis (z) occentaverat, et in judicio Rich. Simonii recumbit. Hoogtio autem hanc per quam abſurdam ſententiam adſcribit, eum non negare caeteras omnes Bibliorum editiones fuiſſe ad Pratenſem Venetam accommodatas, quo modo ad priorem Ben Chajim fuerat ipſa Pratenſis. Atqui van der Hoogt in Praefatione ſuae Bibliorum editioni praemiſſa §. 25. nil aliud in hanc rem dicit, niſi hoc: *Adhibui etiam in con-*

(x) Kennicott l. l. Schulz l. l. et Sect. II. §. 11. pag. 50. Eichhorn *Einleitung ins A. T.* part. II. §. 394.

(y) B. H. part. II. pag. 368.

(z) Obſervavi ſupra, pag. 191. et 192. quod e verbis Jacobi Ben Chajim ne quidem appareat eum in praefatione Bibliis Bombergianis praemiſſa, de figuris animalium loqui. Verba ejus ſunt iſta: היו כתובים בקשרים וציורים עד שלא היה באפשרות להבין בה שום דבר. *Erant ſcripti* (hi libri) *per nodos et figuras, adeo ut non poſſibile eſſet intelligere quidquam.*

conſilium Biblia iſta Veneta majora Bombergii, qui ductu viri Theologi Felicis Pratenſis Linguam Hebraeam exquiſite perdidicerat, et omnium aliorum in Hebraicis libris diligentiam ſuperans, aeternum ſibi Hebraica typographia comparavit nomen.

Aſt modum omnem excedit, et malam Critici noſtri fidem prodit; quando de Opitio refert, cum non niſi unicum numero codicem habuiſſe, et quidem haud bonae frugis; eoque fine ejus verba quae in praefatione laudata occurrunt, parum honeſte a cetero contextu reſecat. Principio enim codex ille quem Opitius ad annum 1455. retulit, non tam maſteus eſt, quam ei videbatur. Si enim fides eſt Jablonskio, graviſſimo harum rerum judici qui eodem codice uſus eſt, inſcriptio ejus quam ſecutus eſt Opitius, *non ab ejus ſcriba, ſed punctatore adjecta fuit, qui ſcriba longe recentior eſt* (*a*). Deinde memorantur in eadem iſta Opitii praefatione mox quatuor, et, ut apparet, non infimae notae codices alii quos ex ſola Bibliotheca regia Berolinenſi filius ejus nactus ſit, et inter ſe contulerit, in quibus unus qui Wolfio per antiquus videtur (*b*). Acceſſitque his codicibus Hinkelmannianus, de quo idem Wolfius (*c*); nec non alius a Wegnero ipſi commodatus, qui V. libros Moſis una cum Targum, verſu Hebraeo et Chaldaeo alternatim poſito, V. Megilloth, Haphtaroth, Jobum et nonnulla fragmenta Jeremiae, ſubjuncta inferius Maſora magna, itemque parva ad marginem addita, complectebatur, et Conſtantinopoli in Germaniam allatus, ultra cccc. annorum aetatem videbatur adſcendere. E quibus igitur luce meridiana clarius apparet Opitium plures quam unum numero codicem habuiſſe e quibus editionem ſuam adornavit, eosque codices quos habuit non fuiſſe infimae notae.

Jam ſi quaeras an Opitius iis codicibus et ſubſidiis criticis quae poſſidebat, etiam uſus fuerit? fateor quidem ex ejus verbis id colligi poſſe; inquit enim, *ſe tantam variantis codicum ſcripturae nactum fuiſſe farraginem, ut vix chartae purae quo codicem Athiae interſperſerat, ipſi ſufficeret anguſtia*, additque: *quemadmodum ei cui in rem praeſentem venire placuerit, ex ipſa codicis mei αὐτοψίᾳ patebit: qui quidem labor maximi certe taedii atque ſollicitudinis, fervente quotidie opere, vix intra IV. annos fuit abſolutus.*

Ve-

(*a*) Vid. Praefationem Jablonskii Bibliis praemiſſam §. 12. Idemque judicium ſequitur et confirmat B. Kennicottus in *Diſſert. generali in Vetus Teſtam.* Hebr. pag. 83 ubi in nota b. inquit: *Maxime miranda eſt Opitii affirmatio:* cum cum accurationibus impreſſis pleumque conſpirare codicibus ſui experius! *quum habet, ut opinor, variationum decem millia, quorum quidem pauciſſimae fuerunt unquam in lucem editae. De hoc codice ait Jablonski, quod ad alios pertinet codices optimae notae. —— Opitio autem hominibusque Opitianis qui integritatem textus Maſorethici manibus pedibusque propugnant, os obſtruit unicus his codex: ſi modo perpendantur variationes ejus tantum 20 quas igitur ſubjungam* etc.

(*b*) Bibl. Hebr. part. II. pag. 305.

(*c*) Ibid. pag. 311.

Veruntamen qui praefationem ejus ſaepius laudatam, ipſumque contextum V. T. Hebraicum ab ipſo editum cum Leusdeniano velit contendere, ei facile apparebit, omnem Opitii induſtriam in comparanda Maſora cum quibusdam lectionum minutiis ſubſtitiſſe, adeoque circa accentus et quaedam puncta verſatam fuiſſe: graviora vero et inſigniora neglexiſſe. Quod autem Maſoram pro irrefragabili lectionis principio habuerit, ad ejusque normam lectionem revocare ſtuduerit, patet ex ejus verbis quae habentur praefationis pagina penultima: *Quin ſi vel omnes impreſſi vel MSS. codices omnes convenirent in aſſerenda lectione quadam, contrarium vero pronunciaret Maſora, confidenter ejus ſecuti ſumus auctoritatem, ſi modo nobis conſtaret eam eſſe genuinam.*

Quae verba licet parum honorifica ſint critico Opitii noſtri ingenio, tamen non probant eum preſſo pede editionem Jacobi Ben Chajim fuiſſe ſecutum; quia ab ejus judicio ſaepius diſcedit, et Maſoram ipſam denuo contulit et examinavit, ejusque rei ſpecimina haud pauca in ea praefatione produxit. Accedit, quod in fine praefationis Commentarium in univerſam ſacram Scripturam promittat, in qua tota contineri debeat codicum ſuorum tam MSS. quam impreſſorum collatio.

Sed mittimus Opitium. Fuerit ille nimius Maſorae admirator et ſectator. Non defuerunt tamen alii de quibus id dici non poteſt. Huc referam ante alios Jo. Georg. Niſſelium, Palatinum cujus Biblia Hebraea ex optimis editionibus, praeſertim Roberti Stephani diligenter expreſſa, et cum codice per quam antiquo collata, multas continent lectiones bonae notae in aliis editionibus non reperiundas, et a Jacobi Ben Chajim editione multis modis diſcrepant. Id quod vel primo intuitu unusquisque animadvertere poteſt, qui formam Canticorum Moſis et Deborae aliorumque quam habent in hac editione, cum ea quam offert editio J. Ben Chajim velit contendere. Quo etiam pertinet, quod verſus notiſſimi Joſ. XXI. 36, 37. verbaque II. Sam. VIII. 3. XVIII. 20. quae in illa editione deſiderantur, hic non omittantur, et contra ea Jerem. LI. 3. una tantum vice legatur ידרך. Mittimus alia bene multa exempla quae Cl. Tychſen (*d*) et poſt eum Ill. Michaëlis (*e*) in hac editione obſervarunt.

Poſt Niſſelium memorari meretur Dan. Ern. Jablonski, in cujus B. H. editione quae Berolini 1699. in ſorma majore octava prodiit, ut ex doctiſſima praefatione ei praemiſſa apparet, plures codices MSS. adhibiti multique errores editionis Leusdenianae correcti ſunt. Deinde Jo. Henr. Michaëlis qui 1720. Halae Magdeb. Biblia Hebraica edidit, quibus varietatem lectionis in codicibus Erfurtenſibus aliisque MSS. reperiundam, quae ipſi communicata fuit, adjecit (*f*). Quae cum ita ſint, apparet, quam vanum ſit Critici noſtri judi-

(*d*) *Tentam*, pag. 346.
(*e*) *Orient. Bibl.* part. X. pag. 215. ſeq.
(*f*) Quod non omnes codicum Erfurtenſium lectiones in ea reperiundae ſint, et quo modo id factum ſit, docet Ill. J. D. Michaëlis *Orient. Bibl.* part. I. pag. 207. ſeq.

Digitized by Google

judicium: *omnes editores Bibliorum qui poſt fuerunt, editionem Venetam tanquam archetypum habuiſſe; —— ideoque conſenſum illum editionum non magis mirandum eſſe, quam editionum Vulgatae verſionis auctoritate Clementis* VIII. *recenſitarum unitiſſimam concordiam.*

Concludit quidem „ adjumento eſſe poſſe nonnullo codices ipſos hodiernos „ ſi qui ſint meliores iis quibus Veneti editores utebantur; eosque ea propter „ ſe a ſua cura non excluſiſſe." Sed cave credas eum aliquod praeſidium in eorum collatione quaeſiviſſe. Quod ſi enim haec verba conferantur cum iis quae ſupra Cap. I. de his codicibus disputavit, ubi Art. I. docere ſatagit eos ad Maſoram eſſe caſtratos, et Art. II. eos muſteos eſſe, atque ad arbitrium Rabbinorum correctos: nec non cum iis quae infra repetit Cap. IV. ubi in verſionibus antiquis totus recumbit, apparebit rem eſſe quod ibidem inquit, *ex codicibus* MSS. *haud multas utilitates ad ſe pertinuiſſe.* Quare etiam in notis et animadverſionibus ſuis parcam admodum facit variantium lectionum ex MSS. collectarum mentionem, et contra ea textum ex verſionibus, praeſertim Graeca, aut ex ingenio tantum non ubique refingit.

In progreſſu hujus articuli quosdam codices MSS. recenſet cum Oratorienſes, tum Regios, quos ſpeciatim in reſtituendo Pentateucho, in ſubſidium emendationis adhibuerit. Qua occaſione de ſingulis judicium fert, et plerosque eos, qui Maſoram additam habent, novitatis accuſat.

Inter codices Regios primus ipſi memoratur, qui in initio, folio quinto, inſcriptionem habet a Stephano Formondo quondam deſcriptam et explicatam (*g*). De hac autem inſcriptione, quam is quidem de origine et uſu punctorum vocalium, ſed Criticus noſter de ſola Maſora intelligit, multa forent dicenda, ſi ad rem praeſentem quidquam facerent.

(*g*) Vid. *Memoires de l'Acad. des Inſcriptions et des belles lettres* Tom. XIII. pag. 501——506. edit. Paris.

Digitized by Google

ARTICULUS TERTIUS.

Tertius fons Emendationis Veterum Interpretum Verſiones.

E*MENDATIONIS tertium fontem nunc aperimus quem dicimus eſſe* Veterum Interpretum Verſiones. *Nam, quoniam facile eſt, cum Veterem interpretem legas, noſſe quid is legerit, utpote cum interpretatio ipſa rem interpretatam declaret, perſpicuum eſt, ſicubi ſcripturam is bonam ſequitur, nos in ea ſcriptura bona id nactos, unde prava Hodierna ſit emendanda. Eam corrigendorum Hodiernorum codicum viam tenuerunt doctiſſimi quidam novi interpretes, quam cur editores non ſequerentur, praecipuam cauſam fuiſſe puto, quod Buxtorfii Buxtorfianorumque opinionibus imbuti et irretiti eſſent.*

Buxtorfius filius, is de quo jam ſaepe diximus, ſic animum ſuum induxerat, Hodiernis in codicibus ſi qua menda ſunt, ea menda caſtigari aliis ex codicibus non licere, quam ex iis quos a Maſoretis *acceptos haec ultima videt aetas; quippe ex illis ſolis conſtare poſſe, quomodo ſacrae paginae olim legerentur, et quomodo nunc eaedem ſint legendae. Buxtorfium ſic urgebat Lud. Capellus: Cùm veteres Interpretes Hebraicum Contextum ſaepè aliter, quàm Hodiernum liceat, converterint, dubitari non poſſe, quin illi Veteres in ſuis Exemplaribus ſcriptiones habuerint ab Hodiernis differentes. Operae pretium eſt ſingulatim videre, quid Buxtorfius reſponderet.*

Primùm, inquiebat, (ea Exemplaria quae Veteres habebant) (1) illorum ſimilia procul dubio fuerunt in mundo, et ex illis etiam alia deſcripta, ut ad poſteros quoque talia devenire poſſent. . . . . . . Quò devenerunt illa exemplaria?

Deindè, (2) Cùm conſtet ſtudium hoc Criticum, non multis poſt illos Interpretes ſaeculis inter Judaeos viguiſſe, *ſi cùm variè vertunt Interpretes, varias eos Lectiones habuiſſe credendi ſunt*, cur non *Judaei* collationi Codicum variorum unicè ſtudentes, et illos undique magno numero et delectu conquirentes, tale quid notàrunt, vel deprehenderunt? . . . . . Nunquam id illis in mentem venit.

Tertio, (3) Procul dubio, ſi tales *et tàm varii* Codices *extitiſſent*, aliqua illorum remanſiſſet memoria, aliqua veſtigia apud Hebraeos, qui à multis jam ſaeculis tàm diligentes fuerunt in minimis etiam varietatibus obſervandis et colligendis, uti diſcrepantium lectionum *Ben-Aſer* et *Ben Naphtali*, Orientalium et Occidentalium, et alia plura docent.

Quar-

(1) *Anticrit.* pag. 72.
(2) Ibid. pag. 72.
(3) Ibid. pag. 72.

Digitized by Google

Quartò, (1) Concertatio nimis eſt iniqua, quâ ancilla cum dominâ, pediſſequus cum Hero de primatu, rivus cum fonte de puritate et ſinceritate contendit et concertat. . . . . . (2) Fide Textui Hebraeo, diligenter eum expende, Linguae Hebraicae accuratam cognitionem tibi compara, Interpretes conſule, et ſemper in Textu Hebraeo Hodierno veram, commodam et cum antecedentibus et conſequentibus convenientem lectionem invenies.

Quintò, *quàm multae* aliae cauſae *eſſe poſſunt* (3) propter quas variae ſint Interpretationes, quàm quòd in ſuo Exemplari Interpretes ita legerint? (4) Nam *quid*, *ſi* Interpretes ſenſum reddiderunt, non ad verba attendentes, ſenſum autem eum expreſſerunt, qui ipſis bonus et conveniens videbatur? *Quid*, *ſi* licet aliter legerent in ſuo Codice, tamen audacter nimis aliquid reddiderunt, quòd non ſatis ſenſum et cohaerentiam Hebraici Contextûs aſſequerentur? (5) *Quid*, *ſi* propter imperitiam multa malè intelligendo, malè etiam tranſtulerunt, et quanquam id, quod tranſtulerunt, videatur eſſe bonum, tamen non facit ad exprimendam mentem verborum Hebraeorum? (6) *Quid*, *ſi* in eo ipſo, quod ante ſe habebant, legendo, non ſatis diligentes fuerunt et vigilantes, ſed decipi ſe paſſi fuerunt? *Quid*, *ſi* illi Interpretes, ante quos jam aliae Verſiones erant factae, ut ſunt Graeci et Latini, alios Interpretes praecedentes conſuluerunt, et ſecuti ſunt, ita ut . . . . . . multa ex illis Verſionibus ſint ex aliis rivis, non immediatè ex ipſo Fonte derivata? (7) *Quid*, *ſi* denique *Veterum Verſiones*, poſtquàm à primis illorum Autoribus fuerunt conditae, *deinde variè ab Exſcriptoribus* fuerunt interpolatae, correctae, corruptae, depravatae?

Haec ſunt, quibus cauſam ſuam Buxtorfius tuebatur, quibuſque ſe quatuor haec vincere putabat, 1°. *Nulla unquam fuiſſe Exemplaria, in quibus ſcriptiones eſſent ab Hodiernorum Codicum ſcriptionibus differentes.* 2°. *Non licere ex veterum Intt. verſionibus varias promere ſcripturas.* 3°. *Quanquam id liceret, fieri vix poſſe.* 4°. *Eas igitur ſolas varias ſcripturas eſſe adhibendas, quas paucas Hodierni Codices prae ſe ferunt. His igitur quatuor breviter eſt reſpondendum.*

§. I.

(1) *Anticrit.* pag. 146.
(2) Ibid. pag. 145.
(3) Ibid. pag. 67.
(4) Ibid. pag. 68.
(5) Ibid. pag. 69.
(6) Ibid. pag. 69.
(7) Ibid. pag. 69.

Digitized by Google

§. I. *An olim extiterint Exemplaria, in quibus ſcriptiones eſſent ab Hodiernis differentes.*

Non licuerat Buxtorſio negare, in Codicibus antiquis extitiſſe ſcripturas ab Hodiernis differentes, niſi firmiſſimis rationibus probaret, fuiſſe antiquos novis omninò ſimiles. Nam rem defendebat prorſus incredibilem; per annos videlicet mille et quingentos, qui anni ab Eſdrâ, Hebraicorum Codicum, cum Punctis *eorum* vocalibus, *ut vult Buxtorſius, Editore, ad Hodiernos Codices natos, interceſſerunt, Hebraicas membranas nihil quidquam mutationis fuiſſe expertas. Nam, quamvis Codices ſuos Judaei, non in levibus membranis, ſed in ſolido aere deſcripſiſſent, quis ei concederet, nunquam ſic erraſſe eorum poſteriores Scribae, ut ab eo, quod legerent, deviarent? Confitebatur Buxtorſius, Hodiernis ipſis in Codicibus nonnullas ſe reperiſſe varietates. Ergò etiam debuerat confiteri, fieri non potuiſſe, quin veteres Scribae multa variè, multa etiam pravè deſcriberent. Et expectabatur potius, ut Buxtorſius, quo animo in ſuos Magiſtros Judaeos affectus erat, novos Codices laudaret, veteres vituperaret, ut non tantis curis tamque ſapientibus deſcriptos, quàm ut Paradoxum illud ſuum faceret, nihil quidquam unquam veterum Interpretum Codices habuiſſe ab Hodiernis diverſum. Ecquibus igitur Rationibus id Paradoxum Buxtorſius tuetur?*

Primum quaerit Buxtorſius, quò tandem illa Exemplaria devenerint, *in quibus veteres Interpretes ſcripturas haberent ab Hodiernis ſcripturis diverſas, easque tam multas. Nos ex eo quaerere juvat,* quò devenerint illa Exemplaria omnium ſaeculorum, et omnium (1) mundi angulorum, *quae Rabbinorum Judaeorumque* Synagogae magnae *curâ Buxtorſius et ſummâ diligentiâ conſervata et emendata fuiſſe narrat. Neque enim nos ulla Exemplaria id aetatis novimus, niſi pauca, quorum ipſorum pauciſſima ante annos ſcripta fuerunt ſexcentos. Quid de reliquis actum fuit? Huic omni interrogationum generi una reſponſio eſt,* omnia fert aetas. *Nec ſolida marmora diuturna ſunt, nec tenues membranae. Judaei recentiores vetera neglexêre, nova conquiſivêre; imò, ne vetera Exemplaria, antè* Maſorae *animadverſiones factas deſcripta, Scribae ſequerentur, gravibus poenis ſanxêre. Ergo nihil eſt, cur admiremur, veterum Intt. Hebraicos Codices fuiſſe aut vetuſtate deletos, aut novis poſthabitos. Aut erat ipſi Buxtorſio admirandum,* Synagogae *illius ſuae* magnae *Codices tàm diligenter ſeu ab Eſdrâ, ſeu à Judaeis veteribus emendatos, periiſſe omninò omnes.*

Deinde quaerit Buxtorſius, veterum Interpretum Hebraicis in Exemplaribus ſi tot erant variae Lectiones, quomodò Judaeis in mentem nunquam venerit, ut eas notarent, et ex illorum Veterum verſionibus depromerent.

Judaeis non id veniſſe in mentem Buxtorſio concedimus. Negamus Chriſtianis

(1) *Anticrit.* pag. 96.

nis hominibus non licere, Artis Criticae tangere eam partem, quam Judaei homines intentatam reliquerunt. Nam conſtat Judaeos Maſoretas *Artem Criticam vix cognitam habuiſſe, pleraſque veterum verſiones ignoraſſe, nonque adeò in mentem eis venire potuiſſe, ut eorum ex verſionibus varias ſcripturas promerent.*

Atenim Judaei fuerunt à multis ſaeculis diligentes in obſervandis rebus vel minimis; obſervàrunt diſcrepantias Codicum *Ben-Aſer* et *Ben-Nephthali*, Orientalium et Occidentalium.

Sic reſpondemus. Primùm, Judaeos nullas obſervaſſe Orientalium et Occidentalium Codicum in Pentateuchum *varias Lectiones, atque eo ex ipſo cognoſci, Judaeorum diligentiam non fuiſſe tantam, quantam jactabat Buxtorfius. Deindè, quòd Judaei Codicum* Ben-Aſer *et* Ben-Nephtali *diſcrepantias notàrint, nihil etiam id ad rem pertinere, quoniam diſcrepantiae illae* Punctorum *ſunt* vocalium, *quae* puncta vocalia *cum variis veterum Codicum ſcripturis, nihil commune habent, ut infrà docebitur. Huc adde, cùm* Ben-Aſer *et* Ben-Nephthali, *ſaeculo tantùm poſt Chriſtum natum duodecimo, vel undecimo exeunte, vixerint, non fuiſſe cur Buxtorfius Judaeorum diligentiam magnoperè jactaret, in ſuis Codicibus* à multis jam ſaeculis *occupatam. Sed is erat Buxtorfius, qui Judaicis fabulis firmiſſimam fidem haberet, Judaeorumque Artem Criticam longè uſque ab Esdrâ repeteret, quos Judaeos credebat, quae Esdras in Synagoga magnâ inchoaſſet, continuaſſe ac perfeciſſe,* à multis jam ſaeculis, *traditum poſteris ſuis reliquiſſe; cùm tamen de totâ illâ Synagogâ magnâ in veteribus monumentis altum fuerit ſilentium, cùmque ejusmodi Judaicarum fabularum, ante ſaeculum octavum, aut nonum, nullus teſtis, neque poſt alius, quàm Judaeus appareat. Quibus fabulis Judaicis Buxtorfius Pater, etſi credulum ſe praebuerat, tamen illae quàm levis fidei et autoritatis eſſent, ipſe imprudens monebat:*

§. II^us^. *Licere ex Veterum Interpretum Verſionibus varias promere ſcripturas.*

Non licere, nemo, ante Buxtorfium, dixerat. Itaque non tàm Lectoribus noſtris nunc licere perſuademus, quàm Buxtorfianas nugas confutamus.

Concertatio, *inquit*, nimis eſt iniqua, quâ ancilla cum Dominâ . . . . de primatu, rivus cum fonte de puritate contendit.

Haec cùm monebat Buxtorfius, rem eam, de quâ diſputabatur, parùm attendebat. Quippe id, tanquam certum ſumebat, Hodiernum Codicem nunquam non eſſe Fontem, *veteres Interpretes nunquam non rivos; hoc eſt, Hodiernum Codicem nunquam quidquam aliud exhibere, quàm Sacrorum Scriptorum germanam ſententiam, Verſiones antiquas nunquam quidquam aliud, praeter ipſam Interpretum. Quod tamen contrà eſt in quaeſtione propoſitâ Nam, cùm quaeritur utrùm et quandò liceat Hodiernum Codicem ad Veterum verſiones emendare, illud, ut anteà conceſſum, ſumitur, Hodiernum Codicem, quam in partem ſit emendandus,*

dus,

Digitized by Google

dus, exhibere, non jam ipſam Sacri Scriptoris ſententiam, ſed mendum Librariorum; Veterum verſiones, quam in partem norma Emendationis eſſe poſſunt, continere; non tàm Interpretum mentem, quàm, in eâ mente, veram Hebraicam ſcriptionem, ipſamque adeò Sacrorum Scriptorum ſententiam. Ergo errabat Buxtorfius, aut petitione principii, aut ambiguitate nominis; petitione principii, ſi Hodierno in Contextu nihil credebat eſſe, quod medicam manum deſideraret; ambiguitate nominis, ſi veterum Interpretum Verſiones ita rivos appellabat, ut non etiam aliquandò ipſe Fons penès ipſos fuiſſe videatur; Hodiernos Codices ita Fontem, ut non etiam interdùm rivus ſit lutulentus. Nam rem diſputatam ſi planè ac dilucidè tractabimus, videbimus Fontem propriè dictum non alium unquam fuiſſe, quàm Sacri ipſum Scriptoris Autographum, quod quidem à multis jam ſaeculis interiit; ex illo Fonte Apographa omnia manaſſe, ſic tanquam ex unâ eâdemque ſcaturigine plures rivos, ex latere defluentes; eorum rivorum alterum habuiſſe veteres Interpretes, alterum nos, hac noſtrâ aetate, Judaeorum Maſoretarum per manus ad nos delapſum. Ergo ſic argumentamur. Veteres Interpretes in ſuis Hebraicis Codicibus, aut ita, ut nos in noſtris, legebant, aut alio modo legebant. Si eodem modo, eoque recto et illi legebant, et nos legimus, tum aqua rivi, et eorum et noſtri, cùm aequè pura et limpida eſſe reperiatur, de loci integritate nulla jam ſuſpicio moveri poteſt. Ergò eam nos ſcripturam, quae Veterum fuit, quaeque etiam noſtra eſt, amplectemur, non tàm quia veterum Interpretum fuit, aut quia noſtra eſt, quàm quòd in Sacri Scriptoris Autographo ita fuiſſe ſcriptum, ſcriptionis bonitas ipſa declarat. Sed veteres Intt. ſicubi non eodem modo, ac nos legimus, legebant, ibi vel uterque rivus turbidus, vel alter purus, alter turbidus eſſe deprehendetur. Si primum, nihil erit cur ſcriptura ea, quam Veteres exſequuntur, ſit poſtponenda noſtrae, aut noſtra illorum. Quippe ſapientiae non eſſet, cùm ſit rivus uterque turbulentus, unum alteri aut poſtponere, aut anteferre. Itaque res in medio relinquetur. Quod ſi autem alter rivus erit limpidus, alter lutulentus, non erit in re clarâ et perſpicuâ tergiverſandum. Nam veterum Intt. aqua ſi turbida erit, noſtra limpida, noſtri Hodierni Codicis ſcriptionem ſequemur; Interpretum, repudiabimus. Sin noſtra aqua lutulenta erit, Interpretum veterum clara et limpida; noſtram abjiciemus; Interpretis, amplectemur. Quod cùm faciemus, non Fonti rivum anteferemus, ut Buxtorfio videbatur, ſed rivo Fontem. Nam Fons eſt, quidquid in rivi alveo limpidum eſt; et, nec Fons, ne rivus quidem eſt appellandus, quidquid vel in rivi alveo, vel ipſo in Fontis oculo turbidum erit ac lutulentum. Ergò relinquitur, ut ſive unum, ſive alterum ex ſupra-dictis eligas; nunquam Codici Hebraeo Verſiones anteponas, etſi de eâ re ſaepius conquerebatur et propè amarè flebat Buxtorfius. Nam ſcriptiones eas, quas habuère Veteres, ſi quando antepones, propterea antepones, ut Codici ipſi Hebraeo ſua ſit reverentia; cùm videlicet eas ſcripturas propter id ipſum amplectêris, quòd Codici Autographi ſinceritatem exhibeant, ejusque adeò degeneres ſcriptiones Hodiernae repudiabis.

Quod

Quod textus Hebraicus non ea puritate ad nos devenerit, ut nihil in eo poſſit aut debeat mutari, in antecedentibus plus vice ſimplici agnovimus. Nec dubitamus hic loci conceptis verbis fateri, ad fontes emendationis pertinere quoque veterum interpretum verſiones; quia auctores earum quo magis antiqui ſunt, hoc magis antiquis exemplaribus uſi ſunt, eaque exemplaria alias aliasque lectiones ipſis obtulerunt quam quae in noſtris codicibus reperiuntur. In quibus lectionibus ſi ſint aliquae praeſtantiores et ad ſententiam ſcriptoris ſacri recte intelligendam manifeſto facientes, boni Critici officium eſt eas ſeligere, et ſequioribus quae in noſtris codicibus reperiuntur praeferre.

Num tamen ea propter conſultum aut optandum ſit, ut quisque Criticus alius hanc corrigendorum hodiernorum codicum viam teneat, eaque lectiones quas veteres verſiones, jure an injuria, videntur offerre, in textum recipiant, de eo vehementer dubito; quin contra ea exiſtimo boni editoris officium eſſe, ut libros antiquos ita in lucem edat, uti eos in codicibus MSS. quos habuit, reperit: argumenta lectionis emendandae quidem proponat, ſed tamen judicium lectori relinquat.

Quod ſi igitur editores Bibliorum Hebraicorum eam viam quam Criticus noſter ipſis monſtravit, non tenuerunt, ſed ſolam lectionem noſtrorum codicum expreſſerunt, non ea propter erunt culpandi: niſi quod nonnulli eorum lectionibus Maſorethicis plus auctoritatis tribuerunt, quam oportebat. Ratio eſt, quia codices noſtros omnes a Maſorethis acceptos eſſe non conſtat; et multae lectiones in iis occurrunt, quae iis lectionibus, quas judicium Maſorethanum ſancivit, ſunt plane contrariae. Quod id ideo fecerint, quia Buxtorfii Buxtorfianorumque opinionibus imbuti et irretiti eſſent, dici non poteſt; quia haec opinio jam diu ante Buxtorfium Chriſtianorum animos inceſſit, et quo antiquiores ſunt noſtrae Bibliorum Hebraicorum editiones, hoc plura diſcrepantium a Maſorethicis lectionum exempla in iis inveniuntur.

Jam quod ad controverſiam attinet quae hac de re inter Buxtorfii filium et Lud. Capellum agitata eſt, quamque Criticus noſter non niſi ex parte propoſuit, ea nata fuit ex illa altera, inter Capellum et Buxtorfios exorta de origine et antiquitate punctorum vocalium. Cum enim Capellus in *Arcano punctorum revelato*, parte priori, multis argumentis contenderet, punctorum inventionem, nec Moſi, neque Eſrae attribui debere, ſed eſſe rem Talmudis confectione circa Chriſti annum quingenteſimum recentiorem, eademque opera negaret his punctis aliquam auctoritatem eſſe tribuendam, Buxtorfius filius ei primo quidem tractatum *de punctorum vocalium et accentuum in libris V. T. Hebraicis origine, antiquitate et authoritate* oppoſuit. Cumque ex hoc Capelli aſſerto graviſſima illa quaeſtio naſceretur, quo tandem modo vera lectio codicis Hebraici conſtituenda ſit, et Capellus veritatem lectionis ex verſionibus antiquis eruendam eſſe probaret ex eo, quod lectio quam fundunt hae verſiones, ſaepius ſit melior Maſorethica, ejusque rei plu-

plurima exempla produceret in *Critica ſacra, ſive de variis quae in ſacris V. T. libris occurrunt lectionibus libris ſex*; quibus Criticae hujus *Defenſio* adjecta eſt, qua argumenta Buxtorfii, quae in priori tractatu de punctorum origine, ſpeciatim lib. I. c. 16. acta erant, refelluntur, Buxtorfius ad hoc opus ex profeſſo reſpondit in *Anticritica ſeu vindiciis veritatis Hebraicae*, quibus Defenſionem iſtam et exempla meliorum lectionum quae Capellus ex verſionibus antiquis, ſpeciatim ex Graeca Alexandrina protulerat, ex profeſſo refutavit.

Quod haec controverſia proprie et primario puncta, non literas pro objecto habuerit, in ipſo autem conflictu etiam ad literas fuerit extenſa, et Capellus quidem puncta poſſe mutari; atque adeo literas alium aliumque ſenſum fundere, literas vero non niſi in caſu neceſſitatis eſſe ſollicitandas, cenſuerit, patet ex *Defenſione* laudata § 63. pag. 615. ubi inquit: *Alia eſt* ſcriptionis, *alia* punctationis *in hodierno codice Maſorethico ratio, quo ad libertatem utramque vel alterutram immutandi.* Scriptio *ſpectat litteras ſive conſonas quibus ſacer codex deſcriptus eſt.* Punctatio *ſpectat vocales quae varie eidem voci iisdem literis ſcriptae adhiberi poſſunt. In* ſcriptione *nihil pro arbitrio immutarunt Maſorethae, ſecuti ſunt libros Manuſcriptos qui tum fuerunt in eorum poteſtate, et quorum uſus illis fuit. —— Ad ſcriptionem itaque quod adtinet, quia nihil hic eſt, quod ab ipſorum arbitrio, aut proprio judicio pendeat, ſi quidem ſecuti ſunt codices qui ante oculos ipſorum fuerunt, non eandem volumus eſſe libertatem cenſendi et immutandi in iis quae pertinent ad ſcriptionem, quae poteſt eſſe major in iis quae ſpectant punctationem.*

Ad haec Criticus noſter Buxtorfio injuriam facit, dum argumenta ejus non omnia, nec quanta vi et evidentia ab ipſo producta ſunt, proponit, ſed debiliora tantum quae Buxtorfius in principio poſuerat, huc refert. Scripſerat plus ſimplici vice Capellus cum in *Arcano punctorum revelato*, tum in *Critica*, ejusque *Defenſione*, codices illos e quibus interpretes antiqui ſuas verſiones concinnarunt, ab his quos a Judaeis accepimus, *infinitis in locis*, imo *enormiter* variaſſe. Buxtorfius vero ut demonſtraret, eam variationem non in codicibus, ſed in ipſis interpretibus quaerendam, eſſeque *rem leviſſimi et plane quoad ſenſum nullius momenti* contendebat, primo quidem, in tractatu *de punctorum antiquitate* part. I. c. 16. pag 281. 282., deinde in *Anticrit.* p. 72. his utitur argumentis: „ I. Si „ exemplaria Hebraica olim tam enormiter variarunt et illa omnia expreſſerunt, quae hodie veteres iſtae interpretationes nobis repraeſentant, oportet, ut hujus varietatis vel in codicibus ipſis, vel in antiquiſſimis Judaeorum monumentis aliqua ſuperſint veſtigia; quia ſi talia exemplaria unquam extiterunt, non fuerunt ſola, ſed plura eis ſimilia extiterunt. Quo devenerunt illa exemplaria, ex quibus LXX, Aquila, Theodotion, Symmachus et alii tranſtulerunt? " (*h*)

„ II. Pa-

(*h*) Ad hoc argumentum cum Capellus in *Defenſione Criticae* pag. 569 et 570. exciperet, quod

„ II. Paraphraſes Chaldaicae Jonathanis et Onkeloſi expreſſerunt ubique „ formam exemplaris ſui Hebraici, quod prae manibus habuerunt et lectio„ nis tunc receptae. At quanta eſt inter hos differentia? Quando convenit „ Jonathan cum LXX. aut ubi illis adſtipulatur, quando illi a textu Hebraeo „ recedunt? et tamen Jonathan ducentis duntaxat circiter annis poſt LXX. „ vixit. Quis credat intra illud tempus ita enormiter vetera exemplaria „ mutata, mutilata et deformata fuiſſe, idque ſine ullo vel minimo veteris „ lectionis veſtigio apud Hebraeos, ſine ulla memoria?

„ III. Si exemplaria Hebraica olim variaverunt ſecundum varietatem o„ mnium veterum interpretum, et hodierna Biblia Maſorethica, ut vocant, „ non ubique exprimunt veram et veterem lectionem, tum haec mutatio et „ nova legendi ratio introducta eſt vel ante Maſorethas, vel a Maſorethis „ ipſis, vel poſt eos. At neutrum eſt probabile: Non ante ipſos; quia „ nulla apud Hebraeos, vel in Talmud, vel in Medraſchim antiquis, (*i*) vel „ in Cabaliſtis, vel in vetuſtis exemplaribus Biblicis, vel uſpiam comparent „ indicia. Quomodo autem ex infinitis locis, in quibus ex. gr. LXX. ab He„ braeo diſſident, non unum et alterum ſaltem exemplum remanſiſſet —— „ et Maſoretharum diligentiam et induſtriam non effugere potuiſſet, ſi ta„ lis variatio fuiſſet. Maſorethae non fecerunt hanc mutationem: nunquam „ enim tam univerſalem conſenſum obtinuiſſent.

„ IV. Si exemplaria Hebraica vetera ab hodiernis tantopere diſcreparunt, „ non potuit tam frequens, tam inſignis et magna mutatio incidere ſcripto„ rum vel librariorum incuria, inſcitia aut aliquo errore fortuito inter de„ ſcribendum nato: ſed neceſſario dicendum, id ex conſilio et certo propoſi„ to, ac ſeu corrigendi, ſeu corrumpendi ſtudio a Judaeis factum eſſe. At„ qui ab hoc crimine veteres Patres et praeſertim divus Hieronymus liberant „ Ju-

quod, licet ad haec reſpondere non poſſit, et indicare quare id non factum ſit, non tamen propterea ſequatur verum non eſſe, codicem Hebraeum, quo uſi ſunt LXX. Interpretes, immenſum quantum a codice Judaico in diverſum abiiſe, Buxtorfius eum ſic urget premitque: *Anticrit.* p. 116. *Si olim talis et tanta fuit codicum Hebraicorum, ab hodierno Judaico variatio e discrepantia; vel ſi tales codices Hebraei olim fuerunt, quales nobis repraeſentant Interpretationes veteres, procul dubio illi ſoli nec fuerunt, nec manſerunt, ſed apud alios nonnullos ſimiles fuerunt; illi ſcilicet, ex quo illi, et alii ex his quoque deſcripti; ut ſicut illa exemplaria propagines fuerunt exemplarium praecedentium; ita ab illis quoque ad alios ſimilia derivata, atque ita alicubi et inter aliquos propagata fuerint. Atqui hoc poſterius non eſt factum, Ergo nec prius.*

Addit: *Conſequentiae ratio eſt manifeſta. Abſurdum enim eſſet dicere; ex. gr. Graecos LXX. habuiſſe peculiarem aliquem codicem, cui ſimilis nullus alius unquam extiterit, vel qui cum illis prorſus perierit.* Et tandem ſubjungit: *Cujus nulla vel in aliis Interpretibus, non longo tempore ab invicem disjunctis, vel in codicibus aliquibus Hebraicis; nec in Hebraeorum Criticis. collationi et correctioni codicum Hebraeorum operam navantibus, reperiuntur veſtigia, indicia, nulla mentio et memoria, illud ſana cum ratione rejici et negari poteſt.*

(*i*) Velut *Siphra* et *Siphre*, de quibus antiquiſſimis in Leviticum, Numeros et Deuteronomium commentariis vid. Diſſ. noſtram, *De auctore et uſu antiquiſſimi in Leviticum commentarii Siphra dicti.* Traj. ad Rhen. 1751.

Digitized by Google

Judaeos. Et ipſa res loquitur non ſtudio a Judaeis has mutationes factas eſſe. —— Itaque aliunde proveniant neceſſe eſt hae diſcrepantiae. (*k*)

Ad haec argumenta, licet non omni ex parte ſolida et limata, nec Capellus, neque Criticus noſter ſatis reſponderunt. Non Capellus; quia non ſufficit dicere, ſi demonſtrari non poſſit, quare tam enormis variationis, qualis ex collatione τῶν LXX. cum textu hodierno Hebraico appareat, nulla; nec in codicibus antiquis, neque in vetuſtiſſimis Judaeorum monumentis aliqua reperiantur veſtigia, ideo rem ipſam negari non poſſe. (*l*) Quod ſi enim haec veſtigia nuſpiam apud Judaeos inveniantur, alterutrum eſſe verum oportet, ut vel hi Alexandrini ſingularem aliquem codicem habuerint, ab eo quem interpretes alii et Judaei adhibuerunt, diverſum, vel ut Judaei ſuum quem habuerunt codicem deſtinato conſilio mutaverint et corruperint. Neutrum autem demonſtrari poteſt, nec eſt veriſimile. Sequitur ergo, ut earum varietatum, quae in verſione Alexandrina inveniuntur, vel aliqua mentio et memoria in ſcriptis Judaeorum occurrat, vel ut eae, ſaltem maximam ſui partem, ſint aliis cauſis adſcribendae, quam illi quod eorum codex revera ita legerit, atque ipſi expreſſerunt. Non Criticus noſter; quia illam Buxtorfii poſtulationem, qua quaerit quo devenerint illa exemplaria in quibus veteres interpretes ſcripturas habuerint ab hodiernis ſcripturis diverſas, easque tam multas? ad ſolos codices MSS. reſtringit et tantopere exagitat, ut eum in vicem urgeat interrogando, *quo devenerint illa exemplaria omnium ſaeculorum et omnium mundi angulorum quae Rabbinorum Judaeorumque Synagogae M. cura Buxtorfius conſervata et emendata fuiſſe narret*, eaque occaſione laudat *Anticrit.* pag. 96. (*m*). Buxtorfius enim non hoc poſtulaverat, ut ipſa illa exemplaria, ſed eorum apographa, vel ſaltem eorum *veſtigia, indicia, mentio et memoria* alicubi extarent, ut patet ex ejus verbis ſuperius allatis.

Sed Buxtorfius, uti in aliis, ita in hoc modum exceſſit, quod lectionis Graecae nulla plane monumenta aut veſtigia alicubi in codicibus Hebraicis reperiri affirmat (*n*), et exemplaria, quibus uſi ſunt antiqui interpretes, ab his quae nunc habemus, non variaſſe, niſi in rebus levioris momenti docet. Capellus vero extra oleas vagatur, cum inquit, ea infinitis in locis, et enor-

(*k*) Id eſt, ab interpretibus ipſis, ut docet in progreſſu.

(*l*) Cauſatur quidem Capellus in *Critica* ejusque *Defenſione* plus ſemel, velut pag. 571., Judaeos id non feciſſe, odio verſionis Graecae. Sed hoc argumentum Buxtorfius plus ſimplici vice refutavit, tanquam in *Anticrit.* pag. 124.

(*m*) Quando Hubigantius haec verba velut a Buxtorfio profecta huc refert, exemplo poſſunt eſſe, quam parum fidei ipſi tribuendum ſit in allegandis aliorum dictis. Verba Buxtorfii l. l. ſunt iſta: *Judaei fecerunt quod debuerunt: contulerunt codices Hebraicos, et ex illis collegerunt varias lectiones, neque deſtituti ſunt exemplarium copia et delectu ex omnibus mundi angulis; ut dextre et feliciter id facere poſſent.*

(*n*) Contrarium comprobavit Kennicotus in Diſſertationibus ſaepius laudatis.

Digitized by Google

enormiter variaſſe. Qui enim ingenium hominum norit, et antiquiſſimam ſcribendi rationem, qua literae non tam accurate pingebantur ac ſolebant ſeriori aevo, neque deſcriptores erant Critici aut Maſorethae, atque etiam gloſſemata in textum recipiebantur, is facile intelliget, magnam lectionis varietatem in codicibus antiquis reperiri debuiſſe. Ne tamen eam tantam eſſe putemus, quantam Capellus voluit, docet exemplorum ab ipſo allatorum inſpectio, et ingenium horum interpretum qui ſaepe paraphraſtas agunt, aut verba ſibi minus intellecta utcunque reddunt ex opinione probabili.

Mittimus cetera auctoris noſtri philoſophemata. Id monere adtinet, quod de Ben-Aſcher et Ben-Naphtali obſervat, eatenus quidem recte ſe habere, ut hi auctores ſeriori aevo, et ſeculo quidem duodecimo vixerint, nec diſcrepantias literarum, ſed ſolorum punctorum vocalium notaverint. Verum hoc Buxtorfius non ignoraverat, et multis verbis inculcaverat, cum in tractatu *de Punctorum antiquitate* part. I. c. 15. tum in *Anticrit.* part. II. c. 5. Hubigantius vero ei injuriam facit quando verba ejus non omnia huc refert, e quibus tamen apparet eum nil aliud voluiſſe, quam Judaeos, inde ab antiquiſſima memoria ad tempora usque horum doctorum Ben-Aſcher et Ben-Naphtali, collationi codicum unice ſtudentes, et illos undique magno numero conquirentes tales diſcrepantias veterum codicum notare debuiſſe, ſi extitiſſent. Patet id quam clariſſime ex verbis quae, nulla interjecta mora, his ſubjungit: *Fieri certe non poteſt, ut, cum conſtet ſtudium hoc Criticum non multis poſt illos interpretes ſeculis inter Judaeos viguiſſe, et excultum eſſe, illorum tot et tantae variae lectiones quas Criticus noſter notat, ita prorſus perierint, ut nulla earum a Criticis Judaeorum veteribus deprehenſae fuerint.*

Ad §. II. quo docet, *licere ex veterum interpretum verſionibus varias promere ſcripturas*, non eſt ut multa moneamus, niſi quod auctor noſter denuo inique cum adverſario ſuo Buxtorfio agat, cum hoc leviſſimum ejus argumentum ex cetero contextu reſectum profert, et multis modis exagitat: *Concertatio nimis eſt iniqua, qua ancilla cum domina de primatu, pediſſequus cum hero rivus, cum fonte de puritate contendit.* Buxtorfius his verbis non uſus fuerat, niſi poſtquam Capello quaerenti: cur hodierni codicis auctoritate magis urgeri debeat, quam illius codicis quo vetus aliquis interpres uſus eſt, reſpondiſſet, „ 1. quia de lectione hodierni codicis Hebraei certo conſtat „ ex unanimi omnium conſenſu, citra ullam dubitationem vel haeſitatio„ nem. 2. quia ſi vel maxime illi codices extarent, aut quidam pauci iis „ ſimiles, longe tamen tutius, certius et aequius ſit, ut publice et rece„ ptae ab omnibus lectioni plurium codicum auctoritati ſubnixae inſiſtamus, „ quam uni alicui codici ſingulari et privato (*).

Quae quidem ejus argumenta, ſi cum antecedentibus conferantur, in qui

(*) Vid. *Anticrit.* pag. 145.

quibus docet, fieri non potuiſſe, ut Judaeorum Maſorethae omnes codices ad certam aliquam normam revocarent, multo minus corrumperent, tam parum, quam ut Graeci ceterique interpretes aliquem codicem peculiarem habuerint, in tot locis a Judaico diverſum, haud parum roboris lucrantur.

Ad ipſa vero verba Buxtorfii quod adtinet: non opus erat, ut in iis refutandis Criticus noſter multum deſudaret. Concedimus ei, ex veterum interpretum verſionibus haud raro intelligi poſſe, quid in codicibus eorum ſcriptum fuerit, ſi nempe verbis utantur e quibus vera et genuina lectio perſpicue poſſit demonſtrari, nec ſuſpicio ſit, eos vel contextum ſacri ſcriptoris minus recte intellexiſſe, vel criticos aut paraphraſtas agere voluiſſe; ac facile largimur, eam lectionem quam nobis offerunt hae verſiones, ſi ſit praeſtantior, lectioni Maſorethicae omnino eſſe praeferendam. Attamen quod addit: rivorum ex autographo manantium, *alterum habuiſſe veteres interpretes, alterum nos hac noſtra aetate Judaeorum Maſoretharum per manus ad nos delapſum*, admitti, aut probari non poteſt. Cum enim verſiones antiquae multis modis diſcrepent, abeantque in diverſum, oportet, ut tot fuerint rivi quod ferme ſunt verſiones antiquae. Nec minus cum grano ſalis erit accipiendum, quod mox ſubjungit de rivo puro et limpido, qui turbido et lutulento ſit praeferendus. Nam non omnis ſententia quae clara eſt et perſpicua, ea ipſa eſt, quam auctores antiqui intenderunt. Et ſaepe ſuſpicio haud levis eſt, interpretes difficultate locorum preſſos, verbis quidem clarioribus uſos eſſe, ſed quae cum ingenio et intentione auctoris minus conveniant. Cujus rei exempla in codice Samaritano et verſione Alexandrina multa occurrunt, quae in ſuperioribus paſſim examinavimus (p). Addimus hic, quod ex interpretatione obſcura et contorta nonnunquam felicius intelligi poſſit quid in codicibus antiquis ſit lectum, quam ex perſpicua et clara (q).

§. III^us. *Ex veterum Interpretum verſionibus cognoſci poſſe, in ipſorum Codicibus Hebraeis quid legeretur.*

Docuimus ſuprà negari non poſſe, quin veteres Intt. habuerint in ſuis Hebraicis Codicibus ſcriptiones quasdam ab Hodiernorum Codicum ſcripturis diverſas, quas bonas ſequi liceat, Hodiernis pravis, ſi quae ſunt, neglectis. Nunc alterum, quod negabat Buxtorfius, nobis eſt defendendum, ex veterum Verſioni-

(p) Vide v. c. Exod. XII. 40. de quo loco diximus ſupra pag. 159. ſeq.

(q) Sic Exod XVII. 16. ex verſione Graecorum obſcura et abſurda ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ intelligitur eos legiſſe potius ד על כס, quam יָ על כס; quia vocabulum illud derivarunt a כסה, *texit, occultavit.*

Digitized by Google

nibus internoſci poſſe, in ipſorum Hebraïcis Codicibus quid legeretur. Sed opinionis Buxtorfianae argumenta ſuprà memorata priusquam confutamus; juvat nos eum breviter audire, argumento generali ſic disputantem.

Si quis mihi, inquiebat Buxtorfius, ſcripturam aliquam ex Pentateucho Samaritano (1) *proferret, non multùm repugnarem, quin eâ ſcripturâ, ſi bona eſſet, uteremur, quoniam* Sam. Pentateuchus *Hebraico eſt ſermone ſcriptus. Sed quis non miretur mihi, ad emendandum Codicem Hodiernum, Hebraicâ Linguâ ſcriptum, offerri Contextus Graecos, Chaldaicos, Syros, Arabicos, Latinos; quaſi in Linguis Graecâ, Chaldaicâ, Syrâ, Arabicâ, Latinâ, ſcriptiones quaedam Hebraicae reperiri poſſint* (2). Scilicet haec Sacra Critica, ſacra eſt Chymica, vel Alchymica, quâ ſingulari arte, Graeca, Latina, Chaldaea vocabula *etc.* ſubitò in Hebraea transmutari poſſunt.

Hoc admirantem et deridentem Buxtorfium cùm videas, Erudite Lector, non tu ipſum deriſorem judicas eſſe deridendum? Etenim, exempli causâ, ſi quis auctor Graecus ex Latino aliquo ſcriptore quidquam profert Graecè translatum, quis negabit cognoſci poſſe, apud Latinum ſcriptorem quid Graecus legeret? Scripſit Graecè Plutarchus Catonis vitam Uticenſis; cujus indolem obſtinatiorem, nec vinci facilem, quodam loco commemorans, hoc Ciceronis de Catone dictum profert, nimis praefractè videbatur aerarium defendere. *Quod cùm Graecè proferat Plutarchus, non Latinè, avemus ſcire quomodò in Cicerone Plutarchus legerit,* an aerarium defendere, an aerarium confundere, *ut apud* M. Tullii *quoſdam Codices ſcriptum fuit. Utitur Plutarchus verbo Graeco* ἀντέχειν, *quod eſt* defendere; *non verbo,* συγχεῖν, *quod eſt* confundere. *Quis dubitabit Plutarchum legiſſe apud Ciceronem* defendere; *praeſertim cùm Catonem Plutarchus ut eum hominem exhibeat, qui aerarium* defenderet, *non* miſceret; *pro patriae legibus pugnaret, non patriae commoda oppugnaret? Aut quid tu eum Lectorem cenſebis, qui tecum contenderet, fortè Plutarchum legiſſe,* confundere, *etſi Graecè ita convertit, ut qui legeret,* defendere; *neque ullâ certâ viâ inveſtigari poſſe, utrum ex duobus Plutarchus legerit? Atqui hoc ipſum illud eſt, quod Buxtorfius pugnaciter defendebat; in eam ſe ille dementiam totus induebat; quod vel uno exemplo cognoſcitur.* Geneſis *cap.* 2. v. 2. *legitur Hodierno in Codice,* complevit Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat. *Graeci Intt. dicunt* ἡμέρᾳ ἕκτῃ, die ſexto. *Diſputabat adverſus Buxtorfium Lud. Capellus, ut probaret* Graecos Intt. *in ſuo Hebraico Codice ſcriptum habuiſſe* הששי, ſexto, *non* השביעי, ſeptimo. *Quid Buxtorfius? Negat et pernegat non eos* השביעי *legiſſe. Sanus es, Buxtorfi? An tu eos usque eò inſaniſſe putas, ut cùm* השביעי, ſeptimum, *legerent,* ſextum, *interpretarentur? Nec vides mutationem literarum in Codicibus fuiſſe factam? Sanus ſum, inquit Buxtorfius, & antiquis in Codicibus ſi quid fuit mutatum, fuit in Graecis Codi-*

(1) *Anticrit.* pag. 1. paſſim.
(2) Ibid. pag. 143.

Digitized by Google

Codicibus, in quibus olim legeretur, ἑβδόμῃ, ſeptimo, *non* ἕκτῃ, ſexto, *non verò Hebraeis in Codicibus, in quibus nunquam fuit aliter ſcriptum, quàm* השביעי, ſeptimo. *Quia ſi verò, Buxtorfi, Samariticis in Codicibus legitur* הששי ſexto, *non* השביעי, ſeptimo? *Etiam ne defendes Samaritanorum Codices fuiſſe hoc loco mutatos ac depravatos? Sanè quidem herclè, inquit Buxtorfius, cujus haec illa ipſa verba ſunt* (1), eſt ſane hic mutatio facta, non verò in Codicibus Hebraeis, qui unanimiter conſentiunt, ſed in Samaritano et in Graeco. *Si quaerimus ex Buxtorfio, propter quam cauſam velit mutatos fuiſſe Codices Graecos, nullam protulit, niſi fabulam forte quandam ex* Talmude *ſumptam, quae non tanti eſt, ut in eâ immoremur. Similiter ſentiendum de mutatione apud Sam. Codices factâ; nam de Samaritano Contextu nihil Buxtorfius, niſi fama, noverat. Quis credat igitur Buxtorfio neganti vel* Graecos Intt *non legiſſe* ſeptimum, *cùm tamen* ſextum *dixerint, vel eorum ex Graecâ Verſione, quid Hebraicè legerint, cognoſci poſſe. Sed ad ſingula ejus ſuprà memorata nunc reſpondemus.*

Cum nullo indicio certo Hubigantius demonſtraverit ubinam loci iſtud argumentum generale Buxtorfii reperiatur, et per *Anticrit*, *pag.* 1. procul dubio partem 1. deſignaverit, non potui illud invenire, quamvis partem primam totam perlegerim. Eſto tamen Buxtorfium hoc argumento alicubi fuiſſe uſum. Voluit ille, niſi me fallunt omnia, hoc ſolum eo probare, quod ſi in verſione quadam Graeca, Latina, vel alia quacunque variae lectiones quaerantur, id ſine periculo erroris fieri non poſſe; quia interpretes aliis verbis utuntur, quam quae in contextu Hebraico occurrunt. Sed omnem dubitationem tunc demum tolli et evaneſcere, ſi hae variae lectiones inveniantur in aliquo codice Hebraico, qualis eſt Samaritanus. Non quod ea probet omnia quae in Pentateucho Samaritano reperiuntur; ſed quia hinc appareat Samaritanorum codicem, jure an injuria, re vera hanc lectionem prae ſe ferre: et quod in hoc caſu demum optio inſtitui poſſit, utrum haec lectio ei quae in noſtris exemplaribus reperitur, ſit praeferenda. Patet id haud obſcure ex ejus verbis quae leguntur *Anticit.* pag. 166. *Caeterum et ego dico, et quod ſaepius dixi, repeto: ſi inter codices Hebraicos diverſa occurrat lectio, et aliqua poſſit oſtendi, quae ſit melior, commodior, aptior, illam, quocunque in codice Hebraico inveniatur, eſſe amplectendam, ſequendam omnibusque aliis praeferendam, etiam receptae lectioni hodiernorum codicum. Sed nunquam admitto, neque in aeternum admiſſurus ſum, ut mihi incerta conjectura, ex diſcrepante interpretatione nata et divinata, cujus plures aliae poſſunt eſſe cauſae, pro varia lectione Hebraica obtrudatur contra lectionem certam et fidem omnium Hebraicorum codicum.* Quae ſententia, licet eam minime probaverim, tamen in univerſum rejici non poteſt; quia certiſſimum eſt, quanta quanta ſit certitudo demonſtrationis in variis lectionibus quae ex verſionibus hauriuntur, eam tamen tantam

(1) *Anticrit.* pag. 2. cap. 7. pag 539.

Digitized by Google

tam eſſe non poſſe qualis eſt lectionis in ipſis MSS. codicibus repertae. Poſſent enim illarum variantium lectionum variae eſſe cauſae: cujusmodi eſt, quod interpretes antiqui ita ſaepe verba Hebraica converterint, non ut ſcripta erant, ſed uti ex eorum judicio ſcribenda vel interpretanda eſſe videbantur. Quod ſane in eo loco factum eſſe deprehenditur quem Hubigantius produxit, nempe Gen. II. 2. quemque ea propter praeſtantiſſimi quique ex Criticis noſtris in codicibus Judaicis ſe rectiſſime habere pronunciarunt. (r) Cum enim bina haec verba ויכל et וישבות ex aequo praeteritum perfectum exprimere ipſis viderentur, vellentque obviam ire praejudicio quod ex hac ſententia poſſet oriri, ac ſi Deus die ſeptimo aliquid creaſſet, diem ſextum in locum ſeptimi ſubſtituerunt. Qua in re ipſis pollicem preſſerunt Samaritani, avita ſuperſtitione erga Sabbathum huc inducti.

Provocat quidem Hubigantius in commentario ad hunc locum, cum Capello ad Exod. XII. 11. ubi Moſes clariſſimis verbis dicit, *Deum ſex diebus feciſſe coelum et terram.* Sed hoc effatum non obſtat huic loco; quippe in quo non dicitur Deus die ſeptimo aliquid creaſſe, ſed *poſtquam creaverat*, quieviſſe; ſequitur enim continuo aliud futurum illi reſpondens et ex more Hebraeorum, in hac verborum conſecutione, per ſimplex praeteritum interpretandum. Et verbum כלה in ſpecie Pihel ſacris ſcriptoribus ſic adhibetur, ut omnimodam ceſſationem ab aliquo opere ſupponat. Qualis cum ejus ſit uſus in loco huic ſimillimo qui occurrit II. Sam. VI. 18. ubi dicitur: ויכל דוד מהעלות העולה ויברך את העם *Et poſtquam abſolverat David offerre holocauſtum benedixit populo*, non credo aliquem fore qui amplius dubitaverit, quin varietas lectionis in codicibus Graecis et Samaritanis occurrens, quantamcunque ſpeciem habeat, tamen ſit rejicienda.

(s) Quid, ſi Interpretes ſenſum reddiderunt, non ad verba attendentes; ſenſum autem eum expreſſerunt, non qui erat in eorum Codice, ſed qui ipſis bonus et conveniens videbatur?

Amens ſit, qui Interpretem eum, quem videat non ad verba attendere, aliter quàm nos legiſſe ob eam unam cauſam credat, quòd eum videat ſingula verba non perſequi, nec verbum de verbo interpretari. Sed Veteres Interpretes, ubi paulò liberiùs convertunt, ibi non tanti eſt laboris, quanti Buxtorfius exiſtimabat, videre, an ſimiliter in ſuis Codicibus, ut nos in noſtris, an verò aliter legerint. Geneſis *cap.* 22. v. 13. *Hieronymus interpretatur*, vidit poſt tergum arietem. *Legitur in noſtris Hodiernis* אחר. *quod ſignificat* poſt, *non* poſt tergum. *Sed tamen facilè quivis intelligit Hieronymum addidiſſe* tergum, *non quod in ſuo He-*

(r) Huc pertinet Ill. Michaëlis *Orient. Bibl.* part. XXI. pag. 190.
(s) *Anticrit.* pag. 68.

Hebraico Codice ita ſcriptum haberet, ſed ut ſententiam expediret. Nam אחר, *ſine adjuncto, Hieronymo videbatur obſcurum, ut erat. Sed ideò erat obſcurum, quia mendosè ſcriptum: vide notam in hunc locum.*

His praemiſſis, tranſit ad rationes examinandas ob quas Buxtorfius l. l. dixerat fieri potuiſſe, ut verſiones a textu vulgari differrent absque ut interpretes in ſuo exemplari ita legerint. Harum prima eſt, *quod interpretes ſaepe ſenſum reddiderint, non ad verba adtendentes: ſenſum autem eum expreſſerint, qui ipſis bonus et conveniens eſſe videbatur.* Reſpondet Noſter „ amentem eum eſſe oportere, qui interpretem eum quem videat non ad verba „ adtendere, aliter quam nos legiſſe ob eam cauſam credat, quod eum videat „ ſingula verba non perſequi, nec verbum de verbo interpretari. Sed Buxtorfius non ob illam cauſam ſolum quod ſenſum reddiderint non ad verba adtendentes eos falſos fuiſſe dixerat, ſed quia ſenſum eum exprimere voluerint, qui ipſis bonus et conveniens eſſe videbatur. Quod eos in illis locis feciſſe contendit, ubi vel in vocibus vel in phraſibus Hebraicis ambiguitas vel difficultas aliqua obtinet.

Jam ut Hubigantius probet quod non tanti laboris ſit videre an interpretes ſimiliter in ſuis codicibus ut nos in noſtris, an vero aliter legerint, provocat ad Gen. XXII. 13. ubi Graeci pro אחר ſcriptum invenerint אחד, quod et prae ſe ferunt codices Samaritani. Nos contra ea exiſtimamus eum locum id clariſſime comprobare quod Buxtorfius contendit. Quid ſi enim lectio אחר quam inveniebant in ſuo codice ipſis parum conveniens, nec ſenſum ſatis commodum fundere viſa eſt, idemque ipſis accidit quod ſcribis quibusdam Judaeorum qui ob eandem cauſam ſcripſerunt אחד? Quid ſi litera *reſch* in eorum codice ita ſcripta fuit, ut eam confunderent cum *daleth*? quod eo tempore quo hi interpretes vivebant facile fieri potuit: non ſane ex eo quod איל אחר verterunt per *κριὸς εἷς* probari poteſt in ipſorum codice lectum fuiſſe אחד.

Noſtra ſententia nec אַחַר legendum eſt hic loci, neque אֶחָד, ſed אַחֵר *alius*; et aliquid altius et magis acutum his verbis continetur, quam prima fronte apparet. Principio enim אחד ſi notet *aliquem*, conſtruitur cum pluralibus et collectivis. Sic אחד השיחים eſt *aliquis fruticum* Gen. XXI. 15. et in hoc noſtro capite vſ. 2. אחד ההרים *aliquis montium*. Deinde אחר *poſt*, ſine addito ſubſtantivo ad quod refertur haud facile apud aliquem ſacrorum ſcriptorum invenies. Quae cum ita ſint, exiſtimo איל hic alternare cum שה, tanquam ſpeciale cum generali, et איל אחר dici pecudem quae in locum alterius, quam immolare debebat Abrahamus, erat ſubſtituta. Dixerat vſ. 8. Abrahamus filio ſuo: *Deus providebit ſibi* השה *pecudem*, (minutam, ex quo genere eſt איל *hircus*) deſignans quidem his verbis filium ſuum, quem in animo habebat ad inſtar talis pecudis immolare, ſed tamen vera loquens,

quens, uti eventus comprobavit. Verbis vero extremis vſ. 13. legitur: *et ſumſit eum hircum et obtulit eum loco filii ſui*, quem paulo ante nomine generali שה deſignaverat. Potuit igitur hircus ille hoc verſu rectiſſime *alius* vocari, quia in vicem et locum alterius quem verbis ſuis deſignaverat Abrahamus, erat ſubſtitutus. Et niſi me fallunt omnia, deſignatur his verbis, quod ſingulari Dei providentia factum ſit, ut, cum Abrahamus filio ſuo dixiſſet, aliquam parvam pecudem adfore quae immolari poſſit, re vera autem per hanc pecudem deſignaverit filium ſuum, nunc in locum filii ſubſtituta ſit pecus ex eo genere alia, nempe hircus.

(1) Quid, ſi, licet aliter legerent in ſuo Codice, quàm interpretantur, tamen audactèr nimis aliud reddiderunt, quòd non ſatis ſenſum et cohaerentiam Hebraici Contextûs aſſequerentur?

Si quandò Veteres in loco verſantur difficili ad interpretandum, non tamen difficile eſt animadvertere, utrùm ſuo arbitrio interpretentur, an certum quid ſuis in Codicibus habeant, quod ſequantur; neque ejusmodi ea res eſt, in quâ nihil videre, ut ſomniabat Buxtorfius, perſpicentia humana poſſit. Exemplo eſt illud התעו, errare fecerunt, *quod hodiè legitur, quodque Chaldaeum ſic convertiſſe vidimus*, poſtquàm aberrarunt populi poſt opera manuum ſuarum, *talique interpretatione à Sacrà Paginà toto coelo aberraſſe. Sed tamen Chaldaeum ita legiſſe, ut fuit interpretatus, nemo ſapiens exiſtimabit. Quid ita? Quia difficile eſt videre, in eo plurali* התעו, *laboraſſe ac aeſtuaſſe Interpretem. Nam cùm is, vel ſolecismum non odoraretur, vel emendare animadverſum non auderet, et cùm ipſum puderet, ſi Chaldaicâ in Linguâ Abraham ſic loqueretur*, errare me fecerunt dii, *maluit, ut ſupra diximus, quidvis potiùs dicere, quàm* Deum unum Deos *appellare Abrahamum. Ergò ea Interpretis ſeu aberratio, ſeù religio, cùm ſatis comperta nobis ſit, ſatis intelligitur, ex eo quòd totum ſic interpretatur, effici non poſſe, ut totum ſic legerit, ſed tantùm, ut ferè ſit, partem nonnullam. Nam hoc ipſo in loco certiſſimum eſt Chaldaeum legere* התעו, *numero plurali ſcriptum. Niſi enim ſic legeret, interpretando non aeſtuaret. Itaque in locis difficilibus, cùm Interpretes laborant, et aliquatenùs aberrant, videndum eſt ac penitùs inſpiciendum, quid illi legerint, quid non legerint. Deindè eos partem orationis legiſſe eam conſtabit, ſivè quum verbum pro verbo converterunt, ſive quam aberrandi, aut allucinandi cauſam habuerunt; caetera, in quibus aberrârunt, non legiſſe.*

Largior Hubigantio vera eſſe quae ſcripſit. Quamquam enim clariſſime appareat Chaldaeum interpretem in ſuo codice legiſſe, התיעו, non התעה, tamen cetera quae addidit non legiſſe, ſed de ſuo addidiſſe vel inde manifeſtum eſt, quia id juvandae ſententiae et excuſandae verſionis cauſa fecit.

(1) *Anticrit.* pag. 68.

cit. Sed quis non videt, hanc obſervationem, licet in ſe bonam, tamen factam eſſe loco non ſuo, nec verbis Buxtorfii reſpondere? Neque enim Chaldaeus interpres, vel ipſo Critico noſtro hoc fatente, *aliter in ſuo codice legit*, quam החתע; atque adeo uti legit, ita interpretatus eſt. Ceterum quod hic pluralis pro ſoloecismo non habendus ſit, uti quidem Hubigantius exiſtimavit, in ſuperioribus ſatis demonſtravimus (*s*).

(*t*) Quid, ſi propter imperitiam malè multa intelligendo, malè etiam tranſtulerunt, &, quanquam id, quod tranſtulerunt, videatur eſſe bonum, tamen non faciat ad exprimendam mentem verborum Hebraeorum.

Interpretem Buxtorfius modò eum accuſabat, qui in loco difficili erraſſet. Nunc eum appellat, qui cùm locus non ſit difficilis, tamen imperitè allucinatur in re clarâ et perſpicuâ. Et ſic diſputat Buxtorfius, ſi fortè ille Interpres erravit, non jam effici poſſe, ut eo modo legerit, quo eſt interpretatus. Hoc verò illud nos Buxtorfio Buxtorfianiſque libenter damus et concedimus. Nam variam ſcripturam in ſuis Codicibus Veteres, ubi variè interpretantur, habuiſſe tum demùm conſtat, ſi conſtat etiam fuiſſe eos interpretando ſobrios ac diligentes. Nimirùm ubi Interpres Hodiernis ab Codicibus ita diſcedit, ut ab eo etiam, quem interpretatur, Codice recedat, ſatis exploratum eſt, non ideò illum aliter ſuum Codicem interpretari, ac noſtrum nos Hodiernum liceat, quòd aliter, quàm nos, legerit: nam qui ſuum Codicem referre interpretando neſciat, quonam pacto is nobis perſuaderet, à noſtro ſuum fuiſſe differentem? Ea res eſt tam clara et aperta, ut explicando obſcurior fieri videatur. Itaque hoc, quod ait Buxtorfius, dato et conceſſo, illud addimus, ſapientis Lectoris eſſe ut attendat, an pravè, an rectè, Veteres convertant. Nam, poſtquàm id fuerit diligenter inveſtigatum, non erit ampliùs tergiverſandi ullus locus. Nempè Interpres, ſi, cùm in ſententiam noſtris Hodiernis Codicibus alienam divertat, tamen ſcripturam aliquam noſtrae Hodiernae ferè ſimilem rectè convertere, et ſententiam bonam ſequi videbitur, tum eum conſtat ſcripturam habuiſſe ab Hodiernâ differentem. Quòd ſi malè Interpres Interpretem egit, tum profectò eo ipſo Interpretis errore Lector docetur, ex variâ Interpretis verſione, non licere variam erui et afferri ſcripturam. At enim quàm multi ſunt, qui errores Interpretum deprehendere cùm non poſſint, Interpretem, quia variè interpretatur, variam ſcripturam habuiſſe judicabunt, quam tamen non habuerit? Sint ſanè multi. Nihil Buxtorfio colligere inde licebat, niſi paucorum hominum eſſe, veteribus ex Verſionibus varias promere ſcripturas. Et quidem nos paucorum id hominum eſſe confitemur. Neque enim quiſquam ſapienter et cautè eâ in arte verſabitur, niſi doctrinâ eâ et diligentiâ ſit, ut animadvertere expeditè poſſit, in Interpretibus quid ſit laudandum, aut quid vituperandum.

Quod

(*s*) Vid. ſupra pag. 77. 78.
(*t*) *Anticrit.* pag. 69.

Digitized by Google

Quod interpretes antiqui, praeſertim Graeci, per imperitiam male multa intelligendo, male etiam tranſtulerint, usque adeo multis exemplis eſt comprobatum, ut ne ipſe quidem Carneades ea de re dubitare poſſit. Sed fieri poteſt, ut dum male multa transferunt, vel ſic tamen verſionem prima fronte probabilem exhibeant, quae quidem ſententiam ſat commodam fundat, ſed tamen cum textu originali collata, ignorantiae aut naſutiae indicia habeat longe plurima. Recte itaque Buxtorfius; quanquam id quod tranſtulerunt, videatur eſſe bonum, tamen fieri poſſe, ut ad exprimendam mentem et intentionem ſacri ſcriptoris non faciat. Hubigantius vero Buxtorfium non intellexit, aut non intelligere voluit, quando antiquam et ſaepius a nobis confutatam hanc cantilenam ei occentat: ſi interpretes ſcripturam hodiernae fere ſimilem recte convertant, et ſententiam bonam ſequantur tum conſtare eos habuiſſe ſcripturam ab hodierna differentem. Siccine igitur ubi interpretes ſententiam ſic ſatis probabilem nobis offerunt, quae mutatis, conjunctis aut disjunctis quibusdam literis vel vocabulis utcunque confirmari poſſit, ex eorum verſione textus continuo erit reformandus? et contra ex eo quod male reddiderunt, id eſt, ubi contortam et parum cohaerentem verſionem adhibuerunt, non licebit eruere genuinam ſcripturam (t)? Quis ſanae mentis Criticus ſibi hanc regulam obtrudi patiatur?

(1) Quid, ſi in eo ipſo, quod ante ſe habebant, legendo, non ſatis diligentes fuerunt et vigilantes, et decipi ſe paſſi ſunt.

Non fuerat ſperandum, ut is Buxtorfius, qui à magno Grotio Exiguus noſter *interdùm vocabatur, veteres Interpretes ſic haberet, ut homines praecipites quosdam ac devios, quibus ductore ac praeceptore opus eſſet, ne id, quod legebant, pravè ac puerorum more legerent. Et quod mirêre, non modò ita de veteribus Intt. Buxtorfius ſentiebat, ſed ita etiam ſenſiſſe Hieronymum affirmabat. Nam cùm ſaepenumerò in Commentariis ſuis Hieronymus animadvertat, ſic, vel ſic, legiſſe in ſuis Codicibus Aquilam, Symmachum, Graecos Intt.* litterarum ſimilitudine deceptos, *Buxtorfius haec ultima verba in veterum Intt. contemtum trahebat. Et quanquam Hieronymus ſic ſaepè intelligebat, illos Interpretes, cùm Codicem in mendo poſitum haberent, ſibi parùm caviſſe, et earum litterarum ſimilitudine, quas Librarii unam pro alterâ ſcripſiſſent, fuiſſe deceptos, tamen Buxtorfius* ſimilitudine deceptos *ſic interpretabatur, quaſi Hieronymus diceret eos fuiſſe deceptos eo modo, ut cùm rem optimè ſcriptam in ſuis Codicibus haberent, nihilominùs optimè ſcriptum peſſimè legerent, puerorum ferè ſimiles, quorum mens et oculi errant legendo, et caecutiunt. Rem ſanè ridiculam, à quâ longè, ut opinor, abhorruiſſet ipſe Buxtorfius, niſi perditae id ſuae cauſae neceſſitas flagitaret. Nam ſi Buxtorfio id ſemel conceditur,*

(t) Exemplum talis loci produximus pag. 208. in fine.
(1) *Anticrit.* pag. 69.

ditur, veteres Intt. fuiſſe eos, qui puerorum more, quae legebant, legerent, et ſaepenumerò ceſpitarent, ſequi manifeſtum eſt, eſſe eorum Verſiones parùm curandas, neque ullam jam ex illis variam ſcripturam eſſe eruendam; quod ultimum Buxtorſius efficere ſummè contendebat. Qui ſi eosdem Interpretes libero animo atque judicio legiſſet, vidiſſet profectò eos nihil minùs fuiſſe, quàm praecipites quosdam et ineruditos; atque adeò Hieronymum, cùm eos diceret literarum ſimilitudine fuiſſe deceptos, Codices eorum plerumque, non perſonas, incuſaſſe.

Cum literarum Hebraicarum figura, quo altius in memoriam priſcorum temporum revertimur, hoc magis fuerit incondita et rudis (*u*); adeo quidem, ut facile fuerit unam cum altera permutare, nec interpretes Graeci habuerint eam Hebraici ſermonis peritiam, ut omni in caſu ſibi ab errore in literis committendo potuerint cavere, mirum non eſt, quod Hieronymus obſervavit, et Grabius (*x*) aliique multis exemplis comprobarunt, eos literarum ſimilitudine fuiſſe deceptos. Quia tamen id vitium potius fuit deſcriptorum vel librariorum, quos oportuit eo tempore fuiſſe parum accuratos, et ipſi interpretes in multis exemplis vertendis quadam ratione utcunque probabili uſi ſint, nolim eorum negligentiam adeo accuſare, ut eos puerorum more in hoc negotio verſatos eſſe dixerim. Quod autem non deſint exempla in quibus ejusmodi errores ab iis commiſſi ſunt, qui eorum in Hebraiſmo intelligendo infantiam manifeſto produnt, idem Grabius, Hottingerus (*y*) aliique jam dudum confecerunt.

(1) Quid, ſi illi Interpretes, ante quos jam aliae verſiones erant factae, ut ſunt Graeci et Latini, alios Interpretes praecedentes conſuluerunt et ſecuti ſunt . . . . . ita ut . . . . . multa in illis verſionibus ſint ex aliis rivis, non immediatè ex ipſo fonte derivata?

Negare non poterat Buxtorſius, quoniam veteres interpretes ſaepè ailierat, quin aliquandò comperiſſet hunc illius fuiſſe imitatorem, potiùs quàm ſui Codicis Interpretem. Quod igitur comperire potuit Buxtorſius, quod ante ipſum, ac poſt ipſum multi potuère, id tantae molis eſſe cui perſuadebat? Enimverò Interpretatio verſabitur, aut in Contextu perſpicuo, aut obſcuro. Si in perſpicuo, nulla fuit cauſa, cur Interpres Codicem ſuum quem planum videret eſſe, deſereret, aliumque Interpretem ducem ſequeretur. Ergo ex ſimilitudine verſionum non efficitur, ut alter alterum fuerit imitatus, ſed contextus perſpicuitas ipſa declarat unumquemque ſuo códice fuiſſe contentum et plures interpretes propterea ſimili-

(*u*) Vid. ſupra pag. 30.
(*x*) Diſſ. *De variis vitiis* **LXX.** *interpretibus ante Origenis aevum illatis.*
(*y*) *Theſ. Phil.* lib. I. cap. III. ſect. III. *Quaeſt.* 15.
(1) *Anticrit.* pag. 69.

Digitized by Google

militer convertiſſe, quod ſimiliter apud ſuum quisque codicem aliter legerent; ergo jus eſſe affirmare, eandem omnes ſcripturam habuiſſe. Quòd ſi erat Contextus obſcurus, atque is, in quo vertendo Interpretes plures laborarent, erunt Verſiones ſingulae diligentius conſiderandae; neque non etiam, quid quisque Interpres potuerit, penitùs inſpiciendum. Nam ſi plerisque in locis difficilibus unum videas alterum ducem ſequi, alieno ingenio, non ſuo, interpretari, quis non videt de ejus Hebraici Codicis ſcripturâ nihil eſſe ſtatuendum? Etenim fieri vix poteſt, ut locos obſcuros Interpretes plures eodem ferè ſemper modo convertant, niſi unus alterum imitetur. Ergo id unum ſtatui licebit, alterum ſe praebuiſſe alterius imitatorem. Quòd ſi aliunde conſtabit, non ſolere eſſe hunc illius imitatorem, nihil dici poteſt, cur, cùm ſimiliter interpretantur, non etiam ſimilem ſcripturam habuerint.

Demonſtrare vult Buxtorfius, quod ſi plures verſiones a textu Hebraico discrepent, id argumento eſſe non poſſit eorum auctores in diverſis codicibus aliter ſcriptum inveniſſe, quam in libris noſtris vel textu hodierno legitur; eoque fine urget, quod interpretes quidam Graeci et Latini (Theodotion et Vulgatus) alios praecedentes interpretes conſuluerint et ſecuti ſint; indeque infert, quod *incertiſſimum ſit, an illorum discrepantiae ſint codici Hebraeo quo uſi ſunt, adſcribendae, an quod alterius interpretis* (qui a contextu Hebraico receſſerat) *ſententiam ſint ſecuti* (z).

Hoc argumentum, licet omni exceptione majus, et hodie magis quam olim perſpicuum, ut eludat Hubigantius, quodam dilemmate utitur quo probare ſatagit, id quidem locum habere poſſe in locis obſcurioribus, non autem in clarioribus. Sed videamus quanti ſit momenti. Buxtorfius loquitur de Vulgata, et aliis verſionibus, ut patet ex ejus verbis: *Ita extra controverſiam eſt, Latinum interpretem in quam plurimis locis Graecam verſionem potius, quam Hebraeum codicem ſecutum eſſe. Sic alii ad ſuas verſiones, alias in auxilium adhibuerunt.* De verſione autem Vulgata compertum eſt, eam ex Graeco fonte eſſe derivatam, et quo magis ad priſcam ſuam formam revocatur, hoc magis ſimilem deprehendi verſioni Graecae Alexandrinae ejusque editioni antehexaplari; adeo quidem, ut non ſolum vitia et naevos ejus, ſed etiam errores librariorum qui olim in eam irrepſerunt, in ea paſſim occurrant, et fragmenta veteris verſionis Latinae hodie apud rerum peritos eum uſum habeant, ut illa ex iis reſtituatur. Ex quo concludere licet eos qui verſionem hanc concinnarunt, fortaſſis nunquam contextum Hebraicum vidiſſe. Id quod nemini mirum videri debet, qui norit quam parva doctoribus Chriſtianis qui ſeculo II. inclaruerunt, fuerit cognitio linguae Hebraicae, et quam familiaris uſus ſermonis et verſionis Graecae.

Quod ad ceteros interpretes adtinet, in his Theodotion tam ſcrupuloſe et fere

(z) *Anticrit. pag. 70.*

ſere verbotenus Alexandrinos ſequitur, ut etiam verſio ejus pro nova recenſione illius verſionis habita ſit, et Origenes in Hexaplis ſuis lacunas verſionis Graecae κοινῆς ex ea ſuppleverit. Accedit, quod in Theodotione pariter exigua fuerit peritia Hebraiſmi; ut patet ex eo quod in iis locis in quibus Graeci Alexandrini eum deſtituerunt, licet perſpicuis et planioribus, tamen ignorantia vocum tantopere ſit conſtrictus et impeditus, ut, vel deſerto linguae Graecae genio, literam preſſiſſe et verbum ex verbo reddidiſſe, vel ipſa verba Hebraica retinuiſſe deprehendatur.

Jam quis eſt qui credat aut ſibi perſuaderi patiatur, hos interpretes (in tanta linguae Hebraicae ignorantia, usque adeo in aliorum verba jurantes) nullam cauſam habuiſſe, ut *in contextu perſpicuo ſuum codicem quem planum videbant eſſe, desererent aliumque interpretem ducem ſequerentur*? Quis talia fando audivit? Ego certe ea ſum opinione, nec dubito etiam futuros alios: quamquam in contextu perſpicuo verſentur duo interpretes, tamen fieri non poſſe, ut in locis pluribus iisdem verbis utantur, niſi unus alterum exſcripſerit: et rem miraculo ſimilem fore, ſi plures interpretes non alia de cauſa ſimiliter converterent et iisdem verbis uterentur, niſi quod ſimiliter apud ſuum quisque codicem legerent.

(1) Quid, ſi *denique* veterum Verſiones, poſtquam à primis illorum autoribus fuerunt conditae, deinde variè per Scribas fuerunt interpolatae, correctae, corruptae, depravatae?

Vincebat Buxtorfius, ſi poterat id perſuadere. Etenim ſequebatur, non jam ſciri poſſe, quas ſcriptiones Veteres habuerint, quoniam neque quid dixerint, poſtquàm malè mulctati ab Scribis fuerant, poterat dijudicari. Sed primùm, Verſiones Veterum fuiſſe ab Scribis deformatas, malè ex eo colligitur, quòd ex illis, ut nunc ſunt, ſequatur aliter ſaepè eos, ac nos legimus, legiſſe. Neque verò etiam Buxtorfius id palàm colligebat, neque unquam negare auſus eſt, in iis Codicibus, quos Veteres interpretabantur, eſſe potuiſſe ſcripturas ab Hodiernis ſcripturis diverſas. Eſſe potuiſſe, inquam. Nam fuiſſe Buxtorfius nullibi confitetur, adeò mentem gerebat Judaicis fabulis infatuatam. Deinde illud pro certo habendum, Veterum Verſiones non fuiſſe à Librariis depravatas ibi, ubi omnia perſpicuè, expeditè, et ſuo quodam conſueto curſu feruntur. Cùm igitur ex talibus veterum Verſionum locis variae ſcripturae promi ſoleant, liquet, ex tali difficultate per parùm ſubſidii habere cauſam Buxtorfianam.

Sed quoniam inſtat Buxtorfius, non ſemel evenire, ut incertum ſit, veteres Verſiones, utrùm Interpretum, an Scribarum vitio laborent, Reſpondeo, etſi non ſemel id incertum, tamen multis certis et non fallentibus rebus indicari, utrius vitium ſit, an Interpretis, an Deſcriptoris. Nimirum Interpretis errores, ut effigiem nullam habent Deſcriptoris, ita plurimam Compoſitoris. Nam labitur Inter-

(1) *Anticrit.* pag. 69.

terpres, ſi verba quaedam Hebraica parum aptè convertit, ſi Codicis ſui ſententiam malè perceptam habet, benè perceptam malè deſcribit, ſi obſcuram vel evitat, vel interpretando facit obſcuriorem, aut ſi quid ſimile; qui errores cadere in Deſcriptorem non poſſunt. Nam labitur Deſcriptor, vel litteram mutans, vel litteram, aut verbum, loco movens, vel quaedam omittens, vel quaedam mendosè iterans, aut malè interpungens, cujusmodi ab erratis ipſi Compoſitores longe abſunt. Ergo in talibus discernendis, non tanta difficultas eſt, quantam eſſe fingebat Buxtorfius.

Miraris, Erudite Lector, nec a Critico qualem ſe venditat Noſter, expectaveris, ut, quod Morinus, et Waltonus jam dudum agnoverant, et a Montefalconio, Grabio, aliisque certiſſimis argumentis demonſtratum eſt, in dubium vocaret; nempe veterum verſiones, et in his praeſertim Alexandrinam tam inſigniter a deſcriptoribus eſſe corruptam et interpolatam, ut quid veteris et genuinae ſit monetae difficile ſit internoſcere; cum non defuerint viri docti (*a*) qui ob hanc cauſam eo procederent, ut contenderent verſionem primam in bibliotheca Ptolomaei Philadelphi repoſitam, cum Alexandriam expugnaret Julius Caeſar, una cum bibliotheca iſta incendio periiſſe; aliam vero deinde ab Helleniſtis eſſe compoſitam. Certum ſane eſt, hanc rem hodie adeo in confeſſo eſſe, ut viri docti certatim ad eam reſtituendam concurrant, in quibus clariſſimus F. A. Stroth in Symbolis Criticis ad LXX. interpretes (*b*), aſſerere non dubitat, vix aliquem librum in hac rerum univerſitate inveniri poſſe qui tot viciſſitudines et mutationes expertus ſit, quam hic. Quis patres Eccleſiae qui ante Origenem floruerunt, conſuluit unquam, nec immanem illam differentiam animadvertit, quae inter eam verſionem Alexandrinam qua illi uſi ſunt, et noſtras editiones intercedit? Quis neſcit verſiones diverſorum interpretum cum Alexandrina confuſas? Quis negat ſcholia in textum recepta? Quis Origenem ipſum ignorat ad mirificam hanc textus Graeci corruptionem non ſemel adſtupuiſſe eamque deploraſſe? Et cui non cognita eſt depravatio quae poſt Origenis tempora ex confuſis aſteriscis, obelis aliisque ſignis Criticis, et literis quibus nomina auctorum ab ipſo deſignabantur, fuit coorta?

Jam tu mihi magnus eris Apollo, Hubiganti, ſi in tanta rerum confuſione et textus Graeci calamitate *quas ſcriptiones veteres habuerint*, a ſcribarum corruptionibus ubique poſſis diſtinguere. Nec juvat hic antiquam illam cantilenam repetere, et dicere *veterum verſiones non fuiſſe a librariis depravatas ibi ubi omnia perſpicue, expedite et ſuo quodam conſueto curſu feruntur*; quia plerarumque earum mutationum quas veteres librarii verſionibus intulerunt, non alia ratio eſt, niſi

(*a*) Jacobus Uſſerius in *Syntagmate de Graeca LXX. interpretum verſione*, cap. III

(*b*) *Beitraege zur Kritik uber die LXX. Dolmetſcher*, in *Repertorio für Bibliſche und morgenlaendiſche Literatur* part. II. pag. 66.

niſi ut quod ipſis videbatur obſcurum, et parum accurate dictum, magis redderent intelligibile.

Concedo quidem in eo caſu, *quando literam mutarunt*, *aut verbum loco moverunt*, quid librarii, quid auctoris ſit, ſaepius non incommode poſſe diſtingui. Sed tales interpolationes et corruptiones Buxtorſius non deſignaverat. Nec poterant eae facile a primis deſcriptoribus proficiſci: quippe qui, cum non longe abeſſent ab iis temporibus quibus auctores harum verſionum vivebant, non cenſeri poſſunt in literis et verbis ejusmodi errores commiſiſſe, quos manifeſto apparet ab ignorantia verae ſcriptionis et ductus literarum eſſe profectos.

Non opus eſt monere, quae diximus non eum ad modum accipienda eſſe, ac ſi nullae ex verſionibus antiquis promi debeant variae lectiones. Contrarium vel ipſe Buxtorſius adſirmaverit, et nos conceptis verbis ſaepius inculcavimus. De verſione autem Alexandrina ſpeciatim teneri volumus: quamquam in ea haud pauca ſint quae aliis auctoribus debentur, tamen hanc verſionem eſſe legitimum fontem emendationis, praeſertim ſi naturae ſuae reſtituatur et quae eam deformant additamenta, cultro critico inde ſeparentur et ſuis auctoribus relinquantur. Sed hoc contendimus, nos cautos eſſe debere, ne quamcunque interpretationem cum noſtro contextu non convenientem, ne paraphraſes, et ſcholia in textum recepta, ne deſcriptorum errores vel ſomnia pro variis lectionibus habeamus.

Quare etiam ea quae Criticus noſter habet ſequenti §. IV. hujus articuli, quo multis verbis docet *licere alias varias ſcripturas adhibere quam eas paucas*, *quas habent varii hodierni codices*, non moramur. Sufficit obſervaſſe, quod hodie omnes norunt, has varias ſcripturas ex noſtris codicibus erutas, nec paucas eſſe, nec nullius momenti, et ſpem haud vanam eſſe, ut adhuc plures in lucem protrahantur. Criticum vero noſtrum, quia pauciſſimos codices contulit et inſpexit, fidem non mereri cum dictatorie contrarium pronunciat. Sed deſino plura. Jam dudum enim me taedium cepit hujus ſcriptionis, nec volo bis terve recoctam crambem ſaepius tangere.

CORRIGENDA.

Pag. 8. in fine pro deſiderantur, lege deſiderari.
19. in fine H — Has
31. in fin 1752. — 1759.
41. reg. 17. העביד — העביר
42. — 14. in fin. העכיר — העכיר
56. — 4. et 38. carmen — carnem
68. — 1. verſu a — verſutia
91. — 26. חלים — נחלים.

JM 1526868

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Fl. L

160
C
2

Digitized by Google